FASTI ATTICI
IN PARTES DVAS
ET
QVATVOR VOLVMINA
DISTRIBVTI.

FASTI ATTICI
IN QVIBVS
ARCHONTVM
ATHENIENSIVM SERIES
PHILOSOPHORVM ALIORVMQVE ILLVSTRIVM
VIRORVM AETAS
ATQVE PRAECIPVA ATTICAE HISTORIAE CAPITA
PER OLYMPICOS ANNOS DISPOSITA DESCRIBVNTVR
NOVISQVE OBSERVATIONIBVS ILLVSTRANTVR

AVCTORE

EDVARDO CORSINO
CLER. REGVL. SCHOLARVM PIARVM
IN PISANA ACADEMIA PHILOSOPHIAE PROFESSORE

TOMVS SECVNDVS

SEX RELIQVAS DISSERTATIONES COMPLECTENS.



FLORENTIAE. ANNO. CIƆ.IƆCC.XLVII.
EX TYPOGRAPHIO IO: PAVLI GIOVANNELLI

PRAESIDVM ADPROBATIONE.



PRAEFATIO.





ALterum hoc FASTORUM ATTICORUM *Volumen editurus nihil est certe cur Te, benevole & amice Lector, pluribus hic morer; aut ex recepta iam Scriptorum consuetudine plura praefari velim. Etenim quid ipso complecti debuerim, qua serie, vel ordine sex reliquae* DISSERTATIONES *istae priores octo iampridem editas consequantur, adeoque primam Operis universi Partem, sive Apparatum ad Fastos Atticos, absolvant, ex iis, quae in ipso superioris Voluminis limine exposui, facile ut opinor intelligetur. Accedit etiam quod singulis hisce Dissertationibus uberem, atque accuratam Synopsim praefixam volui; ut illustriora nempe rerum disserendarum capita oculis fere subiecta conspicerentur. Itaque actum agerem, si aut Operis argumentum, aut Dissertationum numerum, aut ipsarum ordinem hic iterum exponerem. Id unum potius hic opportune monendum esse putaverim quod cum in IX. tribusque pone sequentibus Dissertationibus ea singula* ac-

accurate, eodemque prorsus ordine sim prosequutus, qui mihi iampridem animo obversabatur, ubi Fastis Atticis meliori qua poterat methodo contexendis manum admoveram, adeoque in alterius Voluminis initio expositus constitutusque fuerat; in duabus tamen postremis a proposita rerum serie deflectere subinde libuit; ut ex iis, quae disserenda susceperam, quaedam consulto seiunxerim, ut opportuniori loco, clariorique methodo traderentur.

Etenim in XIII. Dissertatione de variis Atheniensium Festis, aut Ludis loquuturus, quibus veluti characteribus rerum gestarum tempora designari solent, aliqua de celeberrimis etiam quatuor Graeciae Ludis, Olympiis *nimirum*, Pythiis, Nemeis, *atque* Isthmiis *dicenda mihi putaveram: ut exinde quoque vel definiendo Atheniensium Festorum tempori, vel Graecis, Atticisque Scriptoribus, aut monimentis aliis illustrandis praesidium aliquod oriretur. Quandoquidem vero in designandis Olympiadum, Nemeadum, atque Isthmiadum annis gravissima certe Scaligeri, Petavii, ac Dodvelli autoritas, quos in re Chronologica accuratissimos, ac veluti principes admirari, meritoque suspicere consuevimus, me iampridem impulerat, ut sententiam illam, quae Trium Viris illis probata fuerat, tanquam certam amplecterer, de solo Pythiadum tempore aliqua me dicturum receperam; quod illae nimirum a Petavio, ac Dodvello quidem in* secundis; *a Scaligero vero in* tertiis *Olympiadum annis collocatas esse conspicerem, idque mihi novis aliis, certisque characteribus perspicue demonstratum esse considerem. At ubi singula doctissimorum Virorum, & qui ceteros omnes excellit, Dodvelli argumenta subtilius inquirere, remque ipsam ad vivum resecare incepi, non Pythiadas solum, sed hibernas etiam Isthmiadas, ac Nemeadas ipsas, sive hibernae, sive aestivae illae fuerint, perperam in olympicis annis collocatas esse deprehendi: quippequae non* primis, & tertiis, *ut Scriptores illi una veluti voce contendunt; sed* secundis *solum, &* quartis *redire, vel instaurari solerent. Itaque e re futurum putavi si de quatuor Ludis illis, quorum subtilior, atque uberior disputatio a Fastis Atticis, hoc est a principe Operis argumento, aliena quodammodo videbatur, seorsim disserérem: quod in Quatuor* Agonisticis Dissertationibus *iam praestiti, quae vertentis anni spatio, interim dum Typographus moras necteret, Fastorumque editio lentius procederet, a me exaratae, ac typis aliis commissae publicam lucem adspexere. Quid-*

quid ergo de Pythicis Ludis in XIII. Fastorum Dissertatione me dicturum promiseram, ex Agonistica Dissertatione II. diligens humanusque Lector inquirat. Quod si in aliqua ex Dissertationibus illis, quae iampridem editae fuerant, Pythiadas non tertiis, *sed* secundis *potius, Olympiadum annis adscriptas esse conspexerit, atque in definienda praesertim Pindari aetate varietatem aliquam, aut inconstantiam offenderit, illud exinde factum intelligat, quod nondum verum Pythiadum tempus exploraveram; sed ambiguo solum Thucydidis testimonio, constantique Petavii, ac Dodvelli autoritate abreptus Pythiadas ipsas* secundis *plerumque Olympicis annis concesseram.*

Cetera vero, quae minus accurate, feliciterque explicata a me fuerint; quaeque proinde merito corrigi, inverti, refelli, refingi posse videantur, interim benevoli, honesti, humanique Lectoris iudicio notanda, corrigenda, vel condonanda relinquo. Optime nimirum intelligo, ingenueque profiteor in tanta rerum disserendarum obscuritate, opinionum dissidio, argumenti, operisque magnitudine ac difficultate longe vividiorem mentis aciem requiri, quam quae mihi superioribus annis, affecta plerumque valetudine, variisque studiorum generibus implicato suppetere, vel sperari posse videbatur.


Quemadmodum vero de Pythiadum tempore non in Fastis Atticis, *sed in Agonisticis Dissertationibus, distincto nimirum, & peculiari Opere disputavi, ita propemodum in XIV. omniumque postrema Dissertatione de singulis Graecarum Urbium Mensibus, atque Periodo meliori quo licuit ordine disputavi; eorumque Mensium situm, si fieri id quidem poterat, in civilibus Atheniensium, adeoque Romanorum, annis ostendi. Eiusmodi tamen Cyclorum usum, atque contextum, meliorem nempe accuratioremque methodum, qua nobiliores Graecorum Epochae constitui, simulque conferri debent, in ipso potius alterius Partis limine; hoc est III. Voluminis initio, demonstrandam putavi: ut ubi nimirum res gestae iuxta perpetuam connexamque temporum seriem per olympicos annos dispositam sunt recensendae, olympicorum etiam annorum connexio cum annis illis ostendatur, qui vel ab V. R. C. vel a Troiae excidio, vel a Nabonassaris initio, veluti cardine, deducuntur, atque ab illustrioribus Chronologis adhibentur.*

Consultius etiam existimavi nitidam, atque accuratam illam Atticae Regionis Tabulam, quam coronidis loco me Fastis Atticis

ticis adiecturum promiseram, seorsim a Fastis ipsis edere; universum nempe de Attica Regione, eiusque Populis Commentarium adornare, in quo singula veterum Scriptorum testimonia proferantur, quibus Atticarum Vrbium, Insularum, fluminum, montium situs, plerumque obscurus hactenus, aut incompertus demonstretur.

Atque ista quidem de iis, quae secus ac in ipso Operis universi specimine, ac Praefatione proposita fuerant, pertractanda, paulloque commodius explicanda putavi. Quod autem ad rerum Indicem attinet, eorumque Scriptorum seriem, qui subinde illustrati, notati, vel emendati fuerint, mos hac in parte Typographo gerendus fuit, qui Voluminis molem iusto grandiorem futuram querebatur; & Synopses illas, quas Dissertationibus praefixeram, Indicis loco futuras vel habendas esse censebat. Itaque varii Scriptorum, Archontum, Hieronicarum, rerumque maxime memorabilium Indices in extrema demum Operis universi parte subiicientur: quemadmodum opportunius ibi ea quoque complectar, quae suis in locis inseri, castigari, mutari, vel illustrari posse deprehendero; simulque graviora Typographi errata, quae me praesertim absente irrepsere. Etenim leviora, quae sensum minime perturbent, ac facile deprehendi possint, Lectorum potius iudicio atqu ehumanitati corrigenda committo.

Dabam Pisis Idibus Maiis Anno 1747.



DIS-



DISSERTATIO IX.

De Scriptoribus, ac Monimentis illis, ex quibus Eponymorum Archontum nomina, et series inquiri, ideoque Atheniensium Archontum Fasti contexi debent.



I. 

Vantum ſplendoris, ac praeſidii tum in exploranda Athenienſis Populi, aliarumque Graecarum Vrbium hiſtoria, tum in illorum temporibus rite ac feliciter digerendis ex Eponymorum Archontum nominibus, ipſorumque ſerie oriri debeat, ſatis, ut opinor, ex iis intelligi, oſtendique poterit, quae in Diſſertatione I. de Archontis Eponymi dignitate, variiſque muneribus explicavi. Oſtendi nimirum, quod eiuſmodi Archontis nomine civiles Athenienſium anni ita numerari, vel inſigniri conſueverant, ut annus unus ab alio ſolo ple-

plerumque Archontis Eponymi nomine distingueretur; ideoque publicis tum Populi, tum Senatus etiam decretis, legibus, ac monimentis aliis nomen ipsum inscribebatur, ut annus ille, quo lex edita fuerat, vel historia quaedam contigerat, veluti perspicua quadam temporis nota, seu charactere, a ceteris omnibus accuratissime secerni posset. Nec alia certe de caussa Archontem illum, qui principem inter Novemviros locum obtinuit, *Eponymum* vocatum esse iam dixi, nisi quod ille civili cuidam anno, quo praeerat, certam hanc notam, ac veluti nomen imponeret, ut plurimis exemplis aliis inferius ostendetur. Exinde vero facile deprehendi etiam poterit quam utiles, ac necessarii proinde fuerint Eponymorum Archontum Fasti, quibus illorum omnium nomina, ac series nitide ostenderetur; & Archontum quilibet ad annum illum olympicum referretur, quo Athenis ille dignitatem istam obtinuit; ideoque ubi res aliqua Archontis nomine insignita in Historicis, aliisve Scriptoribus offenderetur, intelligi quoque, vel definiri repente posset qua Olympiade, quove Olympiadis eiusdem anno res illa contigerit. Quemadmodum ergo temporum series, atque intervalla in Romana Historia cognosci non possent, nisi *Consulum* series in *Consularibus Fastis* expressa foret, & annus etiam ille, quo Consulum aliquis imperavit, ad certum annum aliquem ab *Urbe condita* referretur, sic universa quoque Graecarum, vel Atheniensium rerum historia mirifice incerta, sive perplexa foret, nisi ex Archonticis Fastis rite dispositis perspicuus ordo, plurimusque splendor accederet.

II. Itaque praeclare de Patria, Graecaque Historia meriti videntur illi, qui vel a primis usque temporibus eiusmodi Archontum seriem prodidere; aut ex veteribus monimentis istis, dum Atheniensis Respublica adhuc floreret, de Archonticis eiusmodi Fastis accurate contexendis sedulo cogitarunt. Ita Demetrius ille Phalereus, qui doctrinae gloria, simulque autoritate, & imperio Athenis excelluit, Ἀρχόντων Ἀναγραφὴν *Archontum Recensionem* circa Olympiadem CXVIII. conscripsit, quae saepius a Laertio (1), aliisque Scriptoribus (2) memoratur: quamvis Laertius ipse (3), ac Menagius etiam in recensendis Demetrii Libris Opus illud omiserint. Phi-

(1) Lib. I. seg. 22. & II. s. 7. (2) Marcellin. in Vita Thucyd. (3) Lib. II. s. 75.

Philochorus quoque & ipse Atheniensis praeter XVII. *Atthidis* Libros, quibus Historiam Atticam per Archontes dispositam ad Olympiadem CXXX. sive Antiochi Θεȣ̃ *Dei* tempora deduxit, de Atheniensibus etiam Archontibus a *Socratide* ad *Apollodorum* usque Commentarium edidit (1); ideoque saepissime a Dionysio Halicarnasseo (2), aliisque pluribus (3) citari, vel exscribi etiam solet. Apollodorus etiam Atheniensis, qui circa Olympiadem CLXV. vixisse traditur, ita res ab Atheniensibus gestas, atque illustrium Virorum aetatem in *Chronicis* digessisse videtur, ut Archontes etiam, & olympicos annos, quibus illi imperarunt, expresserit; ut ex variis Laertii (4) Diodori (5), aliorumque locis apparet, in quibus *Apollodorus in Chronicis*, addito plerumque Archontis nomine afferri solet. Proxime, ut opinor, ad aetatem illam accessit Stesiclides ille, qui τῶν Α'ρχόντων, καὶ Ο'λυμπιονικῶν Α'ναγραφὴν *Archontum*, *&* *Olympionicarum Recensionem* edidit, quae a Laertio laudatur (6). Denique, ne in recensendis aliis hic immorer, Asclepiades Alexandrinus (7), Androtion, aliique plurimi, qui Historiam Atticam conscripsere (8); & Aristoteles etiam ipse, qui Pythionicarum seriem adornavit (9), Archontum quoque seriem simul contexuisse videntur, qua temporum intervalla perspicua, certaque methodo distinguerentur.

III. Illustris haec tamen Atticae Historiae pars, simulque eximia Scriptorum illorum Opera maximo certe literarum damno temporis iniuria excidere; ut solae proinde ipsorum laciniae, sive fragmenta supersint, quae in Dionysio, Laertio, variisque Scholiastis nobis occurrunt. Plurima quoque Eponymorum Archontum nomina apud Diodorum Siculum in Libris illis, qui interiere, desiderantur: & quamvis etiam plurima apud Diodorum ipsum supersint, plurima in Dionysio, Thucydide, Xenophonte, Plutarcho, aliisque Scriptoribus memorentur; plurima denique in monimentis aliis nobis occurrant, vix illa tamen inter sese cohaerere, apteque disponi posse videntur, ut perennis illa, integra, & accurata Archontum omnium series, Atticique Fasti contexantur,

(1) Suidas in Φιλόχορος. (2) Epist. ad Ammeam, & in Dinarcho &c. (3) Scholiast. Aristoph. (4) Lib. I. seg. 38. II. seg. 2. & 7. (5) Lib. I. init. (6) Lib. II. seg. 56. (7) Schol. Aristoph. ad Nubes. (8) Vid. Meurs. Biblioth. Attic. & Voss. de Histor. Graec. (9) Plutar. in Solone.

quales a Demetrio, aliisque veteribus conscripti fuerant. Illorum tamen diligentiam aemulari, ideoque iacturam supplere, meliori, quo poterat, ordine conatus est Scaliger in illa temporum, historiarumque Συναγώγῃ *Collectione*, quam Graece conscripsit, atque post Eusebii Chronicon a se mirifice illustratum, atque emendatum edidit. Quo certe loco falli putaverim eos, qui Collectionem illam non a doctissimo, summoque Viro compositam, sed ex Syncello, aliisque ineditis Veterum membranis excerptam esse opinantur (1). Siquidem, ut argumenta cetera omittam, errores illi, qui ex depravatis plerumque Diodori, aliorumque codicibus in Συναγώγην illam irrepsere, manifeste nobis ostendunt, ipsam a Scaligero, qui in corruptos illos Scriptorum codices inciderat, contextam esse. Itaque cum Petavio (2) reprehendi merito poterit Meursius ipse, qui Graecam illam Historiarum Collectionem sub *Anonymi* Scriptoris titulo saepius exscribere, eiusque suffragio non illustrandis solum, sed corrigendis etiam interdum veteribus Scriptoribus uti solet, ac si *Anonymus* Auctor ille vetus aliquis Graecus Scriptor haberi debeat, quem Scaliger solum ediderit; cum tamen Scaliger ipse variis in locis *Collectionem* illam a se conscriptam, sive ex variis Scriptoribus contextam esse fateatur. De concinnandis etiam Atheniensium Archontum Fastis, Latineque edendis omnium primus cogitavit Italiae suae lumen Sigonius in Libello, quem *de Atheniensium Temporibus* ille conscripsit: quamvis & Archontum plures omiserit, & in olympicis etiam annis, quibus illi imperarunt, definiendis subinde aberraverit. Omnium tamen diligentiam superasse, ideoque ceteros inter excellere merito existimatur Meursius in IV. Libris illis, quos *de Archontibus Atheniensium* inscripsit: in quibus ille 244. Archontes recensuit, ipsorumque singulos ad olympicum annum illum, quo imperarunt, feliciter revocavit; nonnullos etiam, quos incertae aetatis esse coniecerat, extremo tandem loco numeravit, atque eximia, qua fuerat, Graecarum rerum peritia, ingenio, & eruditione innumera fere veterum Scriptorum loca restituit, vel illustravit. Meursii, aliorumque vestigiis pressius institerunt Seldenus, Lydiattus, at-

(1) Vid. Fabric. Bibl. Graecae Lib. II. c. 15. num. 2. (2) Doctr. Temp. in Chron. ad annum P. I. 4029.

atque Prideauxius, qui in illustrando Arundelliano Marmore plenam Archontum omnium seriem edidere, adiectis etiam Archontum illorum nominibus, qui ex eodem Marmore primum affulserant; omniumque postremus 43. ab hinc annis Dodvellus in aureo, atque immortali Opere, quod *de Cyclis* inscripsit, brevem Archontum omnium seriem exhibuit, quae omnium pulcherrima, atque accuratissima videtur. Quandoquidem vero plurima doctissimis Viris illis in contexenda Archontum serie exciderunt, quae minus accurata censeri merito possint, ut variis subinde in locis opportunius ostendam, universam hanc Atticae Historiae partem suis ex fontibus ita repetendam, iterumque mihi retexendam esse putavi, ut plenior illa, emendatior, longeque clarior, nisi mea me fallit opinio, legentium oculis exhiberetur. Itaque seposita illorum omnium autoritate, ac suffragio, qui spartam istam ornandam susceperant, ex veteribus solum Scriptoribus, ac monumentis aliis, quae ad haec usque tempora pervenere, & quorum certe pleraque a Meursio proferuntur, integram in Fastis istis Archontum seriem adornandam suscepi, atque e re maxime futurum putavi, si in ipso veluti limine fontes illos ostenderem, ex quibus eiusmodi Archontum nomina, ac series inquiri, ideoque Attici Fasti contexi possint.

IV. Vt autem omnia clariori, quo poterit, ordine demonstrentur, illud in primis observasse iuverit, quod Archontum nomina, illorumque series partim ex veteribus Graecis, Latinisque Scriptoribus, partim etiam ex Marmoreis Inscriptionibus haberi poterit: ut nihil de Numismatibus, sive de Atheniensium Nummis hic loquar, quibus an Archontum potius, quam aliorum Atheniensium Magistratuum nomina inscripta sint, Differt. XII. opportunius inquiram. Atque ex Scriptoribus quidem plurimi solum Archontis alicuius nomen expressere; neque olympicum tamen annum addidere, quo Athenis ille imperaverit. Ita Harpocration asserit ὅτι τὸ Λέχαιον εαλω Μνασίππȣ Α῎ρχοντος (1) *quod Lechaeum excisum fu t Mnasippo Archonte*; atque in omnibus fere Inscription bus, quarum plurimas Dissertatione XI. proferemus, solum Archontis nomen, sine ullo temporis, annive cha-

(1) In Λέχαιον.

charactere, expressum conspicitur. Scriptores alii duorum Archontum, pluriumve nomina expressere, quorum unus alteri successisse dicitur; sed illorum tamen aetas omnino reticetur. Ita Demosthenes *in Neaeram* διατρίψασα ἐν τοῖς Μεγάροις δύο ἔτη, τόντ᾽ ἐπ᾽ Ἀςεῖυ Ἄρχοντος, καὶ Ἀλκισθένυς ἐνιαυτόν (1) *commorata est Megaris biennium*, hoc est *Asteii*, & *Alcisthenis Archontis annum*, atque in veteri Inscriptione quadam legitur Γαΐος Γαΐυ Ἀχαρνεὺς ἱερεὺς γενόμενος Θεῶν μεγάλων ἐν τῷ ἐπὶ Διονυσίυ τῦ μετὰ Λύκισκον Ἄρχοντος ἐνιαυτῷ (2) *Caius Caii Acharnensis Sacerdotio fungens deorum magnorum in Archontis Dionysii, qui Lycisco successerat, anno*. Alii subinde vel unius, vel plurium quoque Archontum nomen, simulque aetatem expresserunt, ut a Laertio dicitur quod Xenophon ἤκμαζε κατὰ τὸ τέταρτον ἔτος τῆς τετάρτης ἐνενηκοςῆς ὀλυμπιάδος, καὶ ἀναβέβηκε σύν Κύρῳ ἐπὶ Ἄρχοντος Ξεναινέτυ ... κατέςρεψε δέ ἔτει πρώτῳ τῆς πέμπτης, καὶ ἑκατοςῆς ὀλυμπιάδος ἐπὶ Ἄρχοντος Καλλιδημίδυ (3) *floruit maxime* 4. *anno Olympiadis* XCIV. *ascenditque cum Cyro sub Xenaeneto Archonte ... obiit autem anno* 1. *Olympiadis* CV. *Archonte Callidemide*. Alii denique, ut Aristides (4), Athenaeus (5) &c. Archontum plures ita memorarunt, ut illorum seriem, atque ordinem nobis expresserint, ut initio nimirum ducto ab anno quodam olympico unus post alium Archontis munere perfunctus fuerit. Itaque ex variis eiusmodi Scriptoribus integra, & accurata Archontum omnium series haberi non poterit; adeoque pleni Archontum Fasti ex paucis illis, disiectisque ruderibus componi minime possunt. Plurimum tamen splendoris, atque praesidii tum illustrandis, tum confirmandis etiam Archontum Fastis haberi inde poterit, ut vera Archontum nomina, illorumque situs in olympicis annis ostendatur; ut in concinnandis proinde, digerendisque Fastis ipsis singula Veterum testimonia laudari debeant, in quibus Archontis alicuius nomen occurrat; sive ille temporis characterem, atque cum Archontibus aliis ordinem praeseferat; sive perspicuis etiam notis illis destituatur.

V. Ceteros tamen inter Scriptores illos merito excellere existimantur Diodorus Siculus, Dionysius Halicarnasseus, &

(1) Pag. 522. (2) Gruter. Pag. 319. 2. (3) Libro II. seg. 55. 56. (4) Platonic. II. (5) Lib. V. c. 18.

& Auctor ille, qui Marmor Arundellianum describendum curavit, in quo nobiliores Graecorum Epochae, adiecto Regis, vel Archontis Atheniensis nomine, describuntur; ideoque *Graecorum Epochae*, vel *Chronicon Marmoreum* vocari solet. Siquidem in eximio, praestantissimoque hoc Marmore 43. Archontum nomina nobis occurrunt; & annus etiam ille, quo ipsorum quilibet imperavit, ab anno 1. Olympiadis CXXIX., quo Marmor sculptum fuit, aut ad quem Epochae singulae, sive anni in ipso notati referuntur, ita κατὰ πρόληψιν, sive *ordine retrogrado*, numeratur, ut facile intelligi, vel definiri possit qua Olympiade, & Olympiadis anno Archontes illi imperaverint. Dionysius vero non modo variis in locis, praesertim vero in *Romanis Antiquitatibus*, & in *Epistola ad Ammaeum* plurium Archontum nomina, illorumque aetatem, expressis olympicis annis, quibus Archontis munere perfuncti illi fuerint, accurate descripsit; sed etiam *in Dinarcho septuaginta* Archontum seriem, olympico tamen anno, quo series illa incaeperit, dissimulato, contexuit; ut insignem proinde Fastorum partem, ex Philochoro, ut opinor, excerptam nobis reliquerit. Diodorus denique ceteris omnibus accuratior, aut certe uberior ita rerum, temporumque seriem ex Apollodori Chronicis, ut ego quidem existimo (1), digessit, ut singulis olympicis annis Romanos Consules, & Atheniensium Archontes adscripserit; ideoque ab anno 1. Olymp. LXXV. ad annum usque 3. Olympiadis CXIX. integros ille Archontum Fastos contexuit: qui a primis etiam temporibus in eximio hoc Scriptore nunc haberentur, nisi VI. VII. VIII. IX. ac X. Liber iniuria temporum interiisset. Hinc merito Sigonius, & Scaliger, ipsisque facem praeferentibus Meursius in adornandis Archontum Fastis Diodori, simulque Dionysii vestigiis ubique pressius institit; atque in exprimendo Archontis nomine, qui certo quodam olympico anno imperaverit, ita Diodorum, simulque Dionysium laudare, & exscribere plerumque solet, ut non aliam propemodum Archontum seriem in Fastis illis exhibeat, quam quae in Diodoro, ac Dionysio observatur. Seldenus vero, Lydiattus, Prideauxius, atque Dodvellus Arundelliani quoque Marmoris praesidio, ac testimo-

(1) Vid. Diodor. Lib. I. init.

ſtimonio uti ſolent, ut ſeries illa a Diodoro, Dionyſioque tradita confirmetur, variiſque in locis augeatur.

VI. Atque optimo id illi quidem, maximoque iure, ſi ſeries illae, quae in Arundelliano Marmore, Diodoro, ac Dionyſio reperiuntur, inter ſe conſpirarent, ab uno, eodemque Olympico anno veluti capite ducerentur; integrae demum, nec ullibi interruptae forent, ideoque ſingulis in partibus invicem conferri, ſive committi illae poſſent. Quandoquidem vero Marmoris ſeries a Diodori ſerie variis in locis diſſidet, ſuſpicari certe quis poterit aut Archontem aliquem in Diodori ſerie excidiſſe, aut in Marmore, ſeu Faſtis illis, quibus eiusdem Marmoris Auctor eſt uſus, adiectum eſſe. Ita *Laches* in Marmore ad annum 4. Olymp. XCIV. refertur; *Ariſtocrates* ad annum 2. Olymp. XCV. cum in Diodoro tamen *Ariſtocrates* ipſe proxime *Lacheti* ſuccedat, quippe quum *Laches* non anno 4. Olymp. XCIV. ſed anno 1. Olymp. XCV. collocetur. *Antigenes* etiam in Marmore ad annum 4. Olymp. XCII. refertur, qui in Diodori Faſtis ad annum 2. Olymp. XCIII. occurrit: cum tamen in *Pythea*, aliiſque pone ſequentibus Archontibus Marmor ipſum cum Diodoro in deſignandis illorum annis mirifice conſpiret. Quod vero ad Diodorum, ſimulque Dionyſium attinet, Archontum ſeries, quae ab illis contexitur, non ita ſemper aequabilis, & conſtans eſſe conſpicitur, ut una cum altera facile committi poſſit; & Archontes illi, qui ab utroque memorantur, ad unum eundemque Olympicum annum referri: quod a Meurſio tamen ubique factum conſpicimus. Siquidem primo lacunae quaedam in Diodori textu reperiuntur, quas Meurſius, Rhodomannus, atque Palmerius obſervarunt; quamvis illorum uterque verum ipſarum locum ignoraverit; ideoque non ſatis certe feliciter duos Archontes illos, quos excidiſſe putaverant, in Diodori textu ſuppleverint, & Archontem alium, quem certe deeſſe ego ſuſpicor, nuſpiam adiecerint, ut inferius oſtendam. In Dionyſio quoque una ſaltem lacuna eſſe debet, in qua duo Archontes exciderint. Etenim Dionyſius ipſe *in Dinarcho* (1) ſe 70. Archontes enumerare profitetur; at ſeries illa, quae in vulgatis omnibus Dionyſii Libris conſpicitur, quamvis u-

trum-

(1) Num.

trumque extremum computaveris, nonnisi 68. Archontes exhibet; ut duo proinde excidisse debeant, incertumque plane sit ubi lacuna constitui, Archontumque nomina suppleri, sive restitui debeant. Hinc mirari certe non possumus si in Meursio, ac Dodvello, qui utramque Diodori, ac Dionysii seriem temere commiserunt, hic mira prorsus perplexitas observetur: ut aegre coniici, vel divinari etiam posse videatur quaenam Archontum series in CXIII. CXIV. CXV. Olympiade censeri debeat. Atque eiusmodi quidem lacunae locus facilius in Diodoro constitui poterit, cum Archontum seriem per Olympiadas ille digesserit; ideoque facile deprehendi etiam potest quod in illo duo Archontum nomina, simulque duorum annorum historia desideratur: quamvis in depravato, ut ostendam, Diodori textu unico solum Archonti locus superesse videatur. Longe vero difficilius videtur verum in Dionysio lacunae locum deprehendere; cum ille sola Archontum nomina, non vero simul aetatem, aut olympicum annum designet, quo illorum aliquis Archontis munere perfunctus est.

VII. Exinde quoque, ut apparet, gravior difficultas alia suboritur in duobus illis Archontum Catalogis invicem committendis. Quamvis enim nulla prorsus lacuna aut in Diodoro, aut in Dionysio reperiretur; sed eadem prorsus nomina, illorumque series, & ordo utrobique constaret; incertum tamen obscurumque foret an Archontes illi ad unum eundemque annum olympicum tum a Diodoro, tum a Dionysio referantur: sed facile potius suspicari quis posset Archontem aliquem a Diodoro in certum quendam olympicum annum referri, qui ad annum alium olympicum a Dionysio revocetur; ut de Arundelliano Marmore est observatum: ideoque ex Dionysii testimonio Archontum quidem series, atque successio deduci, sed illorum tamen aetas, rerumque illarum tempus, quae Archontis eiusdem nomine insignitae fuerint, definiri non potest. Id intelligere, vel experiri facile poterit quicumque in Consulares Romanorum Fastos oculos coniecerit. Siquidem non alia de caussa incredibilis diligentia quaedam a doctissimis Viris in contexendis illis adhibenda fuit, nisi quod lacunae quaedam tum in *Catoniana*, tum etiam in *Varroniana* Consulum serie reperiuntur; & Consules illi, qui in

Catoniana Epocha ad certum aliquem Vrbis Conditae annum referuntur, in Varroniana ad annum alium diriguntur. Sic annus ille, qui in Catoniana Epocha est 305. ab V. C., in Varroniana est 307. & annus ille, qui in Varroniana 308. numeratur, in Catoniana, quae hic annum unum interserit, est 307. ut proinde Epochae vel series illae aliquando *unius*, aliquando etiam *duorum* annorum intervallo dissideant. Itaque, sicuti in Consularibus Fastis illis ex duabus Epochis, quae inter sese dissideant, una prius eligi, sive constitui debet, quae certior nimirum, atque accuratior habenda sit; atque in illa solum Consulum deinde situs, rerumque gestarum tempora designari; ita propemodum ex duplici Archontum serie prius una seligenda fuerat, quae certior, magisque exacta videatur; atque ad illam Archontum nomina, Atticaeque historiae tempora revocari: aut certe, si illarum utraque laudari debeat, sicuti in Consularibus Fastis ubi Consules quidam, vel historia Coss. nominibus insignita memoretur exprimi subinde debet Consules illos anno V. C. *Varroniano* 307. sed *Catoniano* 305. imperasse; ita quoque in digerendis Archontum, Graecarumque rerum temporibus exprimendum foret Archontem illum, iuxta Diodorum, ad annum aliquem olympicum referri; sed iuxta Dionysium ad superiorem, sive sequentem annum revocari; nisi prius perspicuis characteribus ostensum fortasse fuerit Archontem illum in utraque serie ad unum prorsus eundemque olympicum annum referri: quod Meursius tamen, aliique doctissimi Viri minime demonstrarunt. Itaque, ut ambiguitas illa sive perplexitas dirimatur, Archontum series, quae tum a Diodoro, tum a Dionysio, tum ab Arundelliano Marmore exhibetur, paullo nunc mihi subtilius, atque accuratius exploranda videbatur. Ac primo quidem ostendam Diodori seriem ceteris omnibus accuratiorem esse; ipsamque variis in locis, ubi lacunae irrepserint, ita restituere enitar, ut ceteris etiam omnibus plenior illa, atque integrior haberi debeat. Deinde vero seriem quoque a Dionysio traditam restituere satagam; atque ubi verum lacunae locum ostendero, & Archontes illos, qui exciderint, supplevero, seriem illam cum Diodori serie in designandis etiam olympicis annis mirifice conspirare demonstrabo: ut una proinde eadem-

que prorſus Archontum ſeries in duobus Scriptoribus illis in poſterum cenſeri debeat. Arundelliani vero Marmoris ſeriem ita ſubinde illuſtrare, vel explicare enitar, ut diſſidium illud, quo a ceteris illa aberrare conſpicitur, aliquando corrigi, aliquando vero conciliari poſſe confidam.

VIII. Atque, ut a Diodori ſerie exordiar, illa non modo plenior, ut antea dixi, ſed accuratior etiam, clariorque ceteris haberi debet. Cum enim ille per Olympiadas hiſtoriam digeſſerit, ſingulis olympicis annis Archontis nomen adſcripſit, qui Athenis imperavit, & Conſules, qui Romanae Reipublicae praefuerunt; quamvis in Conſulares Faſtos mirifice depravatos inciderit, ideoque in Conſulum nominibus, illorumque ſitu frequenter decipiatur. Itaque primo cuiuslibet Archontis ſitus in olympicis annis apud Diodorum perſpicue definitur; ſimulque intelligitur Archontes omnes in Diodori ſerie reperiri, qui initio ducto a *Calliade*, qui anno 1. Olympiadis LXXV. Archon fuit, ad annum uſque 3. Olymdiadis CXIX. quo *Nicocles* imperavit, dignitatem illam Athenis occuparunt. Cum tamen ille in Olympiade CXIV. & CXV. nonniſi *ſex* Archontum nomina expreſſerit, manifeſtiſſime inferri debet quod *duo* Archontes ibi exciderunt; ideoque in temporum illorum hiſtoria, ſive Diodori loco ingens hiatus, atque lacuna agnoſci debet, ut in ſubiecta ſerie conſpicitur.

	Archontes Diodori	*Conſules*		*Anni V.C.*	*Archontes Dionyſii*
Ol. 113. 1.	Euthycritus	*L. Plotius*	*L. Papyrius*	424.	Euthycritus
	Chremes	*P. Cornelius*	*A. Poſthumius*	426.	Hegemon
	Anticles	*L. Cornelius*	*Q. Publilius*	427.	Chremes
	Soſicles	*L. Cornelius Lentulus*	*Q. Publilius*	427.	Anticles
Ol. 114. 1.	Hegeſias	*C. Poetelius*	*L. Papyrius*	428.	Cephiſodorus
	Cephiſodorus	*L. Furius*	*Decimus Iunius*	429.	Philocles
	Philocles	*C. Sulpitius*	*Q. Aulius*	431.	Archippus
	Apollodorus	*Q. Publilius*	*L. Papyrius*	434.	Neaechmus
	Archippus	*Q. Aelius*	*L. Papyrius*	435.	Apollodorus
	Demogenes	*L. Plotius*	*M. Foslius*	436.	Archippus
Ol. 116. 1.	Democlides	*C. Iunius*	*Q. Aemilius*	437.	Demogenes
					Democlides

At neque ſolum ex Archontum ſerie, vel numero hiatus

 ille,

ille, sive lacuna Diodoro inesse conspicitur; sed ex ipso quoque Diodori testimonio, sive contextu facile demonstratur. Siquidem Diodorus ipse initio Libri XVIII. dicit quod Liber ille *ab Alexandri morte ad annum, qui proxime Agathoclis tyrannidem antecessit, per septem annorum ambitum finitur*; ideoque, cum Alexandri mortem in annum 1 Olymp. CXIV. & Agathoclis tyrannidem in annum 4 Olymp. CXV. retulerit, annus ille, qui proxime Agathoclis tyrannidem praecessit, erit 3 Olympiad. CXV. adeoque *septimus* ab Alexandri morte: ut proinde *septem* anni, illorumque Archontes hic a Diodoro descripti olim fuerint, quamvis *quinque* solum in Diodori textu nunc nobis occurrant. Ad haec Diodorus cap. 3. Libri XIX. cum de Heraclidis, atque Sosistrati imperio loquitur ait περὶ ὧν τὰ κατὰ μέρος ἡ πρὸ ταύτης περιέχει βίβλος *quae particulatim Liber hunc antecedens complectitur*; sicuti paullo inferius cap. 10 de illorum conspiratione disserens ait περὶ ἧς ἐν τῇ πρὸ ταύτης βίβλῳ κατὰ μέρος διήλθομεν *de qua proximo ante hunc Libro speciatim disseruimus*: & tamen in toto superiori Libro, ut ipse modo conspicitur, nihil de rebus illis disseritur. Itaque dubitari non poterit, quin in Diodori textu hiatus ille irrepserit, in quo duo Archontum nomina exciderint.

IX. Ac Meursius quidem (1), cum Diodori seriem cum altera Dionysii serie comparasset, duos Archontes illos excidisse putavit inter *Archippum*, atque *Demogenem*; ideoque cum *Archippum* a Diodoro memoratum in anno 1. *Demogenem* vero in 4. Olymp. CXV. collocaverit, *Neaechmum* a Dionysio numeratum Meursius cum Diodori *Archippo* confundit anno 1., atque *Apollodorum*, qui in Dionysio *Neaechmum* sequitur, ponit in Fastis anno 2. Olymp. CXV. *Archippum* vero *secundum* anno 3. ut tandem *Demogenes* anno 4. eiusdem Olympiadis subsequatur. Palmerius (2), & Rhodomannus (3) etiam Diodori interpres, cum *Apollodorum* a Diodoro memoratum Archontem fuisse velint anno 4. Olymp. CXIV. lacunam irrepsisse, duorumque Archontum nomina excidisse putant inter *Apollodorum*, & *Archippum*; ideoque proxime post Apollodorum a Diodoro memoratum *Neaechmum*, & *Apollodorum* alium ex Dionysio collocant, quorum

(1) De Arch. Ath. Lib. IV. c. 15. (2) Exerc. Pag. 140. (3) In Chronol. Diod.

rum ille anno 1. Olymp. CXV. hic vero 2. imperaverit. Ego vero doctissimos Viros illos hac in parte falli, verumque lacunae locum inter *Philoclem*, & *Apollodorum* constituendum esse putaverim; ut proinde post Philoclem *Archippus*, & post Archippum *Neaechmus* exciderint; ideoque, ut integra Archontum series & accurata in Diodoro habeatur, *Archippus* in anno 4. Olymp. CXIV. *Neaechmus* in anno 1. Olymp. CXV. restitui debeat, cui tandem *Apollodorus* in anno 2. eiusdem Olympiadis CXV. succedat. Ac certe quod inter Philoclem, & Apollodorum duo Archontes excidisse debeant manifeste nobis ostendit Consulum series, quae a Diodoro exhibetur. Cum enim *C. Sulpitius*, & *Q. Aulius*, vel ut emendatiores alii Fasti praeseferunt, *C. Sulpitius Longus*, & *Q. Aemilius Caeritanus*, qui a Diodoro una cum Philocle Athenis Archonte coniunguntur, Consules fuerint anno V. C. 431. *Quintus* vero *Publilius*, & *L. Papyrius*, vel ut emendatiores alii Fasti legunt, *Q. Publius Philo*, & *C. Papyrius Cursor*, qui cum Apollodoro coniuncti sunt, anno V. C. 434. in Fastis ipsis occurrant, quis aperte non videat, quod eodem ipso loco ubi duo Consulum paria, sive duorum annorum Consules desiderantur, duorum etiam annorum Archontes exciderunt; ideoque lacuna hoc ipso in loco, non vero in annis aliis agnosci debet, in quibus Consulum seriem accurate dispositam, atque perennem esse conspicimus? Ingenue quidem hic fateor probeque novi quod si series illa Romanorum Consulum a Diodoro disposita consulatur, Archon etiam alius inter Cephisodorum, & Philoclem deesse videretur, quod Consules illi, qui Cephisodoro coniunguntur, anno V. C. 429., illi vero, qui Philocli connectuntur, anno V. C. 431. imperaverint: ut proinde Consules, & Archon etiam excidisse videatur, qui anno V. C. 430. imperaverint. Sed observari etiam velim quod cum Romae eodem anno 430. nulli Consules electi fuerint, sed *L. Papyrius* Dictatoris imperio, ac dignitate Reipublicae praefuerit, fieri fortasse potuit, ut in Fastis illis, quos Diodorus exscripsit, L. Papyrii Dictatura expressa non fuerit; ideoque post Consules anni 429. alterius anni 431. Consules proxime sequerentur: ut proinde Diodorus, qui Cephisodoro Consules anni 429. coniunxerat, Philocli, qui pro-

proxime Cephisodorum ipsum excepit, Consules alios adiunxerit, qui proxime post superiores, omissa tamen Papyrii Dictatura, sequebantur.

X. Haec ipsa quoque Archontum, Consulumque comparatio manifeste nobis ostendit, quod hiatus ille cum Rhodomanno, & Palmerio inter *Apollodorum*, & *Archippum* constitui, ideoque ex Diodori calculo *Apollodorus* ad annum 4. Olymp. CXIV. referri, sive ab *Archippo* divelli non potest; alioquin inter Consules etiam, qui Apollodoro, & Consules alios, qui Archippo coniunguntur, Consules alii interseri, vel admitti deberent, quod Consularibus Fastis repugnat. Accedit etiam quod Diodorus cap. 57. in *Apollodoro* narrat literas ante *Xanthicum*, hoc est Elaphebolionem mensem, a Polysperchonte Eumeni scriptas esse, proximoque capite 58. *Archippo* iam Archonte diserte scribit eiusmodi literas Eumeni redditas fuisse: adeoque ex Diodori hypothesi inter *Apollodorum*, & *Archippum* duo Archontes alii, sive duorum annorum intervallum admitti non potest. At neque inter *Archippum*, atque *Demogenem*, ut Meursius existimaverat, Archontes illi excidisse, adeoque interseri possunt. Etenim Consules illi, qui Demogeni coniunguntur, proxime in Fastis post Consules alios sequuntur, qui Archippo respondent; sicuti rerum series, quae a Diodoro sub *Archippo*, & *Demogene* Archontibus contigisse memorantur, mirifice connexa, constans, aequabilis, atque continua conspicitur: ut nulla proinde hic lacunae suspicio esse possit. Deinde vero, si lacuna post Archippum reperiretur, Archippus ipse ad annum 1. Olympiadis CXV referri deberet, quod a constanti Diodori methodo maxime abhorret. Siquidem Diodorus ubi Archontem illum enumerat, qui primo alicuius Olympiadis anno imperavit, diserte etiam dicit quaenam fuerit Olympias illa, quae hoc Archonte inceperit, victorisque nomen apponit, qui in Olympicis Ludis palmam retulerit. At ubi *Archippi* nomen, annumque memorat, nullam prorsus de Olympiade, eiusve principio, & victore mentionem iniicit; ideoque Archippus ille ad annnm 1. Olympiadis CXV. referri non potest, atque lacuna inter Archippum, & Demogenem cum Meursio

sio collocari non poterit. Denique Diodorus ipse (1) perspicue docet *Archippo* Archonte Demetrium Phalereum Athenis a Cassandro praefectum fuisse; Laertius vero (2) conceptis verbis asseruit Phalereum dignitatem illam *decem* annorum spatio obtinuisse; quandiu nimirum Cassander ipse Athenis imperavit. Itaque, cum Cassander imperium illud amiserit *Anaxicrate* Archonte, nimirum anno 2. Olympiadis CXVIII. atque praesidium ab illo Munichiae impositum expulsum fuerit, ut ex Dionysio (3), Diodoro, aliisque pluribus erudimur, manifestissime inferri debet quod Demetrius Vrbi praeesse coepit anno 3 vel 4. Olymp. CXV. ideoque Archippus ille, quo Archonte Vrbis curam suscepit, ad annum 1. eiusdem Olympiadis cum Meursio referri non poterit.

XI. Sed quid coniecturis solum persequendis, simulque Palmerii, aliorumque opinionibus refellendis hic immoror, cum verum lacunae locum ex ipso Diodori contextu deprehenderim? Narrat Diodorus Alexandro mortuo funeris parandi curam Arrhidaeo comissam fuisse (4); ipsumque magnifica, atque admirabili pompa celebratum esse testatur anno, quo *Philocles* Archon fuit, postquam Arrhidaeus σχεδὸν ἔτη δύο περὶ τὴν κατασκευὴν τῶν ἔργων (5) *fere biennium in operis apparatu* insumpsisset. Itaque, cum Alexandri mors non Hecatombaeone mense, ut falso putavit Petavius (6), sed 28. Daesii Macedonici mensis, ut testatur Plutarchus (7), hoc est Targelionis Attici, ut nitide, diserteque scribit Aelianus (8), contigerit anno 1. Olymp. CXIV. *Hegesia* Athenis Archonte, atque *Cephisodorus* Archon Hegesiae successerit, ut Diodorus ipse demonstrat (9), manifestissime apparet funebrem Alexandri pompam in Philoclis Archontis annum optime a Diodoro referri, adeoque Philoclem a Cephisodoro disiungi non posse. At Diodorus ipse cum Craterum, ac Neoptolemum ab Eumene superatos esse dixisset, asserit in Aegypto Perdiccam a propriis militibus occisum esse cum triennii tempore imperium occupasset. Περδίκκας μὲν οὖν ἄρξας ἔτη τρία ἀπέβαλε τὴν ἡγεμονίαν, καὶ τὴν ψυχήν: (10) *itaque Perdiccas, cum triennium imperasset, imperium, & vitam amisit.*

(1) Lib. XVIII. c. 74. (2) Lib. V. seg. 75. (3) In Dinarcho num. 2. (4) Lib. XVIII. c. 3. (5) Ibi c. 28. (6) Doctr. Temp. in Chronol. (7) In Alex. (8) Var. Hist. Lib. II. c. 25. (9) Cap. 2. (10) Cap. 36.

sit. Ergo, cum Diodorus Perdiccae regnum *Cephisodoro* Archonte incepisse iam dixerit (1), hoc est ineunte anno 2. Olymp. CXIV. paullo post Alexandri regis interitum, ipsius mors in Philoclis Archontis anno, qui proxime Cephisodoro successit, iuxta Diodori calculum collocari non potest; ideoque, quamvis in vulgatis omnibus Diodori Libris Perdiccae mors sub Archonte *Philocle* reperiatur (2), in integro tamen ipsius textu antequam Eumenis victoria, sive Perdiccae interitus memoraretur, unius saltem Archontis nomen haberi olim debuit, sub quo Perdiccas tertio demum imperii anno, ideoque anno 4. Olympiadis CXIV., sive 1. CXV. mori potuerit. Ipsa quoque rerum gestarum series, quae hoc loco a Diodoro contexitur, satis, ut opinor, ostendit lacunam inter *Philoclem*, atque *Apollodorum* irrepsisse. Siquidem narrat (3) Eumenem a Perdicca in Hellespontum missum esse, ut Antipatro, & Cratero transitum in Asiam intercluderet; asseritque primo Neoptolemum, qui ab Eumene defecerat, profligatum fuisse; moxque Neoptolemum ipsum, simulque Craterum acri commisso praelio ab Eumene sublatos esse: ὗτος μὲν ὖν ἐπιφανεῖ μάχῃ νικήσας, κ̀ δύο μεγάλυς ἡγεμόνας ἀνελὼν, μεγάλης ἔτυχε δόξης. Ἀντίπατρος δὲ τὰς ἀπὸ τῆς φυγῆς διασωθέντας ἐκδεξάμενος κ̀ προσαναλαβὼν προῆγεν ἐπὶ Κιλικίαν σπεύδων βοηθῆσαι τῷ Πτολεμαίῳ. Περδίκκας δὲ πυθόμενος τὴν κατὰ τὸν Εὐμένην νίκην πολλῷ θρασύτερος ἐγένετο πρὸς τὴν εἰς Αἴγυπτον ϛρατείαν. ὡς δ' ἐγγὺς ἐγένετο τῦ Νείλυ. *Quod itaque insigni praelio victor duos magnae auctoritatis ductores interemisset, gloriam magnam consecutus fuit. Antipater vero exceptis qui ex fuga incolumes superfuerant, & recreatis, Ptolemaeo succurrere properans, in Ciliciam tendebat. Tum Perdiccas victoria Eumenis audita multo confidentior ad expeditionem in Aegyptum persequendam evasit. Cum igitur Nilo appropinquasset*...(4). Deinde memorat a Perdicca in Aegypto Castellum, quod *Murus Camelorum* dicitur, obsessum esse, sed ἐπὶ πολὺν χρόνον τῆς τειχομαχίας συνεϛώσης, *oppugnatione ad longum tempus extracta*, obsidionem illam a Perdicca relictam esse, ipsumque Memphin properasse, ibique a suis equitibus confossum interiisse cum tres in imperio annos exegisset. Denique repente subdit μετὰ δὲ τὴν τύτυ τελευτὴν εὐθὺς ἧκόν τινες ἀπαγγέλλοντες ὅτι, παρατάξεως γενο-

(1) Cap. 2. (2) Lib. XVIII. c. 36. (3) Cap. 29. (4) Cap. 33.

γενομένης περὶ Καππαδοκίαν, Ε'υμένης νενίκηκε, Κρατερὸς δὲ κὶ Νεοπτόλεμος ἡττηθέντες ἀνήρυντο. Τῦτο δ' εἰ δυσὶ πρότερον ἡμέραις ἐγένετο τῆς Περδίκκυ τελευτῆς, ὐδεὶς ἂν ἐτόλμησε τὰς χεῖρας Περδίκκᾳ προσενεγκεῖν διὰ τὸ μέγεθος τῆς ἐυημερίας [1]. *Post huius interitum quidam nunciatum venere quod praelio ad Cappadociam commisso vicisset Eumenes; Craterus autem, & Neoptolemus cum vitae iactura succubuissent. Quod si pridie Perdiccae mortem antevertisset, nemo illi manus, propter successus magnitudinem, ausus fuisset inferre.* Quis cum superioribus ista componat, si omnia ad unum, eundemque Philoclis Archontis annum referri debeant? Certe, si Eumenis victoria in Cappadocia parta, simulque Crateri, ac Neoptolemi interitus Perdiccae, ceterisque iam cognitus Perdiccam impulit, ut alacrius in Aegyptum contenderet, quî fieri demum potuit ut Eumenis victoria in Aegypto nonnisi post Perdiccae mortem nunciata fuerit, quam duodecimo a Perdiccae ipsius interitu die in Aegypto innotuisse Plutarchus [2] etiam asseruit? Quod si fortasse Perdiccas non a secunda illa Eumenis victoria, qua utrumque Ducem peremit, sed a prima potius leviorique excitatus fuit, qua Neoptolemum a se deficientem in fugam Eumenes coniecit, exinde quoque manifestissime inferri debet quod Perdiccae interitus, ac insignis illa Eumenis victoria ad *Philoclis* Archontis annum, hoc est 3. Olymp. CXIV. referri non potest. Siquidem Plutarchus nitide, diserteque testatur Eumenis pugnam adulta iam aestate, dum spicae in calycibus erant, contigisse, atque a prima Eumenis victoria ad secundam *decem* dies intercessisse; moxque Perdiccam in Aegypto sublatum esse. Ergo Perdiccae interitus ex Diodori, simulque Plutarchi calculo non ad *Philoclis*, sed ad sequentis Archontis annum, referri debet, cuius nomen in Diodori textu inter *Philoclis*, & *Apollodori* nomen exciderit, quique anno 4. Olymp. CXIV. imperaverit. Ad haec Diodorus ipse testatur Antigonum, postquam Perdiccas e vivis excesserat, ac imperii summa penes Ptolemaeum reperiebatur, *ex hybernis* in Cappadociam, ubi victor Eumenes adhuc morabatur, exercitum movisse [3]; Eumenem ab Antigono profligatum in Noram Phrygiae Castellum confugisse, atque exinde ενιαυσίυ ὕσης πολιορκίας *post annuam obsidionem* exiisse [4];

 quem-

(1) Cap. 36. 37. (2) In Eumene. (3) Cap. 40. (4) Cap. 53.

quemadmodum Nepos asserit Eumenem in Nora *hyemem* transegisse, ac ineunte vere, simulata deditione, incolumem evasisse. Itaque ex Diodori hypothesi Antigoni contra Eumenem expeditio non ad *Philoclis* Archontis annum, hoc est 3. Oly. CXIV. ut in depravato Diodori textu modo conspicitur, sed ad sequentem potius Archontem, atque annum manifestissime referri debet; quemadmodum annua Eumenis obsidio in Nora, atque *hyberna* militum, & equorum exercitatio non ad *Philoclem* ipsum, ut in hiulco Diodori textu exhibetur, sed ad Archontem alium revocari debet, qui anno 1. Olymp. CXV. imperaverit, atque in Diodori textu, praecedentis instar, exciderit. Ergo cum Diodorus Eumenis exitum ex Nora ad *Apollodori* Archontis annum revocaverit (1), dubitari certe non poterit, quin *Apollodorus* iste anno 2. Oly. CXV. imperaverit, adeoque inter *Philoclem*, & *Apollodorum* duo Archontum nomina prorsus exciderint; & hiatus ille, sive lacuna, quam Meursius, Palmerius, aliique doctissimi Viri Diodoro inesse iam viderant, hoc uno in loco contra Meursii, Palmeriique sententiam admitti debeat.

XII. Hic ipse quoque lacunae locus ex rebus a Sosistrato, & Heraclide in Italia, ac Sicilia gestis inferri fortasse poterit, quas in XVIII. Diodori Libro desiderari perspicuo Diodori ipsius testimonio iam demonstravi (2). Itaque initio Libri XIX. narrat Diodorus se in *praecedenti* Libro Heraclidis, Sosistratique ingenium, caedes, ac vitia descripsisse dum ipsos Crotoniatis, qui a Brutiis obsidebantur, suppetias tulisse memoraret. Tum subdit Sosistratum Crotone reducem in patria Syracusis principatum occupasse; atque Acestoridem post varios casus illi in principatu successisse; tandemque subdit, Acestoride, aliisque profligatis, Agathoclem patriae tyrannidem adeptum esse. Itaque cum a Troia diruta ad annum illum, qui Agathoclis tyrannidem praecessit, 866. annos fluxisse dixerit Diodorus (3), alibique a Troiae excidio ad initium Olympiadum 408. annos numeraverit (4), manifestissime inferri debet quod Agathoclis principatus anno 4. Olymp CXV. *Demogene* Athenis Archonte incaepit. Ergo Heraclidis iter Crotonem; simulque cetera, quae κατὰ μέρος *singillatim*, suisque in locis a se descripta Diodorus ipse te-

sta-

(1) Cap. 53. (2) Lib. XIX. c. 3. (3) Lib. XVIII. in fine. (4) Lib. I. initio.

ftatur, ad annum 3. Olymp CXV. referri certe non poterunt, longeque, ut opinor, verisimilius censeri facile poterit quod Heraclidis iter Crotonem in annum 4. Olympiadis CXIV. inciderit, ut Sosistrati reditus, ac principatus ad annum 2. Olymp. CXV.; atque Acestoridis imperium ad sequentem annum 3. eiusdem Olympiadis commode referatur. Exinde vero satis aperte deduci poterit, quod quamvis in Diodori Libris inter *Philoclis*, & *Apollodori* Archontis annum hiatus irrepserit, non integra tamen duorum annorum historia desideratur, neque proinde lacuna in uno, eodemque loco, sed in variis potius admissa fuit; quae sane feliciter ubique indicari, riteque suppleri non poterit, nisi ex Mss. Codicibus splendor aliquis, ac praesidium accedat. Interim tamen perspicuis, opinor, characteribus demonstravi quod *Archippus* a Diodoro memoratus a *Demogene* seiungi non potest; ideoque Archontes illi, qui in Diodori textu exciderunt, inter *Archippum*, atque *Demogenem* interseri non possunt, ut Meursius existimaverat; quemadmodum certe *Archippus* ipse ab *Apollodoro* divelli non potest, adeoque lacuna, vel Archontum defectus inter *Apollodorum*, & *Archippum* effingi non poterit, ut Palmerio videbatur; sed hiatus ille, lacuna, vel Archontum defectus inter *Philoclem*, & *Apollodorum* admitti debet: quamvis hiatus alii, vel maxima rerum perturbatio, in integro fere XVIII. Libro irrepserint; ac Diodorus ipse subinde aberraverit: ubi praesertim Eumenis mortem *Democlide* Archonte, hoc est anno 1. Oly. CXVI. contigisse memorat; cum ex perspicuo Plutarchi, & Nepotis calculo Eumenis mors in annum 2. exeuntem, vel 3. ineuntem Oly. CXV. inciderit, ut suis in locis in Fastis Atticis ostendetur.

XIII. Qui vero fuerint Archontes illi, qui in Diodori textu exciderunt, facile ex Dionysio deprehendi potest. Etenim in Dionysii serie post Philoclem sequitur Archippus, & Archippo Neaechmus succedit; ut proinde ex Diodori calculo iam constituto Archippus quidem ad annum 4. Olymp. CXIV. Neaechmus vero ad annum 1. sequentis Olympiadis CXV. referri debeat. Ac Neaechmus quidem a Dionysio memoratus unus idemque mihi videtur esse cum illo, qui in veteri hac Inscriptione nominatur, ut Sponius ipse coniecerat, qui Marmor Athenis exscripsit

ΘΡΑΣΥΛΛΟΣ ΘΡΑΣΙΛΛΟΥ ΔΕ
ΚΕΛΕΥΣ ΑΝΕΘΗΚΕΝ
ΚΟΡΗΓΩΝ ΝΙΚΗΣΑΣ ΑΝΔΡΑ
ΣΙΝ ΙΠΠΟΘΟΩΝΤΙΔΗΙ ΦΥΛΗΙ
ΕΥΙΟΣ ΚΑΛΚΙΔΕΥΣ ΗΥΛΕΙ ΝΕ
ΑΙΧΜΟΣ ΗΡΧΕΝ
ΚΑΡΚΙΔΑΜΟΣ ΣΩ
ΤΙΟΣ ΕΔΙΔΑΣΚΕΝ (1)

Thrasyllus Thrasylli filius *De-celensis dicavit*
cum Choragum agens vicisset choro Virorum pro Hippothoontide Tribu.
Evius Chalcidensis modos fecit, Neaechmus Archon erat,
Carcidamus Sotius Fabulam docuit.

Itaque, nisi cum Sponio hic ego fallor, Neaechmi nomen, ac principatus non ex Dionysio solum, sed etiam ex hoc ipso Marmore demonstratur. Quod vero ad reliquos Archontes attinet, qui in Olympiade CXIV. a Diodoro memorantur, ipsorum singulos in annis illis olympicis rite collocatos esse, quibus ipsi imperarunt, facile ex Scriptoribus aliis ostendi posset. Ita *Hegesiam* anno 1. Olymp. CXIV. imperasse scribit Arrianus (2); Dionysius (3) asserit Aristotelem post Alexandri mortem, *Cephisodoro* Archonte, in Chalcidem secessisse; Laertius (4) ait Aristotelem Archonte *Philocle* anno 3. Olympiadis CXIV. obiisse; ac Diodorus ipse cum Alexandri mortem *Hegesia* Athenis Archonte, simulque anno 1. Olymp. CXIV. contigisse dixisset (5), cadaver ipsius ab Arrhidaeo magnifice elatum esse commemorat Archonte *Philocle*, postquam *biennium fere in operis structuram consumptum fuerat*; ideoque inter *Hegesiam*, & *Philoclem* Archontem alium optime collocavit. Ergo Archontum series Olympiade CXIV. ita contexi debet, ut *Hegesias*, *Cephisodorus*, *Philocles*, & *Archippus* in illa imperaverint; in Olympiade vero CXV. *Neaechmus*, *Apollodorus*, *Archippus*, & *Demogenes* Archontis munere perfuncti fuerint.

XIV.

(1) Spon. Pop. Attic. Artic. 35. (2) De Exped. Alex. Libr. VII. (3) Epistol. ad Ammae. (4) Libr. V. seg. 10. (5) Libr. XVIII. capite 28.

XIV. Longe difficilius videtur veram Archontum seriem in Olympiade CXIII. contexere cum Diodorus hoc etiam loci a Dionysio dissideat; & quatuor Archontes omnes illius Olympiadis in Diodoro habeantur, ut nullus proinde vacuus in ipso locus supersit, qui *Hegemoni* tribuatur, quem in Dionysii serie post *Euthycritum* conspicimus; atque inter Archontes numerandum esse demonstrat Arrianus (1), qui Porum Indorum Regem ab Alexandro superatum esse testatur Munichione mense *Hegemone* Athenis Archonte. Liberior fortasse ego videar, nimiumque coniecturis indulgeam si Diodori textum hoc etiam loco vitiatum esse, duplexque mendum Diodoro inesse ego dixerim, quorum nullum Palmerius, Rhodomannus, Meursius, aut quispiam alius observaverit. Ne quidpiam tamen dissimulem, quod corrigendis, vel illustrandis etiam Diodori Fastis conferre possit; accuratissimi Scriptoris textum duobus omnino in locis vitiatum existimo: ut *Hegemonis* nempe nomen exciderit, qui anno 2. Olymp. CXIII. imperavit; atque insuper etiam *Sosicles* ille, qui in Diodoro nobis occurrit, ad annum 4. eiusdem Olympiadis, in ipsius textum irrepserit: ut si proinde in Diodori Fastis *Hegemon* ille, qui exciderat, restituatur; simulque *Sosicles*, qui intrusus est, expungatur, idem omnino Archontum numerus, eademque series in Diodoro sit futura, quae in Dionysio conspicitur.

XV. Ac primo quod inter *Euthycritum*, & *Chremetem* Archon aliquis in Diodoro exciderit argumento esse debet Consulum series, qui Archontibus illis coniunguntur. Siquidem Consules *Euthycrito* coniuncti incidunt in annum V. C. 424. Consules vero, qui *Chremeti* respondent, ad annum 426. referri debent; ideoque in Diodoro deesse debent Consules anni 425. cum anno illo *Anarchia* Romae non fuerit; & Archon etiam ille, qui Consulibus illis respondens anno 2. Olymp. CXIII. Athenis imperaverit, quem ex Dionysii, simulque Arriani testimonio *Hegemonem* fuisse iam vidimus. Neque solum ex Consulum defectu Archontis huius defectus inferri poterit, sed ex ingenti quoque lacuna, quam hic in Diodori historia reperiri Rhodomannus ipse iam viderat; quamvis ille Archontis *Hegemonis* nomen, annumque excidisse

(1) Expéd. Alex. Libr. V.

diſſe minime ſuſpicaretur. Integri vero anni unius hiſtoriam, reſque plurimas eodem anno ab Alexandro geſtas omiſſas eſſe facile ex Arriano, Curtio, & rerum indice, quem Diodorus ipſe XVII. Libro praefixit, agnoſci poteſt; ut nullus proinde dubitandi locus ſuperſit quin *Euthycriti* Archontis anno iam abſoluto ſequentis anni principium, *Hegemonis* nomen, ſimulque Conſulum, qui anno V. C. 425 imperarunt, Alexandri denique geſta in Diodori textu reperirentur, quae ſingula ingens ille hiatus abſorbuerit. Itaque in Diodori ſerie hic *Hegemon* reſtitui debet, qui poſt *Euthycritum*, ante *Chremetem*, anno 2. Olymp. CXIII. imperaverit, atque illo Archonte Munichione menſe Porus ab Alexandro victus fuerit, ut ab Arriano erudimur. Quod ſi Diodorus ipſe Pori cladem ineunte *Chremetis* anno memoravit, non inde tamen inferri poterit aut Pori exitium, aut Chremetis principatum iuxta Diodori calculum in anno 2. Olympiadis CXIII. collocandum eſſe. Siquidem Diodorus, ut eſt a Petavio, aliiſque pluribus obſervatum, res geſtas uno ſerius anno conſignare ſubinde ſolet, & ea, quae *primo* ex. gr. Olympiadis alicuius anno iam exeunte contigerunt, ad ſequentis anni *ſecundi* ptincipium referre. Itaque, cum Porus Munichione menſe, hoc eſt anno 2. Olympiadis CXIII. iam exeunte victus fuerit, facile ad ſequentis anni principium cladem illam referre, ideoque ſub *Chremete* Archonte memorare potuit Diodorus. Ac certe, ſi Pori exitium Munichione menſe non *Hegemonis*, ſed *Chremetis* anno contigiſſet, ſpatium temporis omnino iam deerit, quo Alexander tot alia bella, atque itinera ſuſcipere potuerit, quae tamen poſt Pori cladem Diodorus *Chremete* adhuc Archonte contigiſſe narrat.

XVI. Quod vero *Soſicles* ex Diodori Faſtis expungi, vel unus idemque cum *Anticle* cenſeri debeat argumento certe eſſe poterit, quod iidem omnino Conſules tum *Anticli*, tum etiam *Soſicli* coniunguntur; atque inter Conſules illos, qui *Anticli*, alioſque Conſules, qui mox *Hegeſiae* connectuntur, Conſules alii interſeri, vel admitti non poſſunt; ideoque nec Archon ullus aut olympicus annus inter *Anticlis*, & *Hegeſiae* principatum agnoſci poteſt. Accedit etiam quod Archonte *Soſicle* nihil propemodum a Diodoro memoratur; ſed annus ille paucis omnino lineis abſolvitur: quod fieri pro-

profecto non poterat si *Soficlis* Archontis annus ab *Anticlis* anno distinctus esset. Postremo Dionysius [1] asserit Orationem *de Donis* habitam esse a Demosthene Ἄρχοντος Αντικλέυς περὶ τὴν Ἀλεξάνδρυ τελευτὴν *Archonte Anticle*, *circa Alexandri mortem*; ideoque cum Alexander anno 1 Olympiadis CXIV. iam exeunte, *Hegesia* Archonte, e vivis excesserit, inter *Anticlem*, & *Hegesiam* olympicus annus, & Archon alius facile admitti uon poterit. Itaque suspicor in Diodori textu prius lacunam illam irrepsisse, in qua *Hegemonis* Archontis annus, & nomen exprimebatur; deinde vero, cum in exscribendo Diodori codice Librarius observasset tres solum in Diodori serie Olympiadis CXIII. Archontes memorari, duos ex *Anticle*, vitiata fortasse codicis alterius lectione deceptus, Archontes fecit; ac si *Anticles* anno 3. Olympiadis, *Sosicles* vero anno 4. imperasset: cumque diversum Consulum par non haberet, quos *Soficli* coniungeret, eosdem illos repetendos esse putavit, qui superius *Anticli* coniuncti fuerant; atque ita interpolato Diodori textu Archontum seriem mirifice perturbavit. Fieri quoque potuit, idque ego sane verisimilius existimo, duos Archontes illos uno eodemque olympico anno, iisdemque proinde Consulibus, imperasse quod *Anticli* fortasse defuncto vel abrogato *Sosicles* suffectus fuerit: illudque semper perspicuum satisque iam demonstratum erit, quod in Diodori serie *Hegemon* ad annum 2. Olympiadis CXIII. restitui, atque inter *Chremetem*, & *Hegesiam* unicus omnino olympicus annus admitti debet: ideoque Archontum series in tribus illis Olympiadibus mirifice perturbata ad faciem illam conformari, quam perspicuis hactenus, ut opinor, certisque rationibus demonstravi. Atque ista quidem de Eponymorum Archontum serie, quae apud Diodorum reperitur, & quam, suppletis lacunis omnibus, resectisque laciniis, quae irrepserant, ita correctam, atque illustratam esse confido, ut omnium optima, atque accuratissima censeri iam debeat.

XVII. Nunc ad seriem illam convertar, quae a Dionysio *in Dinarcho* contexitur, quam mutilam, & hiulcam esse iam dixi; ideoque prius suis in locis suppleri illa debet, ut exinde testimonia proferri possint; deinde vero cum altera

(1) In Dinarcho numer. 13.

ra Diodori ſerie committi. Ac initio quidem quod in eiuſmodi Dionyſii ſerie duo omnino Archontes exciderint ex eodem Dionyſii contextu manifeſtiſſime inferri debet. Siquidem ille *in Dinarcho*, ut oſtenderet characteres, quibus genuinae Dinarchi Orationes a ſpuriis ſecerni poſſent, ita ait: ἐπεὶ δ' ἀναγκαία πρὸς ταῦτα ἡ τῶν χρόνων διάγνωσις, τὰς Ἀθήνησιν ἄρξαντας, ἀφ' οὗ Δείναρχος ὑπεθέμεθα γεγονέναι χρόνου μέχρι τῆς δοθείσης αὐτῷ μετὰ τὴν φυγὴν καθόδου, γενομένους ἑβδομήκοντα, προσθήσομεν. Εἰσὶ δέ οἵδε Νικόφημος κ. τ. λ. *Cum vero ad ea neceſſaria ſit ipſa temporum notitia, & diſcrimen, Atheni enſium Archontes iam inde ab eo tempore, quo Dinarchum natum eſſe ſupponimus, uſque ad reditum illius ab exilio, qui ſeptuaginta fuerunt, praeponemus. Sunt autem iſti* (1)

	1. Nicophemus.		24. Chaerondas.	Praxibulus.
Ol. 105.	2. Callimedes.		25. Phrynicus.	. Nicodorus.
	3. Euchariſtus.	Ol. 111.	26. Pythodemus.	. Theophraſtus.
	4. Cephiſodotus.		. Evaenetus.	Polemon.
	5. Agathocles.		. Cteſicles.	Simonides.
Ol. 106.	6. Elpines.		. Nicocrates.	Hieromnemon.
	7. Calliſtratus.		. Nicetas.	Demetrius.
	8. Diotimus.		. Ariſtophanes.	Caerimus.
	9. Eudemus.		. Ariſtophon.	56. Anaxicrates.
Ol. 107.	10. Ariſtodemus.		. Cephiſophon.	57. Coraebus.
	11. Theſſalus.		. Euthycritus.	58. Euxenippus.
	12. Apollodorus.		. Hegemon.	59. Pherecles.
	13. Callimachus.		. Chremes.	60. Leoſtratus.
Ol. 108.	14. Theophilus.		. Anticles.	61. Nicocles.
	15. Themiſtocles.		. . . .	62. Calliarchus.
	16. Archias.		. . . .	63. Hegemachus.
	17. Eudorus.		. Cephiſodorus.	64. Euctemon.
Ol. 109.	18. Lyciſcus.		. Philocles.	65. Mneſidemus.
	19. Pythodotus.		. Archippus.	66. Antiphates.
	20. Soſigenes.		. Neaechmus.	67. Nicias.
	21. Nicomachus.		. Apollodorus.	68. Nicoſtratus.
Ol. 110.	22. Theophraſtus.		. Archippus.	69. Olympiodorus.
	23. Lyſimachides.		. Demogenes.	70. Philippus.
	Chaer.		Democlides.	
			Praxi-	

Quis hic aperte non videat quod, quamvis etiam uterque terminus includatur, nonniſi tamen *ſexaginta & octo* Archontes

(1) Numer. 9.

tes in eiuſmodi Dionyſii ſerie nobis occurrunt, ideoque ex illa *duo* Archontes excidiſſe debent? Id quidem optime nuperrimus etiam Dionyſii Interpres Hudſonus obſervavit; atque ex Diodoro (quod proclive profecto fuerat) *Soſiclem*, & *Hegeſiam* in Dionyſii ſerie ſupplendos eſſe putavit: ac ſi duobus Archontibus illis in Dionyſio reſtitutis integra illorum ſeries conſtare, atque cum altera Diodori ſerie coniungi poſſet; cum tamen in eadem ipſa Olympiade *Hegemonis* nomen in Dionyſio nobis occurat, qui in Diodori Faſtis adiungi non poteſt, niſi Diodorus ipſe, eiuſque contextus ſubtilius, atque accuratius exploretur, ideoque *Soſicles* ex annuis Archontibus expungatur. Mihi vero utramque ſeriem illam, quae tum a Diodoro, tum a Dionyſio contexitur, accuratius excutienti ſuſpicio ſuboritur quod hic ab Hudſono Dionyſii ſeries rite ſuppleta non fuerit, cum Soſicles Archon ille, etiam ex Dionyſii calculo, ex annuorum Archontum numero ſit eximendus. Deinde vero Dionyſii ſeries, atque lacuna ex Diodoro ſuppleri non poterit, niſi prius oſtendatur utramque ſeriem illam accurate in ceteris conſpirare: quod ambiguum tamen, obſcurumque maxime cenſeri debet; neque ab Hudſono certe, Meurſio, vel Scriptoribus aliis oſtenditur. Itaque Dionyſii ſeriem, atque lacunam ex ſolo Dionyſii contextu explorandam, mihique demonſtrandam eſſe putavi: ut quod olim coniecturis ſolum Scriptoribus aliis affulſerat, perſpicue in poſterum, certoque demonſtratum videatur.

XVIII. Atque illud in primis obſervari nunc velim, quod Archontum defectus, ſive lacuna inter *Nicophemum*, ac *Pythodemum* admitti non poteſt. Siquidem Dionyſius *in Dinarcho* num 4 conceptis verbis aſſeruit quod Pythodemus a Nicophemo *vigeſimus ſextus* eſſe debet: ἕκτος δὲ καὶ εἰκοστὸς ἐστιν ἀπο Νικοφήμου Πυθόδημος, prorſus ut in ſuperiori ſerie conſpicitur Ad haec Dionyſius ipſe *in Epiſtola ad Ammaeam* Archontes omnes enumerans a *Calliſtrato* ad *Lyſimachidem*, illos eodem prorſus ordine recenſet, qui in eadem ſuperiori ſerie obſervatur; ideoque lacuna ante Pythodemum eſſe non poterit. Perſpicuum eſt etiam quod hiatus ille, ſive lacuna inter *Anaxicratem* atque *Philippum* collocari non poteſt. Etenim Dionyſius de Dinarcho loquens num. 2. ſic ait: καὶ ἐλθὼν

θῶν εἰς Χαλκίδα τὴν ἐν Εὐβοίᾳ τὸν ἀπ' Ἀναξικράτȣ ἕως Φιλίππȣ πεντεκαίδεκα ἔτη γενόμενον χρονον ἐκεῖ διέτρ ψεν (1) *& in Chalcidem Euboeae secedens ab Anaxicrate usque ad Philippum* Archontem, *quindecim scilicet annorum spatio, ibi vixit:* & certe Philippus ab Anaxicrate, utroque nimirum extremo, ut Dionysius solet, computato, *quintusdecimus* esse conspicitur. Itaque lacuna, vel Archontum defectus inter *Pythodemum*, & *Anaxicratem* esse debet. Sed quid hic plura iam persequar? cum hiatus ille ex ipso Dionysii contextu inter *Anticlem*, & *Cephisodorum* irrepsisse nitide deprehendatur: quod Meursius quidem, Petavius, Hudsonus non ex Dionysio ipso certe, quod maxime tamen intererat, sed ex Diodoro solum collegerunt. Itaque Dionysius (2) in supputanda Aristotelis aetate asserit illum *Diotrephe* Athenis Archonte Olympiade IC. natum esse, tribusque annis Demosthene seniorem fuisse; cumque Demosthenem anno ante C. Olympiadem, adeoque anno 4. Olympiadis IC. natum dixerit (3), manifeste conspicitur quod Dionysius Aristotelis nativitatem, ideoque *Diotrephis* principatum in anno 1. Olymp. IC collocavit. Deinde subdit Dionysius quod Aristoteles *Polyzelo* Archonte *decimum octavum*, *Theophilo* vero Archonte *trigesimum septimum* aetatis annum agebat; atque *Eubulo*, sive *Eudoro* Archonte Mytilenem adiit, sub *Pythodoro* Philippum convenit, ibique per annos octo moratus est: μετὰ δὲ τὴν Φιλίππȣ τελευτὴν ἐπ' Εὐαινέτȣ Ἄρχοντος ἀφικόμενος εἰς Ἀθήνας ἐσχόλαζεν ἐν Λικείῳ χρόνον ετῶν δώδεκα. τῷ δὲ τρισκαιδεκάτῳ, μετὰ τὴν Ἀλεξάνδρȣ τελευτὴν, ἐπὶ Κηφισοδώρȣ Ἄρχοντος ἀπάρας εἰς Χαλκίδα νόσῳ τελευτᾷ, τρία πρὸς τοῖς ἑξήκοντα βιώσας ἔτη (4). *Post mortem vero Philippi, Evaeneto Archonte, Athenas veniens scholam habuit in Licaeo annis duodecim. Tum tertio decimo, post Alexandri mortem, Cephisodoro Archonte, secedens in Chalcidem morbo ibidem interiit, cum sexaginta & tres annos vixisset.* Characteres, & Archontes isti perspicue nobis, constanterque demonstrant quod Aristoteles anno 1. Olymp. IC. in lucem est editus, & *sexagesimus tertius* ipsius aetatis annus incidere debet in 3. Olympiadis CXIV. cumque annus ille, quo in Chalcidem abiit, fuerit *tertius decimus* ab illo, quo Athenas redierat, *Cephisodorus* etiam, quo Archonte Aristoteles in Chalcidem secess-

(1) In Dinar. num. 2. (2) Epist. ad Amm. num. 5. (3) Ibi num. 4. (4) Ibi num. 5.

ſeceſſiſſe, vitamque deſeruiſſe dicitur, *tertius decimus* eſſe debet ab *Evaeneto*, quo Athenas reverſus ſcholae praeeſſe caepit. At in Dionyſii ſerie, prout illa in depravato, mutiloque textu modo conſpicitur, *Cephiſodorus* ab Evaeneto nonniſi *duodecimus* haberi poſſet, ergo ex Dionyſii calculo ante Cephiſodorum Archon unus excidiſſe debuit; *Hegeſias* nimirum ille, qui non a Diodoro ſolum, ſed ab Arriano quoque memoratur, quo Archonte Alexander obierit anno 1. Olymp. CXIV. ut Dionyſius ipſe ſatis innuere videtur, qui Ariſtotelis mortem poſt Alexandri Macedonis obitum alicubi conſignavit.

XIX. Sed gravis hic tamen, atque inextricabilis propemodum difficultas ſuboritur, quae Archontum ſeriem hic a Dionyſio traditam mirifice perturbet. Etenim, ſi *Hegeſias* hic ſolum excidiſſe dicatur, ideoque Cephiſodorus ad annum 2. Philocles ad 3. Olympiadis CXIV. ex Dionyſii calculo referatur, Archontum quidem ſeries a Dionyſio contexta cum Diodori ſerie, atque Scriptoribus aliis mirifice conſpirabit; ſed Archontes illi non *ſeptuaginta*, ut Dionyſius promiſerat, ſed ſolum *ſexagintanovem* ſunt futuri. Sin vero praeter *Hegeſiam* Archon etiam alius in Dionyſii ſerie adiungatur, integer quidem *ſeptuaginta* Archontum numerus haberi poterit; ſed Cephiſodori principatus in annum 3. Olympiadis CXIV. conferetur; & Philocles in anno 4. eiuſdem Olympiadis collocandus erit: quod a Diodori, aliorumque Scriptorum teſtimonio maxime abhorret, qui *Philoclis* principatum, atque Ariſtotelis mortem anno 3. Olymp. CXIV. conſignant. Laertius certe, qui ſingula Ariſtotelis tempora ex Apollodori Chronicis iiſdem prorſus Archontum nominibus & annorum numero expreſſit, quem ex Dionyſio ſuperius exhibuimus, haec tandem ait: εἰς δ' Ἀθήνας ἀφικέσθαι τῷ δευτέρῳ ἔτει τῆς ἑνδεκάτης κ̓ ἑκατοςῆς ὀλυμπιάδος. κ̓ ἐν Λυκείῳ σχολάσαι ἔτη τρία πρὸς τοῖς δέκα. εἶτα ἀπᾶραι εἰς Χαλκίδα τῷ τρίτῳ ἔτει τῆς τετάρτης κ̓ δεκάτης κ̓ ἑκατοςῆς ὀλυμπιάδος, κ̓ τελευτῆσαι ἐτῶν τριῶν που κ̓ ἑξήκοντα νόσῳ ὅτε κ̓ Δημοσθένης κατεςρέψαι ἐν Καλαβρίᾳ ἐπὶ Φιλοκλέους (1). *Athenas vero conceſſiſſe anno 2. Olympiadis CXI. atque in Licaeo treſdecim annos docuiſſe; ac demum perrexiſſe Chalcidem anno 3. Olymp. CXIV. morboque periiſſe, cum eſſet*

 anno-

(1) Laert. Lib. V. ſeg. 10.

annorum ferme sexagintatrium. Quo etiam tempore Demosthenes in Calauria defunctus sit, sub Archonte *Philocle*. Itaque Aristotelis secessum in Chalcidem, eiusque mortem Laertius Archonte *Philocle* annoque 3 Olympiadis CXIV. contigisse testatur, in quem optime *sexagesimus tertius* aetatis annus incidisse conspicitur, cum Aristoteles ipse anno 1 Olympiadis IC. a Laertio natus dicatur (1). Ergo Archon Philocles ab anno 3. ipsius Olympiadis dimoveri non potest; ideoque in Dionysii serie nonnisi Archon unus ante Cephisodorum admitti debet; ut in eiusmodi proinde serie *sexagintanovem* solum Archontes sint futuri. Sin vero duo Archontes interserantur, ut *septuaginta* Archontum numerus habeatur, Dionysii series a Scriptorum omnium calculo, vel Fastis omnibus aberrabit; atque Aristoteles non amplius Archonte Philocle, annoque 3. Olymp. CXIV., sed Cephisodoro potius Archonte obiisse dicetur, qui in annum istum olympicum retrahatur. Tantum tamen abest ut in accuratissimo hoc Scriptore, qui cum Diodoro, ceterisque Scriptoribus omnibus mirifice conspirat, eosdemque ac illi Fastos exscripsisse videtur, hoc ipso loco dissensum istum inesse existimem, ut Dionysii seriem hic quoque cum Diodori, Laertii, aliorumque serie vel calculo conspirare putaverim.

XX. Ut autem perplexitas illa, ac repugnantia, quae Dionysio inesse conspicitur, accurate dirimatur, illud in primis observari velim quod quamvis ille Aristotelis iter in Chalcidem, eiusque mortem uno eodemque anno, *Cephisodoro* nimirum Archonte, consignare videatur; sicuti Laertius utrumque Archonte *Philocle*, annoque 3. Olympiadis CXIV. tribuere videtur, utriusque tamen Scriptoris verba, ut opinor, sic intelligi debent, ut illa simul coniunxerint, quae diversis tamen annis, quamvis exiguo fortasse temporis intervallo, contigerunt. Itaque Aristoteles *Cephisodoro* quidem Archonte in Chalcidem secessit, ut scribit Dionysius; *Philocle* vero Archonte in Chalcide degens interiit, ut testatur Laertius; ideoque Aristotelis mors, ac Philoclis principatus tum ex Dionysii, tum ex Laertii sententia in annum 3. Olymp. CXIV. referri poterit; nec ulla hac in parte inter Dionysium, & Scriptores alios repugnantia reperi-

(1) Ibi seg. 9.

peritur. Quod si in definiendo, consignandoque Philoclis, & Cephisodori principatu Dionysius ipse cum ceteris consentit, manifestissime inferri debet quod inter *Anticlem* & *Cephisodorum* unicus olympicus annus admitti potest, adeoque in Dionysii serie duo Archontes annui interseri non possunt. Sed ut altera quoque ex parte *septuaginta* Archontum numerus in Dionysio habeatur, existimo duo quidem Archontum nomina excidisse, sed illorum unum, Hegesiam nempe, qui proxime Cephisodorum praecessit, atque anno I Olymp. CXIV. imperavit, *annuum* fuisse; alterum vero, qui inter Anticlem, atque Hegesiam interseratur, fuisse *suffectum*, ut uno proinde eodemque olympico anno imperaverit, quo Anticles ipse Archon fuit, cui vel defuncto, vel abrogato successerit. Id innuere profecto videntur illa, quae superiori loco iam dixi ubi de corrigenda, illustrandaque Diodori serie agebatur; cum *Sosicles* ille, qui in Diodori Fastis occurrit, si veris Archontibus adiungi debeat, nonnisi Anticli suffectus haberi possit, paucisque mensibus imperaverit, ut variis rationibus demonstravi. Itaque fieri facile potuit ut Dionysius etiam in Fastos illos inciderit, in quibus *Sosicles* etiam, quamvis *suffectus*, numeraretur; ideoque in contexenda *septuaginta* Archontum serie illius etiam nomen expresserit, optimeque proinde dixerit Archontes illos *septuaginta* fuisse; quamvis ipsorum singuli annui non fuerint, neque integrum *septuaginta* annorum tempus expleverint. Ac certe Dionysius ipse non ea de caussa septuaginta Archontes illos enumerat ut ostendat Dinarchum septuaginta annorum spatium exegisse dum Athenas rediit; sed ut exposita Archontum serie perspicuum fieret Orationes aliquas, quae sub Dinarchi nomine ferebantur, iis Archontibus, sive temporibus conscriptas esse, quibus Dinarchus ipse vel iuvenis adhuc erat, vel in Chalcide morabatur; adeoque Orationem, quae Aristodemo, Theophilo, & Pythodoro Archonte habita fuit, sincerum Dinarchi foetum esse non posse (1). Id vero facile riteque inferri profecto poterat, quamvis non omnes Archontes illi *annui* fuerint; sed ipsorum aliquis alteri suffectus uno eodemque ac ille anno imperaverit. Ergo ex Dionysii hypothesi, disserendique genere inferri certe non poterit septuaginta Archontum singu-

(1) Numer. 11. & 13.

ſingulos annum integrum imperaſſe; ſed quamvis etiam ipſorum aliquis veluti *ſuffectus* habeatur, ſemper id optime, nitideque cum Dionyſio deduci poterit Dinarchum, ſi Philippi Archontis anno *ſetuagenarius* erat, Archonte Nicophemo natum eſſe, adeque Orationum plurimas ipſius nomine temere prorſus, atque immerito inſcriptas eſſe. Quod ſi mea haec ſuſpicio vel coniectura aliquo in pretio habenda ſit, iam nitide apparet in mutilo Dionyſii textu *Soſiclis*, & *Hegeſiae* nomina adiungenda fore, ut integra *ſeptuaginta* Archontum ſeries in illo habeatur; ſimulque tamen ipſius hypotheſis cum Diodoro, aliiſque Scriptoribus coniungi poſſit.

XXI. Quandoquidem vero coniecturis hic ſolum in tanto veterum Scriptorum ſilentio turbiſque locus eſſe poteſt, quid prohibet quin coniecturam aliam hic proferam, ſimulque inſignem Arriani locum tueri, vel illuſtrare enitar, qui Cl. Viris manifeſte depravatus, atque inſanabilis exiſtimatur? Accuratus, & elegans Auctor ille *in Indicis* haec ait: *ὡς δὲ ἐτήσια πνεύματα ἐκοιμήθη (ἃ δὴ τȣ͂ θέρεος τὴν ὥρην πᾶσαν κατέχει ἐκ τȣ͂ πελάγεος ἐπιπνέοντα ἐπὶ τὴν γῆν, ϰ) ταύτῃ ἄπορφ τὸν πλȣ͂ν ποιέοντα) τότε δὴ ὥρμηντο, ἐπὶ Α῎ρχοντος Αθήνησι Κηφισοδώρȣ, εἰκάδι τȣ͂ Βοηδρομιῶνος μηνὸς, καθότι Α᾽θηναῖοι ἄγȣσιν, ὡς δὲ Μακεδόνεστε, ϰ) Α᾽σιανοὶ ἦγον . . . τὸ ἑνδεκάτον βασιλεύοντος Α᾽λεξάνδρȣ. Quo igitur tempore eteſiae, ſive anniverſarii venti ſpirare deſierant (qui quidem per integram aeſtatem ex mari in terram flantes navigationem impediunt) oram ſolverunt, Archonte Athenis Cephiſodoro, vigeſima Boedromionis menſis die, ut Athenienſes computant; ut vero Macedones, & Aſiatici . . . undecimo ex quo Alexander regnabat anno*. Palmerius [1] ad locum iſtum haec adnotavit *Pugnat Diodorus, qui Cephiſodorum poſt Hegeſiam ponit, quo Hegeſia Archonte mortuus eſt Alexander, teſte ipſo Arriano ſupra. Sed & Dionyſius Halicarnaſſeus in iis Archontibus enumerandis omnino diverſus eſt; Hegeſiam enim non enumerat. Idcirco magnae tenebrae affunduntur huic loco; nec eſt unde lumen mutuari poſſim. Videant Chronologi quid ſuper his turbis decernendum ſit*. Blancardus vero, & Gronovius etiam Arriani Editores difficultatem hanc omnino diſſimularunt; ſed Dodvellus [2], aliique plures, cum *Cephiſodori* nomen in vulgatis Archontum Faſtis invenerint

(1) Exercit. Pag. 241. (2) De Cyclis Differt. IX. ſect. 2.

nerint ad annum 2. Olympiadis CXIV. postquam Alexander e vivis excesserat, Arrianum ipsum in exprimendo Archontis nomine mirifice deceptum esse, sibique non constare pronunciarunt, quippe qui dixerit Alexandrum Hegesia Archonte obiisse postquam duodecim integris annis, octoque mensibus imperasset (1). Atque optime id illi quidem, si vulgati Archontum Fasti consulantur. Quid vero si Arrianus in Fastos alios inciderit, in quibus praeter *Cephisodorum*, qui anno 2. Olymp. CXIV. Archon fuit, *Cephisodorus* etiam alius adscriptus esset, qui anno 4. Olympiadis CXIII. imperaverit, quamvis in Fastis *Anticles* reperiatur, cui forte sublato sive defuncto Boedromione mense non *Sosicles*, ut Diodori Fasti praeseferunt, sed *Cephisodorus* iste successerit? Certe, si id ego non infeliciter omnino coniecerim, iam facile intelligetur cur Arrianus optime *undecimum* Alexandri regis annum cum huius Cephisodori Archontis anno coniunxerit; cur in Dionysio post Anticlem duorum Archontum nomina, neque tamen duo olympici anni, vel annui Archontes, exciderint; cur denique hoc potius, quam alio in loco lacuna in Dionysii serie facilius admitti potuerit: quod nempe festinans Librarius a *Cephisodoro primo* ad *secundum* transilierit; ideoque post Anticlem Cephisodorum illum recensuerit, qui non proxime post Anticlem ipsum, sed duobus interiectis sequebatur. Ceterum sive *Sosicles*, sive *Cephisodorus*, sive alius quicumque fuerit Archon ille, qui praeter *Hegesiam* in Dionysii serie desideratur, perspicuum est tamen quod ille nec annuus esse, nec integro anni spatio imperasse potuit; ne Dionysius ipse a seipso, vel a Scriptoribus aliis diffidere videatur, atque Archontes omnes, qui Cephisodorum sequuntur, uno serius anno consignare, ut paullo superius ostendimus.

XXII. Ac certe quod hiatus ille, qui in Dionysii seriem irrepserat, felicius suppleri, & duo Archontes illi, qui exciderant, commodius restitui, vel explicari non possint satis, ut opinor, ostendit perennis ille consensus, qui variis in locis inter Dionysium, atque Diodorum reperitur; ut proinde in definiendo quoque *Cephisodori*, & *Philoclis* Archontis anno Dionysius cum Diodoro, aliisque Scriptoribus conspirare merito existimetur. Etenim, ut superiores Archontes illos

(1) De Exped. Alex. Lib. VII.

illos praeteream, quos in describenda Aristotelis vita in annos illos olympicos iuxta Diodori hypothesim referendos esse iam dixi, quibus a Diodoro tribuuntur, Archontes omnes, qui a Dionysio in *Romanis Antiquitatibus* memorantur, in eosdem prorsus olympicos annos referuntur, quos in Diodori Fastis Archontum ipsorum nomine insignitos esse conspicimus. Sic Libro I. asserit Romanam Vrbem a Gallis occupatam esse Ἄρχοντος Ἀθήνησι Πυργίωνος κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος τῆς ὀγδόης καὶ ἐννηκοστῆς Ὀλυμπιάδος (1): *Archonte Athenis Pyrgione, anno* 1. *nonagesimae octavae Olympiadis* quemadmodum prorsus Diodorus ipse *Pyrgionem*, vel *Pyrrhionem* hunc anno 1. Olymp. IIC. in Fastis adscripsit (2). Ita Dionysius *Calliadem* anno 1. Olympiadis LXXV. (3) *Phaedonem* 1. Olymp. LXXVI. (4) *Charetem* 1. Olympiadis LXXVII. (5) *Theagenidem* 1. Olymp. LXXVIII. (6) *Archedemidem* 1. Olymp. LXXIX. (7) *Phrasiclem* 1. Olymp. LXXX (8) *Calliam* 1. Olympiadis LXXXI. (9) *Chaerephanem* 1. Olymp. LXXXII. (10) *Philiscum* 1. Olymp. LXXXIII. (11) collocavit: ideoque mirifice cum Diodoro consentit, qui singulos Archontes illos iisdem prorsus annis adscripsit. Itaque constans, & accuratus consensus ille argumento esse poterit Dionysium in Romanis Antiquitatibus conscribendis; ideoque in reliquis etiam Operibus elucubrandis non alios propemodum Archontum Fastos prae oculis habuisse, sive ex Philochoro, sive ex Apollodoro contexti illi fuerint, quam quos Diodorus ipse adhibuit: ut una proinde eademque Archontum series tum ex Diodoro tum ex Dionysio, suppletis tamen utrobique lacunis, Archontumque nominibus rite restitutis, in posterum haberi debeat; in qua Archontum quilibet ad unum prorsus, eundemque olympicum annum, qui a Diodoro semper exprimitur, referri possit; ut in subiecta serie conspicitur, in qua Archontum illorum nomina, quos in Diodoro, Dionysioque supplendos esse iam dixi, varia characterum forma distinxi.

Ex

(1) Num. 74. (2) Lib. XIV. c. 108. (3) Lib. IX. num. 1. (4) Num. 18. (5) Num. 37. (6) Num. 56. (7) Num. 61. (8) Libr. X. numer. 1. (9) Num. 26. (10) Num. 53. (11) Libr. XI. numer. 1.

		Ex Diodoro	Ex Dionysio
Olymp. CXIII. an.	1.	Euthycritus	Euthycritus
	2.	*Hegemon*	Hegemon
	3.	Chremes	Chremes
	4.	Anticles, & Sosicles	Anticles, & *Sosicles, vel Cephisodorus*
Olymp. CXIV.	1.	Hegesias	*Hegesias*
	2.	Cephisodorus	Cephisodorus
	3.	Philocles	Philocles
	4.	*Archippus*	Archippus
Olymp. CXV.	1.	*Neaechmus*	Neaechmus
	2.	Apollodorus	Apollodorus
	3.	Archippus	Archippus
	4.	Demogenes	Demogenes
Olymp. CXVI.	1.	Democlides	Democlides

XXIII. Diodori, Dionysiique serie iam restituta superest ut Archontes etiam illos hic persequar, qui in Oxoniensi Marmore memorantur; ipsorumque seriem cum Diodori catalogo, si fieri id quidem poterit, ita committam, ut exinde quoque una eademque Archontum series habeatur. Ac veteres quidem Archontes illos, qui ante Olympiadem LXXV. imperarunt, hic nihil moror, cum Diodori series anno 1. eiusdem Olympiadis incipiat, ideoque Archontes ipsa antiquiores cum Diodori serie conferri minime possint. Facile quidem Creon, & Archontes alii, qui in Marmore recensentur, cum variis Dionysii, Plutarchi, Laertii, aliorumque Veterum testimoniis comparari possent, ut Marmoris ipsius a Scriptoribus aliis dissidium, sive consensus etiam ostendatur Sed haec alterius certe loci esse debent: quemadmodum sane plurima variis in locis opportune indicavi; ac cetera tunc ego persequar ubi in Fastis Atticis de Archontum illorum singulis agendum erit. Itaque eos solum Archontes subiiciam, qui in Diodoro, atque etiam in Marmore nominantur; atque annos illos olympicos indicabo, in quibus a Diodoro collocantur, simulque annos alios, in quos iuxta Marmoris Epocham, sive ex Marmoris hypothesi referri illi debent, si annorum numerus ab anno 1. Olymp CXXIX. quo Marmor sculptum esse iam diximus, veluti termino subducatur.

Archontes	*Anni in Marm. notati*	*hoc est*		Anni iuxta Diodorum
Calliades	217.	4.	Oly. 74.	an. 1. 75.
Xantippus	216.	1.	75.	2. 75.
Timosthenes	215.	2.	75.	3. 75.
Adimantus	. . .	. .	. . .	4 75.
Chares	208.	1.	77.	1. 77.
Apsephion	206.	3.	77.	. . .
Theagenides	205.	4.	77.	1. 78.
Euthippus	199.	2.	79.	4. 79.
Callias I.	193.	4	80.	1. 81.
Diphilus	. . .	. .	. . .	3. 84.
Astyphilus	. . .	. .	. . .	1. 90.
Euctemon	147.	2.	92.	1 93.
Antigenes	145.	4.	92.	2. 93.
Callias II.	. . .	. .	. . .	3. 93.
Micon	139.	2.	94.	3. 94.
Laches	137.	4.	94.	1. 95.
Aristocrates	135.	2.	95.	2. 95.
Pytheas	116.	1.	100.	1. 100.
Callias	113.	4.	100.	4. 100.
Asteius	109.	4.	101.	4. 101.
Phrasiclides	107.	2.	102.	2. 102.
Disnicetus	106.	3.	102.	3. 102.
Nausigenes	104.	1.	103.	1. 103.
Cephisodotus	94.	3.	105.	3. 105.
Agathocles	93.	4.	105.	4. 105.
Callistratus	91.	2.	106.	2. 106.
Diotimus	90.	3.	106.	3. 106.

Si Archontum series, ipsorumque tempora, quae in Marmore exprimuntur, cum Diodori serie, sive temporibus conferantur, illud initio manifestissime deprehendi poterit quod in *Aristocrate*, ceterisque pone sequentibus ita Marmoris Epochae cum Diodori Fastis conveniunt, ut Archontum illorum quilibet in unum, eundemque prorsus olympicum annum a Diodoro, simulque a Marmore referatur: quemadmodum *Chares*, in utraque serie ad unum eundemque annum olympicum revocatur. At Archontes alii, a *Calliade* ad *Ari-*

Aristocratem uno serius anno in Marmore quam in Diodori Fastis collocantur; nisi quod in Diodoro *Antigenis*, & *Euthippi* situs biennio, *Euctemonis* autem triennio situm illum, aut olympicum annum praecedit, in quo Archontes ipsi in Marmore collocantur. Itaque Marmoris series, aut epochae cum Diodori serie componi certe non poterunt; non modo quod ubique fere unius anni dissidium occurrat, verum etiam quod in Diodori Fastis *Antigenes Euctemoni*, atque *Aristocrates* proxime *Lacheti* successerit; in Marmore tamen inter Antigenem, atque Euctemonem, sicuti prorsus inter Aristocratem, atque Lachetem Archon alius inserendus esse videatur.

XXIV. Id optime profecto viderant eruditi, doctissimique viri, Seldenus, Lydiatus, ac Palmerius, qui varias etiam hypotheses, aut rationes subtiliter excogitarunt, quibus eiusmodi dissidium componi, Marmorisque series, & epochae ita restitui possent, ut cum Diodori Fastis, aliorumque Veterum testimoniis conspirarent. Nisi tamen mea me fallit opinio, iis subinde coniecturis uti illi solent, quae paullo fortasse liberiores videantur, atque a Marmorei Chronici mente plurimum dissideant. Etenim Seldenus, cum in definienda civilis Attici anni forma Scaligeri hypothesim amplecteretur, annos aliquos Archontum illorum nomine designatos embolimaeos esse putavit; ideoque res, & historias, quae insititiis diebus illis contigerant, ita numerari potuisse voluit, perinde quasi illae peculiari, distinctoque anno contigissent: *Itaque*, inquit ille, *quod sub initiis evenit Euctemonis, biennio ante collocandum fuerit, quam id, quod sub Antigenis finem* (1). At quis aperte non videat quod, quamvis non aliquot solum dies, ut volebat Scaliger, sed menses etiam embolimaei in Petavii, Dodvellique hypothesi admittantur, nullum tamen exinde praesidium huic controversiae dirimendae exsculpi poterit, cum mensis ille, qui ceteris adiungebatur, quamvis annum illum solito maiorem efficeret, ad unum tamen, eundemque olympicum annum spectaret: adeoque unius, eiusdemque solum Archontis nomine designaretur? Ad haec Embolimaeorum series, ac situs cum Marmoris Epocha nulla constanti lege, ac periodo committi

 po-

(1) Pag. 259.

potest, ut ingenue tandem Seldenus ipse testatur [1]. Nec multo sane felicior Lydiatus [2], qui dissidium illud aut ex Cyclorum vitio ante Metonem, aut ex vario civilis anni mense prodiisse voluit, quo novi Archontes, vel Magistratus inirent; ut ex. grat. Calliades in Marmore quidem anno 4. Olympiadis LXXIV., a Diodoro vero anno 1. Olympiadis LXXV. tribuatur, qui ipso adhuc Archonte inceperit. Quamvis enim varietas illa admitti debeat, ut mox ostendetur, si Archontes illi, qui post annum 1. Olymp. LXXXVII. imperarunt, cum antiquioribus conferantur; sequioribus tamen temporibus usurpari certe non poterit, quibus post annum 1. Olympiadis LXXXVII., atque Metonis Enneadecaeteridem institutam Archontes omnes, ut Diss. II. Num. 23. demonstravi, Hecatombaeone mense Magistratum inibant, atque civilis, & Archonticus annus una cum Olympico coniungebatur. Accedit etiam quod si *unius* ubique anni dissidium ac varietas occurreret, ex vario certe Magistratus initio deduci illa posset; at vero *duorum*, vel *trium* annorum discrimen exinde haberi potuisse quis credat? Ita quoque prorsus immerito ad turbas illas, sive Atheniensis Reipublicae dissidia confugit Lydiatus, quae post cladem Siculam contigerunt, ut Archontum initia, atque ipsorum annos mirifice perturbatos esse concluderet. Quamvis enim fortasse concedatur Archontes illos, qui temporibus iis imperarunt, non Hecatombaeonis initio, sed aliis anni mensibus incepisse; ad diversos tamen olympicos annos referri certe non poterunt, sed ita in Fastis digeri debent, ut ipsorum quilibet ad distinctos coniunctosque annos olympicos referatur; quemadmodum certe *Pythodorus*, *Euclides*, *Micon*, *Exaenetus*, & *Laches* continua serie in Diodori Fastis, aliisque Scriptoribus occurrunt. Quinetiam Xenophon, qui temporibus ipsis florebat, aperte testatur, quod quamvis annum 1. Olymp. XCIV., quo captis iam 16. Munichionis mensis die a Lysandro Athenis gravissima Atheniensis Reipublicae perturbatio contigerat, *Anarchiam* Athenienses vocaverint, Pythodorus tamen eiusdem anni Archon fuit, eiusque nomen Fastis inscriptum legitur; ut immerito proinde Petavius in anno 1. Oly. XCIV. *Pythodorum*, anno 2. *Anarchiam*, 3. *Euclidem*, 4. *Xaenene-*

(1) Pag. 261. & 260. (2) Pag. 81.

nenetum collocaverit, atque ex Archontum Faſtis *Miconem* expunxerit, cum tamen ille non a Diodoro ſolum, ſed etiam a Marmore memoretur, ut inferius oſtendam. Accedit etiam, quod civiles illae perturbationes, & Oligarchia ineunte ſolum Olymp. XCIV. obtinuere, octo nimirum menſibus, quibus Xenophonte teſte XXX. imperarunt. Siquidem Meurſio, Petavio, Lydiato, aliiſque doctiſſimis viris Diodorus impoſuit, ut XXX. Tyrannos illos anno demum 4. eiuſdem Oly. ſublatos eſſe putarent, cum paullo ante Euclidis Archontis annum, hoc eſt exeunte anno 1. Democratia reſtituta iam foret, ut ex Libanio, aliiſque Scriptoribus in Faſtis Atticis demonſtrabo. Itaque plane non video cur Lydiatus (1) coniecerit ideo inter Ariſtocratis, & Lachetis Archontis annum annum alium interſeri, quod Marmoris Auctor exiſtimaverit in turbis, quae XXX., vel X. Tyrannide adhuc vigente poſt Socratis mortem contigerunt, Anarchiae annum irrepſiſſe, antequam Ariſtocrates imperaret. Quamvis enim Laertius (2), Nepos (3), Trogique abbreviator (4), & Heſychius (5) a Lydiato laudati turbas aliquas Socrate e vivis ſublato fuiſſe dicant; a civilibus tamen diſſenſionibus illis accuratiſſime diſtingui debent, quae XXX., vel X. imperantibus contigerunt, quas prorſus immerito Lydiatus ipſe ad Olympiadem XCV. extendit; & quemadmodum graviores illae minime obſtarunt quin ſingulis annis Archontes Eponymi eligerentur; ita quoque nulla ratione effingi poterit, quod anno 2. Olympiadis XCV. poſt Lachetem Anarchiae annus irrepſerit. Deinde vero cum Diodorus, ac Ariſtides (6) nitide diſerteque doceant proxime poſt Lachetem Ariſtocratis annum ſucceſſiſſe, quis fieri potuiſſe exiſtimet, ut Chronici auctor a Faſtis omnibus aberraverit, atque Anarchiam ceteris omnibus ignoratam inter Lachetem, atque Ariſtocratem levibus coniecturis admiſerit?

XXV. Itaque ſi in contexenda Archontum ſerie, ipſorumque aetate ad annos olympicos referenda inter Marmoreum Chronicon, ac reliquos Scriptores omnes diſſidium aliquod admitti debet, quis aperte non videat, quod aut in Marmore quadratarii vitio errores aliquot variis in locis irre-

(1) Pag. 74. & 75 (2) Lib. II. ſeg. ... & III. ſeg. ... (3) In Thraſyb. (4) Libr. V. in fine. (5) In Euclid. (6) Platon. II.

repsere, aut certe perspicuus error, ac varietas in Fastis illis est agnoscenda, quibus vel Marmoris Auctor, vel Diodorus ipse, aliique Scriptores institere. Sed ingentem hanc labem Diodori Fastis inesse non posse demonstrat constans ille, ac mirabilis plane consensus, qui in Diodori serie, ceterisque Scriptoribus omnibus ubique fere conspicitur. Etenim plurimi, omnesque fere Archontes illi, qui a Diodoro ab Olympiade LXXV. ad Olymp. XCV. perenni serie recensentur, a Thucydide quoque, Xenophonte, Lysia, Plutarcho, aliisque pluribus memorantur, atque ad eosdem annos olympicos revocantur; ut nullus proinde dubitandi locus supersit quin Diodorus in integros, accuratosque Apollodori, vel alterius Archontis Fastos inciderit: cum praesertim Diodorus ipse Apollodori Fastos, aut Chronica citare consueverit (1). A vero quoque plurimum diffidet Marmoris Auctorem in depravatos adeo Fastos incidisse, ut Archontum situs a vulgatis Fastis aliis non integro solum anno, sed interdum etiam biennii, aut triennii quandoque spatio aberraverit; cum praesertim ipsius aetate, non solum antiquiores alii Fasti circumferrentur, qui a Demosthene, & Aristotele laudati fuerunt; sed recentes etiam Fasti a Demetrio Phalereo ante quadraginta annos conscripti omnium oculis obversarentur. Argumento quoque esse poterit ipsum vulgata, atque accurata Archontum serie usum esse, quod in anno 2. Olympiadis XCV., ceterisque pone sequentibus Archontes omnes in eosdem prorsus olympicos annos revocaverit, quibus a Diodoro, aliisque Scriptoribus tribuuntur. Quin etiam in antiquioribus quoque Archontibus recensendis, ut *Isagora*, *Comia*, *Solone*, cum Scriptorum aliorum calculo mirifice conspirat. Itaque vix fieri potuisse videtur, ut in celebri, illustrique Monumento, quod publica fortasse auctoritate excitabatur, in sequioribus solum, clarioribusque temporibus Auctor ipse aberraverit: cumque in exploranda vetustissimarum rerum memoria diligentissimus deprehendatur, in iis solum, quae proxime aetatem ipsius attigerant, depravatis Archontum Fastis institerit. Tantum certe abest, ut erroris huius labem in accuratissimo Scriptore admittendam existimem, ut hac etiam in parte ipsius Fastos accuratos esse, omnem-

(1) Lib. I. c. 5.

omnemque dissidii, vel erroris causam imperito quadratario tribuendam esse contendam; qui non ubique certe, sed variis solum in locis Auctoris mentem, aut calculum minus accurate nobis expresserit.

XXVI. Atque eiusmodi quidem dissidii componendi, Marmorisque illustrandi methodum a Seldeno, Palmerio, Lydiato subinde usurpatam esse conspicio, ut ipsi quoque annorum numeros in Marmore expressos alicubi corrigendos esse putaverint. Non ubique tamen feliciter doctissimi Scriptores illi, nisi plurimum hic ego fallor, Marmoris Epochas emendarunt; sed interdum potius non a Marmore solum, sed ab ipsa quoque hypothesi, cui insliterant, aberrarunt. Ita Palmerius (1) in *Diphilo* pro numero 179. rescribendum asserit 178. At certe fallitur. Siquidem dicitur Archonte Diphilo Euripidem *quadragesimum tertium* aetatis annum egisse; adeoque, cum Euripides ipse Philocrate Archonte anno Marmoris 222. natus dicatur, quadragesimus tertius ipsius annus non in 178., sed in 179. Marmoris annum incidisse debuit. Ita longius a Marmoris hypothesi, ceterisque Fastis aberrat Seldenus (2), qui in *Diphilo* legendum putat 180. perinde quasi anno 1. Olymp. XCIV. Archon ille imperaverit; cum tamen a Diodoro in annum 3. eiusdem Olympiadis referatur. Vbi vero Prideauxius (3) ea de causa numerum 180. rescribendum hic asserit quod Euripides anno Marmoris 222. natus dicatur, ideoque quadragesimus tertius ipsius annus in annum Marmoris 180. incidisse debuerit, incuriosum certe, minusque accuratum in subducendo annorum numero se prodit. Sic in *Astyphilo* Seldenus (4) ipse 156. in Euctemone 144. in Antigene 142. *levi elementorum figurae mutatione* rescribendum coniicit; asseritque quod hac ratione *vulgatis hic rationibus consentiet fere Noster* Marmoris Auctor *in utroque Archonte*; cum tamen ex Fastis aliis Antigenes ab Euctemone divelli non possit. Quid vero quod Archonti *Calliae* numerum 143. adscribendum putat (5; cum tamen ex ipso Marmore Callias Antigene recentior haberi debeat? Ita Lydiatus *pro annis* ΗΔΔΔΔΠΙΙ 147 *ferme obliteratis, ideoque lectu difficilibus, & ambiguis adscriptis Archonti Euctemoni facillima emendatione legendos esse* putat

ΗΔΔΔΔΙΙΙΙ

(1) Pag. 709. (2) Pag. 258. (3) Pag. 223. (4) Pag. 258. (5) Pag. 259. 709.

ΗΔΔΔΔΙΙΙΙ 144. *ac proinde pro* ΗΔΔΔΔΠ 145. *adſcriptis Antigeni*, ΗΔΔΔΔΙΙΙ 143. (1) ut nimirum Archontes illi in Marmore nominati in eoſdem prorſus olympicos annos incidant, quibus a Diodoro tribuuntur; cum tamen Palmerius (2), ac Lydiatus etiam in *Euthippo* pro 199. legendum velit 198. *ut ille quoque Archon uno anno priorem ſitum obtineat in Marmore, quam apud Diodorum Siculum* (3), hoc eſt ut Marmoris Epocha uno ſerius anno Diodori calculum conſequatur. Itaque, ut omnia verbo complectar, & exemplis aliis abſtineam, Seldenus, Lydiatus, ac Palmerius aliquando Marmoris a Diodoro diſſidium probant; aliquando vero corrigendum eſſe arbitrantur: neque tamen ipſorum ullus oſtendit cur diſſidium illud aliquando corrigi, aliquando vero probari debeat; adeoque verus Archontum ſitus ex Marmore in ipſorum hypotheſi deprehendi, certoque definiri non poterit.

XXVII. Si quidpiam tamen hic mihi coniicere, doctiſſimorumque Virorum pace proferre liceat, veram diſſidii cauſſam, eiuſque terminum deprehendiſſe videor. Suſpicor enim ad annum uſque 1. Olymp. LXXXVII. Archontes omnes in Marmore memoratos ad antiquiorem, ſive proxime ſuperiorem annum olympicum referendos eſſe, quam a Diodoro, ceteriſque Scriptoribus referantur; ideoque in Archontibus illis numeros in Marmore expreſſos nullibi corrigendos, vel certe duobus ſolum in locis ad hanc faciem reſtituendos eſſe. At in Archontibus illis, qui poſt annum 1. Olympiadis LXXXVII. imperarunt, ita numeros omnes corrigendos exiſtimo, ut in exprimendis olympicis annis, quibus Archontes illi praefuerunt, accurate cum Diodori, aliorumque Faſtis conſpirent. Etenim, quod ad veteres Archontes attinet, qui ante Olymp. LXXXVII. ſive Metonis Enneadecaeteridem tunc inſtitutam, imperarunt, perſpicua certe ratio nobis occurrit cur uno ſerius anno collocentur, atque ab ipſius Olympiadis initio quodammodo retrahantur, ut inferius oſtendam. Nulla vero cauſſa, vel ratio effingi poterit cur in ſequioribus deinde Archontibus aliis ingens illa varietas, atque diſſidium in Marmore a Faſtis aliis admittatur. Itaque in hac hypotheſi poſt Olymp. LXXXVII *Euctemo-*

(1) Pag. 5. & 67. (2) Pag. 708. (3) Pag. 66.

Ectemonis, *Antigenis*, *Miconis*, & *Lachetis* annus emendandus erit; siquidem numeros in *Astyphilo*, & *Callia* notatos exesos adeo, mutilosque fore conspicimus, ut in iis non dissidium potius quam consensus admitti possit, si cum Diodoro, aliisque etiam Scriptoribus conferantur. Quod vero ad Euctemonem pertinet, si annorum numerus illi adscriptus corrigi, mutarique debeat, ut Interpretes omnes optime observarunt, ne in Dionysianae tyranidis initio consignando, re nimirum celeberrima describenda, Marmoris Auctor integro *triennii* spatio a Fastis omnibus aberrare videatur, nulla certe facilior, aut verisimilior emendatio effingi poterit, quam quae a Lydiato subtiliter inventa fuit; si nimirum pro HΔΔΔΔΠII 147. numerus alius ipsi simillimus HΔΔΔΔIIII 144. rescribatur. Sic enim Euctemon ipse in Marmore quoque ad annum 1. Olymp. XCIII. referetur, cui certe in Diodori, ac Xenophontis etiam Fastis inscribitur. Exinde vero facile inferri etiam debet quod in Antigene non HΔΔΔΔΠ 145. sed HΔΔΔΔII 142. sive, si proxime Antigenes ipse Euctemoni successit, HΔΔΔΔIII 143. rescribi debet; cum nitide, diserteque Euripidis mors in annum Marmoris 143. hoc est 2. Olymp. XCIII. etiam ab Eusebio, & Suida referatur. Quo certe loco Prideauxius [1] reprehendi merito poterit. Asserit ille Seldenum, Palmerii iudicio, *turpiter errasse* dum Euripidem *septuagenarium* obiisse memorat. Sed tantum abest, ut modestissimus Palmerius erroris huius turpiter admissi notam Seldeno inurat, ut potius Palmerius ipse [2] ingenue, modesteque *putaverit doctissimi Seldeni verba* ἁπλῶς simpliciter, *& rotunde, ut inquiunt, non exacte* intelligenda; simulque dixerit illa Thomae Magistri autoritate fulciri posse; atque posttemo adiecerit 75. vitae annos Euripidi a Suida concessos esse: quod mirifice plane conspirat si Antigeni, hoc est extremo Euripidis anno, numerus 143. adscribatur. Turpiter potius hic Prideauxius ipse fallitur, secumque ipse pugnat; dum in *Astyphilo* numerum 156.; atque in *Euthippo* 197. ideo rescribendum existimat ut Marmor ipsum cum Diodoro consentiat [3]: & tamen in *Euctemone*, *Antigene*, *Callia*, *Micone*, ceterisque Archontibus nihil in Marmore corrigendum esse arbitratur; quamvis ipsorum singulos a Diodori situ maxime dissidentes

 esse

(1) Pag. 224. (2) Exercit. Pag. 709. (3) Pag. 222, & 224.

esse fateatur. Deinde vero cum *Miconi* in Marmore numerus ΗΔΔΔΠIIII 139. adscribatur, levi, facilique mutatione in ΗΔΔΔΠIII 138. convertetur, si una solum lineola, sive unitas adimatur. Denique, quod ad *Lachetem* Archontem attinet, cui numerus ΗΔΔΔΠII 137. tribuitur, facile & ipse quoque ad sequentem annum 1. Olymp. XCV. transferetur, si pro ΗΔΔΔΠII 137. rescribatur ΗΔΔΔΠI 136 Illud hic tamen observari maxime velim quod Marmoris Auctor brevitatis amore in hac una periodo, sive Epocha duas, distinctasque res, aut historias una complectitur; reditum nempe illorum, qui cum Cyro ascenderant, Socratisque mortem; at utrique rei unum eundemque numerum, & Archontis nomen adscribit, perinde quasi utrumque eodem anno, eodemque Archonte contigerit. Civium tamen, aut militum reditus anno quidem Marmoris 137. sed *Exaeneto* tamen, non *Lachete* Archonte contigit; Socratis vero mors *Lachete* quidam Archonte, sed anno tamen 136. consignari debet. Itaque, si duae res, & historiae temere hic coniunctae, rite seiungantur, tunc neque in annorum numero, neque in Archontis nomine & situ error ullus supererit; sed numerus ille, qui in Marmore exprimitur, non ad Lachetis Archontis annum, Socratisque mortem, sed ad militum reditum referendus erit; sicuti vicissim Lachetis Archontis nomen non ad annorum numerum, reditumque Civium, sed ad solam Socratis mortem spectaverit. Atque ista quidem de Archontibus illis, qui post Olymp. LXXXVII. imperarunt, si ad annos ipsos Olympicos in Marmore referri debeant, ut verisimilius esse iam dixi, quibus a Diodoro, ceterisque Scriptoribus tribuuntur.

XXVIII. Quod autem ad superiores Archontes attinet, qui Olympiadem illam praecesserunt, unoque serius anno in Marmore, quam in Diodoro iuxta Marmoris hypothesim constitui debent, ut unius proinde anni dissidium ubique reperiatur, in duobus solum Archontibus annorum numeri restitui, corrigique debent, *Charete* nimirum, atque *Euthippo*; cum in *Charete* si numerus 208. admittatur, nullum omnino dissidium sit futurum; *Euthippus* vero, si 199. numero designetur, non *unius*, sed *duorum* potius annorum intervallo a Diodoro dissidere debeat. Itaque, ne Marmoris Auctorem alioqui diligentissimum duobus solum his locis temere a seipso,

pso, ceterisque Fastis abhorrere dicatur, in Euthippo non 199. sed 198 rescribendum existimo, ut optime Lydiatus ipse iam viderat (1). Sic enim Euthippus ex Marmoris hypothesi ad annum 3. Olymp. LXXIX. referetur, cum in Diodoro ad sequentem annum revocetur. Ac certe, si in Astyphilo, quo Archonte Perdiccas obiisse dicitur, numerus 156. admittatur, atque Perdiccas Athenaeo teste (2) 41. annis regnavit, Perdiccae initium, quod Euthippo Archonte contigisse dicitur, adeoque Euthippi annus ad numerum Marmoris non 199. sed 198. revocari debet: alioquin, si 199 Euthippo adscribatur, Perdiccas non 41. sed 42. integris annis imperaret; Chareti vero non 208. sed 209. numerum adscribendum esse optime coniecit Palmerius (3), ut inter Timosthenem, cui 215. numerus in Marmore adscribitur, atque Charetem quinque solum Archontes interiecti esse possint, adeoque Archontum series utrobique conspiret. Itaque plane non video cur Cl. Lydiatus, ac Seldenus (4), qui Marmoris a Diodoro dissidium alibi probavit, atque Timosthenem anno 215. una cum Marmore collocavit, hic Marmoris cum Diodoro consensum tueatur; perinde quasi inter Timosthenem, atque Charetem sex omnino Archontes alii intercesserint. Quid vero quod Prideauxius hic neque Marmori, neque Diodoro, neque ipse sibi consentit, sed omnia susdeque inverit, ac mirifice perturbat? Etenim, cum in lacuna Charetis Archontis nomen supplendum dixisset, subdit *Chares enim Athenis Archon erat proximo post Adimantum anno; si igitur Adimantus Archon esset anno Ep. Mar. CCXIV., anno Ep. Mar. CCXIII. Archon erat Chares* (5). At neque ex Marmoris, neque ex Diodori calculo Chares anno proximo post Adimantum, sed interiectis demum 4. Archontibus, vel annis aliis imperavit; adeoque, si Adimanto numerus 214. adscribitur, Chareti certe 213. tribui non poterit: quod si Chareti 213. tribuendus esset, in Marmore, non 208., ut Prideauxius expressit; sed 213. refingendus esset, ut sibi, vel Prideauxii calculo conspiraret. Itaque Palmerio potius assentior, adeoque Charetem ad annum 4. Olymp. LXXVII. referendum existimo, ut proinde Archontes omnes in Marmore usque ad Olympiadem LXXXVII. memorati semper uno se-

(1) Pag. 66. (2) Lib. V. (3) Pag. 708. (4) Pag. 57. (5) Pag. 220.

ſerius anno, quam in Diodori ſerie conſignentur; quamvis ab Olympiade LXXXVII. in eosdem prorſus Olympicos annos, quibus a Diodoro tribuuntur, referendos eſſe putaverim.

XXIX. Vnde vero diſcrimen, ac varietas illa prodierit, ut Archontes omnes, qui ante Olympiadem LXXXVII. ſive inſtitutam Metonis Enneadecaeteridem imperarunt, uno ſerius anno in Oxonienſi Marmore, quam in Diodoro, ceteriſque Scriptoribus memorentur non alia ratione clarius intelligi, vel explicari fortaſſe poterit, quam ſi civiles etiam, & Archonticos annos ante Olympiadis LXXXVII. annum 1. a Gamelione menſe, deinde vero ab Hecatombaeone menſe una cum Olympicis annis incaepiſſe obſervetur. Cum enim antiquioribus iis temporibus Archontes ipſi Gamelione menſe magiſtratum ſuſciperent, adeoque Archonticus annus cum duobus olympicis annis concurreret, quorum unus deſinebat, alter incipiebat, facile Marmoris Auctor Archontem non ad annum olympicum, qui ipſo imperante incaepturus erat, Diodori, aliorumque Scriptorum inſtar, retulit; ſed ad olympicum potius, qui praeceſſerat, atque ipſo adhuc Archonte finiebat, revocavit. Sic, ut exemplo res clarior fiat, *Calliades* in Marmore ad annum 4. Olymp. LXXIV. refertur; cum tamen Calliades ipſe, vel Callias a Scriptoribus omnibus in anno 1. Olymp. LXXV. collocetur. Perſpicuam hanc diſſenſus originem optime obſervavit Dodvellus (1); quemadmodum Lydiatus (2) ipſe coniecerat annorum numeros, vel Archontum ſitus in Marmore, ac in Diodoro diſſidere, quod numerus ille ſeu calculus non ab uno, ſed a vario prorſus initio duceretur. Verum clariſſimi Scriptores illi prorſus immerito exiſtimarunt diſſidium illud, eiuſque originem in ſingulis omnino locis, aut Archontibus illis agnoſcendam eſſe, in quibus ante Olympiadem LXXXVII. ſive poſt Olympiadem ipſam Marmoris Epochae a Scriptoribus aliis aberrare conſpiciuntur. Etenim, niſi plurimum hic ego fallor, varietas illa ante Olymp LXXXVII. admitti facile poterit; at inſtituta Metonis Enneadecaeteride, ubi nimirum Archonticus, civilis, & olympicus annus ab eodem civili menſe, hoc eſt Hecatombaeone incipiebat, diſſidium ac varietas illa ex vario anni principio deduci ſane non poterit.

Ac

(1) Annal. Thucyd. ad an. 1. Ol. 78. (2) Pag. 81.

Ac certe Marmoris a Diodoro dissidium post Olympiadem LXXXVII. facile componi posse iam dixi, quamvis uterque Scriptor ille anni principium ab uno eodemque prorsus initio duxisse supponatur. Dissidium vero, quod in antiquioribus Archontibus inesse conspicitur, ex hoc uno fonte repetendum esse demonstrat tum constans illa methodus, qua Archontes omnes in Marmore memorati semper ad superiorem annum referuntur, hoc est ad olympicum annum desinentem, quamvis a Diodoro ad sequentem annum olympicum mox incaepturum revocentur; tum perspicui quoque temporum characteres, quibus ostenditur res quasdam iis Archontibus consignatas non ad ineuntis, sed ad exeuntis potius olympici anni menses revocandos esse. Ita Calliades in Marmore (1) ad annum 4. Olymp LXXIV. a Laertio (2) tamen, Diodoro (3), Dionysio (4), Herodoto (5), Thoma Magistro (6), Eusebio ad sequentis Olympiadis annum 1. refertur; quod nimirum civilis, & Archonticus etiam Calliadis annus sex ultimos anni 4. primosque sex ineuntis anni 1. olympici menses ita complecteretur, ut prima ipsius pars ad Olymp. LXXIV altera vero ad sequentem spectaret. Calliades tamen ipse, qui duorum olympicorum annorum mensibus imperavit, ad desinentis potius, quam ineuntis olympici anni partem accuratius in Marmore revocatur. Siquidem Xersis transitus in Hellesponto, conflictus ad Thermopylas, qui Calliade Archonte contigisse dicitur, ad exeuntem annum 4. referri debet, quippequi certissime contigerit antequam LXXV. Olympias inciperet, ut ex Herodoto (7) demonstravit Dodvellus (8); ac postremo Salaminia pugna eodem ipso Calliade Archonte, sed in annum 1. Olymp LXXV. circa vigesimam Boedromionis mensis diem inciderit (9).

XXX. Illustrius hic etiam exemplum aliud attulisse iuverit, non modo ut haec ipsa Marmoris, Diodorique conciliandi ratio confirmetur; verum etiam ut insignis Scaligerii, Meursii, aliorumque Scriptorum error opportune ostendatur. In Oxoniensi Marmore Epocha 57 diserte legitur Ἀφ' ȣ̃ Σοφοκλῆς ὁ Σοφίλλȣ ὁ ἐκ Κολωνȣ̃ ἐνίκησε τραγῳδίᾳ ἐτῶν ὢν ΔΔΙΙΙΙ, ἔτη ΗΗΠΙΙ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Ἀψηφίωνος: *Ex quo Sophocles So-*

(1) Epoch. 51. (2) Lib. II. seg 45. (3) Lib. XI c. 1. (4) Lib. IX. c. 1. (5) Lib VIII c. 51. (6) In Vita Eurip. (7) Lib. VII. c. 37. & 206. (8) Annal. Thucyd. (9) Plut. in Cam.

Sophilli filius Coloneus tragoedia vicit, cum annos natus esset 28., anni 206. Archonte Athenis Apsephione. Itaque Apsephion in Marmore ad annum 3. Olymp. LXXVII. revocatur. At Apsephion ipse, sive, ut in depravato fortasse Laertii textu nunc legitur, *Aphepsion* in sequentem annum 4. eiusdem Olympiadis refertur. Siquidem Laertius de Socratis nativitate differens ait Ἐγενήθη δὲ, καθά φησιν Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς Χρονικοῖς, ἐπὶ Ἀφεψίωνος, ἐν τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς ἑβδομηκοστῆς ἑβδόμης ὀλυμπιάδος (1) *natus est autem* Socrates, *ut Apollodorus ait in Chronicis, sub Aphepsione* Archonte, *anno* 4. *Olymp. LXXVII.* adeoque Socratis ortus, & Apsephionis Archontis imperium uno serius anno in Marmore, quam in Apollodori Fastis, consignatur. Quod vero Socratis nativitas, Sophoclisque victoria ante initium anni 4. Olympiadis LXXVII. contigerit, adeoque Apsephion ille accuratius ad 3. quam ad 4. Olympiadis annum referatur, ex Socratis ipsius aetate manifestissime inferri potest. Etenim Socrates anno 1. Olymp. XCV. Lachete Archonte e vivis excessit, ut Diodorus (2), Laertius (3), Aristides (4), Oxoniensis Marmoris Auctor (5), ceterique Scriptores omnes una veluti voce testantur; ut mirifice proinde fallatur Scaliger (6), qui cum Socratis mortem ad annum 1. Olymp. XCI. & citato quidem Laertii testimonio, retulisset, inito deinde calculo omnia, quae de natali ipsius anno memorantur, incerta fore concludit. Socrates autem ipse iam moriturus asserit se ἔτη ἑβδομήκοντα καὶ πλέω (7) *annos septuaginta eoque amplius* vixisse; adeoque septuagesimum aetatis annum iam exegisse; ergo, cum Socrates *sexta* Thargelionis mensis die in lucem prodierit (8), si memorata Thargelionis die anni 1. Olympiadis XCV. *septuagesimum* aetatis annum compleverat, ipsius nativitas ad Thargelionem mensem anni 3. Olymp. LXXVII. manifestissime referri debet; nec ulla ratione aut Socratis ortus, aut Apsephionis principatus ad Thargelionem sequentis anni 4. differri poterit. Ergo optime accurateque Apsephion in Marmore ad annum 3. ipsius Olympiadis revocatur; quippequi Gamelione mense eiusdem anni olympici iam desinentis

(1) Lib. II. seg. 44. (2) Lib. XIV. c. 36. (3) Lib. II. seg. 44 (4) Platonica II. (5) Epoch. 67. (6) Ad Euseb. Chron. (7) In Apolog. apud Plato. (8) Laert. II. seg. 44. Plut. Symp. Lib. VIII. qu. 1. Vid. Dodv. Annal. Thucyd. ad an. 3. Olymp. 77.

tis imperium susceperit; resque ac historiae *Apsephionis* nomine consignatae longe accuratius ad 3 desinentem, quam ad ineuntem 4. olympicum annum spectare debeant. Quinetiam exinde quoque facile intelligi, ac explicari profecto poterit cur in Diodori Fastis post Demotionem non *Apsephionis*, sed *Phaedonis* Archontis nomen anno 4. Olympiadis LXXVII. nobis occurrat. Siquidem facile contigisse potuit ut Apsephioni, qui Gamelione mense magistratum susceperat, vel defuncto, vel abrogato Phaedon successerit; ac ipsius proinde nomen Fastis inscribi potuerit: ut optime Palmerius (1), ac Menagius (2) existimarunt; quamvis Palmerius ipse aberraverit ubi Phaedonem a Dionysio quoque ad annum 4. Olymp. LXXVII. referri putavit; cum Dionysius (3) Phaedonem dumtaxat illum agnoverit, qui anno 1. Olymp. LXXVI. in Fastis omnibus memoratur.

XXXI. Sed gravior est certe Palmerii ipsius (4), Scaligeri, & qui ipsius vestigiis hic pressius institerat, Meursii error, ubi Socratis ortum, & Apsephionis imperium in anno 4. Olymp. LXXIV. collocarunt; adeoque Palmerius quidem Apsephionem bis Archontem fuisse credidit, Meursius vero, ut ostenderet Apsephionem anno 4. Olymp. LXXIV. imperasse, Laertii, Plutarchi, aliorumque testimonia perturbavit. Cum enim Meursius Apsephionis Archontis nomen, Socratisque nativitatem a Scaligero quidem, sive, ut appellat ipse, ab *Anonymo* anno 4. Olymp. LXXIV. a Laertio vero anno 4 Olymp. LXXVII. consignari vidisset, superiorem Laertii locum mutilum esse putavit; adeoque rescribendum esse contendit.. ἐπὶ Ἀφεψίωνος ἐν τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς ἑβδομηκοστῆς τετάρτης ὀλυμπιάδος. ἢ, ὡς ἄλλοι, ἐπὶ Φαίδωνος, ἐν τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς ἑβδομηκοστῆς ἑβδόμης ὀλυμπιάδος. *Sub Aphepsione Archonte, anno 4. Olympiadis septuagesimae quartae; sive, ut alii, sub Phaedone, anno quarto Olympiadis septuagesimae septimae* (5): perinde quasi de natali Socratis anno duae fuerint Scriptorum hypotheses, ac illarum utraque a Laertio expressa fuerit. Quemadmodum tamen Scaligero depravatus fortasse Laertii codex, ita quoque doctissimo Meursio Scaligeri coniectura, vel error imposuit, ut Laertii textum immerito

(1) In Notis ad Marm. Oxon. (2) In Notis ad Laert. Lib. II. seg. 44. (3) Antiqu. Rom. Lib. IX. c. 18. (4) Exerc. Pag. 202. in Plut. (5) De Arch. Ath. Lib. II. c. 7.

to sollicitaret. Etenim nullum lacunae vestigium Laertio inesse, nihilque in illo excidisse conspicitur. Certe Laertius, ubi Apollodori sententiam expressisset, repente subdit eadem prorsus in Demetrii quoque Fastis reperiri; cumque unico fere contextu Socratis ortum, aetatem, ac mortem complectatur, asserit illum Apsephione Archonte anno 4 Olymp. LXXVII. natum esse, atque anno 1. Olymp. XCV. *septuagesimo* aetatis anno obiisse: quae certe sibi mirifice consentiunt; ut nulla proinde vel erroris, vel lacunae suspicio esse possit. Quod si fortasse Laertius duplicem de natali Socratis anno sententiam exprimere voluisset, ut opinatur Meursius, duplicem hic quoque de ipsius aetate sententiam adiicere debuisset: quemadmodum alibi (1) *sexaginta* solum aetatis annos ab aliquibus ipsi concessos esse commemorat. Ergo nihil in Laertii textu corrigi, sive suppleri poterit; atque Apsephionis Archontis annus, Socratisque nativitas non ad LXXIV. sed ad LXXVII. Olympiadis annum 3. exeuntem, & ineuntem 4. spectasse debet. Quandoquidem vero Apsephionis nomen, & imperium a Plutarcho quoque memoratur, ac Meursius ipse praeclarum illum Plutarchi locum de Olympiadis LXXIV. anno 4. intelligendum esse putavit, illud hic obiter perspicuis characteribus ostendisse iuverit quod Apsephion a Plutarcho nominatus ad Olymp. LXXVII. annum 3. exeuntem, ac ineuntem 4. manifestissime referri debet; ut proinde Plutarchus ipse cum Laertio, atque Oxoniensi Marmore mirifice conspiret. Asserit ibi Plutarchus a Cimone Thesei Regis ossa in Scyro reperta, atque magnifice Athenas delata fuisse, Theseique honori celeberrimum Tragoedorum certamen institutum esse *πρώτην γὰρ διδασκαλίαν τȢ Σοφοκλέȣς ἔτι νέȣ καθέντος Ἀφεψίων ὁ Ἄρχων, φιλονεικίας ȣ̓́σης, ϗ παρατάξεως τῶν θεατῶν, κριτὰς μὲν ȣ̓κ ἐκλήρωσε τȢ ἀγῶνος ..... νικήσαντος δὲ Σοφοκλέȣς λέγεται τον Ἀισχύλον περιπαθῆ γενόμενον, ϗ βαρέως ἐνεγκοντα, χρόνον ȣ̓ πολυν Ἀθήνησι διαγαγεῖν, εἶτ᾽ ὄιχεσθαι δὶ ὀργην εἰς Σικελίαν, ὅπȣ ϗ τελευτήσας περὶ Γέλαν τέθαπται* (2). *nam cum primam Fabulam Sophocles etiamnum iuvenis dedisset, contentio autem esset, & concertatio spectatorum, Aphepsion Archon non erat sortitus Iudices certaminis ... cum vero Sophocles victor fuisset, fertur Aeschylum discruciatum, atque id ini-*

(1) Lib. II. seg. 44. (2) In Cimone.

iniquo animo ferentem non diu Athenis haesisse; inde profectum fuisse in Siciliam, ubi defunctus quoque, & circa Gelam humatus est. Insignem hunc Plutarchi locum accurate integreque exscripsit Meursius (1), simulque Cimonis victoriam, Thesei honores, Sophoclis palmam, Aphepsionis imperium anno 4. Olymp. LXXIV. consignavit. Ac mirari certe quis poterit doctissimum, atque immortalem Virum in singulis eiusmodi capitibus aberrasse. Etenim, ut hinc exordiar, Salaminiae pugnae tempore, hoc est anno 1. Olymp. LXXV. Cimon νέος ἔτι, καὶ πολέμων ἄπειρος *iuvenis etiamnum, & scientiae militaris rudis* erat (2), ut testatur Plutarchus, primumque in illa bellicae virtutis specimen dedit; ergo insignes illae Cimonis iam ducis victoriae ad Olympiadem LXXIV. referri certe non poterunt. Sophocles etiam ipse anno 4. Olymp. LXXIV. Tragoediis certare, palmamque obtinere non potuit, cum anno 2. Olymp. LXXI. ex ipsius Scholiaste, sive anno 3. Olymp. LXXIII. ex Suida, sive denique anno 4. Olymp. LXX. ex Oxon. Marmore in lucem prodierit; adeoque anno 4. Olymp. LXXIV. *decimum quintum* aetatis annum attigerit. Aeschylum quoque a Sophocle superatum, adeoque maerore perculsum Athenis discessisse testatur Plutarchus. At Aeschylus ipse Athenis anno 4. Olymp. LXXVI. Menone Archonte quatuor Tragoediis certavit, insignemque palmam obtinuit, ut ex ipsius Scholiaste Meursius (3) ipse demonstrat; ergo Olympiade LXXIV. maerore percelli, adeoque Athenis in Siciliam migrare non potuit. Ad haec Plutarchus ipse diserte docet quod μετὰ τὰ Μηδικὰ Φαίδωνος Ἄρχοντος, μαντευομένοις τοῖς Ἀθηναίοις ἀνεῖλεν ἡ Πυθία τὰ Θησέως ἀναλαβεῖν ὀστᾶ, καὶ θεμένους εντίμως παρ' ἀυτοῖς φυλάττειν (4) *post bellum Medicum, Phaedone Archonte, consulentibus Apollinem Atheniensibus, respondit vates ut ossa Thesei colligerent, & collocata apud se servarent honorifice*. Itaque, cum Phaedon ille anno 1. Olympiadis LXXVI. Archon fuerit, Thesei regis ossa Olympiadis LXXIV. anno 4. Athenas transferri, adeoque insigne illud Tragoedorum certamen institui non potuit. Meursius (5) quidem Phaedonem hunc a Plutarcho memoratum Archontem fuisse credidit post devictos ad Mara-

(1) De Arch. Ath. Lib. II. c. 7. (2) Epoch. 65. & 57. (3) Lib. II. c. 10. (4) In Theseo. (5) De Arch. Ath. Lib. II. c. 6.

thonem Persas, antequam Salaminia pugna Olymp. LXXV. anno 1. contigerit; quemadmodum Lydiatus, ac Dodvellus (1) ipse Phaedonem hunc, citato Dionysii testimonio, in anno 1. Olymp. LXXIV. collocavit. At certe uterque fallitur. Siquidem Phaedon a Dionysio memoratus anno 1. Olymp. LXXVI. Fastis inscribitur; idemque prorsus est Phaedon ille, qui *post Medica* a Plutarcho imperasse dicitur; cum *Medici* belli nomine non Marathonia, sed Salaminia potius, ac Plataica pugna a Scriptoribus designetur: unde optime, accurateque Diodorus (2) de Salaminia pugna differens ait ὁ μὲν ὖν Μηδικὸς ὀνομασθεὶς πόλεμος, γενόμενος διετὴς, τῦτο ἔσχε τὸ πέρας *Bellum itaque, Medicum quod vocatur, cum per biennium durasset, terminatum est*, Archonte Xantippo anno 2. Olymp. LXXV. Sed quid argumentis aliis hic immoror, cum Plutarchus (3) ipse, ac Diodorus (4) nitide, diserteque nos doceant Scyron Insulam a Cimone subactam, Theseique corpus inventum, simulque magnifice Athenas delatum esse postquam Cimon Eionem, ac Amphipolim Atheniensium imperio subiecerat? Id vero Olympiadis LXXVII. anno 3. Demotione Athenis Archonte contigisse scribit Diodorus, asserens Cimonem assumpta classe Byzantium perrexisse, Eionem urbem Persarum iugo adhuc pressam cepisse, tandemque Scyrum, eiectis inde Dolopibus, ac Pelasgis, expugnasse, Theseique regis ossa Athenas inde exportasse: in quo certe Diodorus ipse Plutarcho, Pausaniaeque (5) mirifice consentit. Itaque Scyros anno 3. Olymp. LXXVII. deleta fuit, proximoque anno 4. Theseo honores, Tragoedorumque certamen institutum; ut proinde Apsephion ille, qui tunc Archon a Plutarcho fuisse dicitur, Sophoclisque victoria ab anno 4. Olymp. LXXVII. dimoveri certe non possit; quamvis utrumque in Oxoniensi Marmore ad annum 3. referatur: quod nimirum Tragoedorum certamen ineunte vere, seu desinente anno 3. contigerit, antequam novus olympicus annus inciperet, atque Apsephioni defuncto vel summoto Phaedon ille succederet, qui anno 4. Diodori Fastis (6) inscribitur.

XXXII. Video quidem Phaedonis huius Archontis situm, quem optime, accurateque Dodvellus in Archontum serie

(1) In Catal. Archon. (2) Libr. XI. c. 37. (3) In Cimone. (4) Libr. XI. cap. 60. (5) In Attic. c. 17. & Lacon. c. 3. (6) Libr. XI. cap. 63.

ſerie Diſſertationibus ſubiecta anno 4. Olymp. LXXVII. ex Diodoro conſtituerat, ita deinde in Annalibus Thucydidaeis a Dodvello ipſo mirifice perturbatum eſſe, ut Phaedon ille ad annum 4. ſequentis Olympiadis migraverit; atque univerſa Archontum illorum ſeries, qui inter Praxiergum, ac Lyſitheum imperarunt, novo prorſus ordine a Dodvello contexta ibi fuerit, ut in ſubiecta utriuſque ſerie conſpicitur

		Ex Diodoro	*Ex Dodvello*		
Ol. LXXV. an.	1.	Calliades	Calliades	4/1	74 75
	2.	Xantippus	Xantippus	1/2	
	3.	Timoſthenes	Timoſthenes	2/3	
	4.	Adimantus	Adimantus	3/4	
LXXVI.	1.	Phaedon	Ariſtides	4/1	75 76
	2.	Dromoclides	Phaedon	1/2	
	3.	Aceſtorides	Dromoclides	2/3	
	4.	Menon	Aceſtorides	3/4	
LXXVII.	1.	Chares	Menon	4/1	76 77
	2.	Praxiergus	Chares	1/2	
	3.	Demotion	Praxiergus	2/3	
	4.	Phaedon	Apſephion	3/4	
LXXVIII.	1.	Theagenides	Theagenides	4/1	77 78
	2.	Lyſiſtratus	Lyſiſtratus	1/2	
	3.	Lyſanias	Demotion	2/3	
	4.	Lyſitheus	Phaedon	3/4	
			Lyſitheus	4/1	78 79

Qui utramque Diodori, Dodvellique ſeriem inſpexerit, repente intelliget quod Dodvellus ipſe *Lyſaniae* nomen ex Eponymorum Faſtis expunxit, ut Ariſtidis, & Apſephionis Archontis nomen insereret; Apſephionis annum integrum atque a Phaedonis anno diſtinctum eſſe putavit; Demotionem denique, ac Phaedonem ex Olymp. LXXVII. ad ultimos ſequentis Olympiadis annos tranſtulit: quemadmodum prorſus alibi *Bionem*, qui anno 3. Olymp. LXXX. Diodori Faſtis inſcribitur, ad annum 1. Olymp. LXXXVI. revocaverat. Atque utinam quidem praeſtantiſſimus Auctor ille ſententiam hanc ſuam melioribus argumentis, clarioribuſque Veterum teſtimoniis confirmaſſet! At facile ſuſpicari quis poterit, ipſum levioribus ſubinde coniecturis abreptum eſſe, ut veterem conſtantemque Diodori ſeriem perturbaret, eamque Archontum ſeriem contexeret, quae non a Diodoro ſolum, ſed a ceteris etiam Scriptoribus diſſideret, adeoque prorſus ambigua, plurimiſque difficultatum ambagibus implexa foret. Etenim, quod ad Ariſtidem Archontem attinet, perſpicuis, ut opinor, argumentis alibi (1) demonſtravi ipſius nomen Eponymorum Faſtis anno 4. Olymp. LXXII. inſcriptum eſſe, ut Plutarchus aſſerit, atque in ipſo quoque Oxonienſi Marmore conſpicitur; ut nullus proinde dubitandi locus ſuperſit quin Plutarchus, & Marmoris Auctor eoſdem prorſus Archontum Faſtos exſcripſerint, qui ceteris omnibus accuratiores haberentur. Itaque, ſi Plutarchus perſpicue teſtatur Ariſtidis nomen ſemel tantum tunc in Faſtis occurrere, qui fieri deinde potuit, ut Marmoris Auctor eoſdem Faſtos exſcribens Ariſtidem iterum Archontem fuiſſe crederet, ideoque Ariſtides ipſe ex Marmoris hypotheſi Archontum Faſtis anno 4. Olymp. LXXV. iterum inſcribatur? At, inquit Dodvellus, Demetrius Phalereus, qui Athenis praeerat; adeoque facile archiva ſcrutari, certamque Archontum ſeriem contexere profecto potuit, aſſerit Ariſtidem poſt Plataicam pugnam, paullo ante mortem Archontis munere perfunctum eſſe; cumque ſuprema poteſtas illa Civium ditioribus concederetur, infert Ariſtidem ipſum divitem fuiſſe. Hic optime Dodvellus ipſe iam viderat diſſerendi genus, quod a Demetrio uſurpatur, inutile ac vitioſum eſſe oportere. Cum enim Ari-

(1) Diſſert. VIII. Num. 10.

Aristides ipse post Plataicam pugnam decreverit κοινὴν εἶναι τὴν πολιτείαν, κὶ τὰς Ἄρχοντας ἐξ Ἀθηναίων πάντων αἱρεῖσθαι *Reipublicae administrationem communem fore, atque Archontes, vel Magistratus ex Atheniensibus omnibus eligi*, si Aristides post Plataicam pugnam, adeoque post decretum illud, Archontis munus obtinuit, quî ex eiusmodi Archontis munere inferri poterit Aristidem ipsum divitem fuisse? Sed quamvis Demetrium hic differendo deceptum esse concedat Dodvellus, Aristidem tamen post Plataicam pugnam Archontem electum esse contendit, ut nimirum ipse quoque legis, quam tulerat, beneficio dignitatem illam populi suffragio consequeretur. An iure meritoque id ille coniecerit alii viderint. Ego certe sic statuendum existimo Aristidem ab ineunte aetate pauperem fuisse; post Marathoniam pugnam, in qua praeclare, fortiterque se gesserat, hoc est anno 4. Olymp. LXXII. non faba quidem, ut divites, aliique consueverant; sed viva Atheniensium voce ὀ κυαμευτὸν, ἀλλ' ἑλομένων Ἀθηναίων *non fabarum sorte, sed Atheniensium suffragio*, ut apud Plutarchum asserit Idomeneus, Archontis dignitatem adeptum esse; tandemque post Plataicam pugnam liberiorem aliam, magisque popularem imperii formam invexisse: non ut sibi ad supremam dignitatem illam aditum facere videretur, quod a spectatissima ipsius aequitate, modestiaque maxime abhorrebat; sed ut ceteris etiam pauperibus dignitatem illam Populi suffragio decerni posse constitueret, quae sibi iam pridem, abrogata veteri lege, non faba, sed Populi voce delata fuerat. Itaque ex solo Demetrii testimonio Aristidis nomen anno 4. Olymp. LXXV. iterum Fastis inscribi non poterit. Nec multo sane felicius argumentum aliud, cui Dodvellus innititur; quod nimirum inter Consules illos, qui *Adimanto*, aliosque Consules, qui *Phaedoni* coniunguntur, Consulum par intercesserit; adeoque in Diodori Fastis unius etiam Archontis nomen exciderit, qui inter Adimantum, ac Phaedonem imperaverit. Vt enim ommittam Diodorum in depravatos Consulares Fastos incidisse, ut semel iterumque Dodvellus (1) ipse fatetur, adeoque ex solo Consulum defectu, nisi praesidium aliud accesserit, Archonticos etiam Fastos corrigi, vel perturbari non posse, perspicuum est certe in Diodori Fastis nullum omni-

no

(1) Annal. Thucyd. ad an. 1. Olymp. 77.

no Consulem excidisse, atque ex Diodori hypothesi inter Adimantum, ac Phaedonem Archontem alium inseri non posse. Ac mirari certe quis poterit hic a Dodvello ea de caussa Aristidem inseri quod ibi Consulum par desideretur; cum tamen Dodvellus ipse Apsephionem inserat ubi nulli in Diodoro Consules adiungi possunt; Lysaniam eximat, qui suos tamen Consules adiunctos habet; Bionem denique ab una ad Olympiadem aliam transferat, quamvis ubique Romanorum Consulum series iis in locis apud Diodorum accurata, perennis, sibique constans videatur. Itaque neque Consulum defectus, neque Demetrii testimonium par esse poterit, ut inserto Aristidis nomine Archontum series a Diodoro tradita, atque a Plutarcho confirmata in Olympiade LXXV. perturbetur; cum praesertim Archon ille, qui ex Marmoris hypothesi adiungendus videtur, alia ratione commodius inseri profecto possit, ut Numero XXXX. mox ostendetur.

XXXIII. Quod si Calliades anno 4. Olymp. LXXIV., atque Apsephion anno 3. exeunte, ac ineunte 4. Olymp. LXXVII. ex Marmoris hypothesi certissime Fastis inscribi debet, ut variis Scriptorum testimoniis ostendi, ubi Aristidis nomen ex perenni Archontum serie expungatur, inter Praxiergum & Apsephionem ipsum Archon alius inserendus erit; nimirum Demotion ille, qui in Diodori Fastis Praxiergum excepit, adeoque prorsus immerito ad sequentem Olympiadem a Dodvello transfertur. Cumque Archon ille, qui anno 4. Olympiadis LXXVII. imperavit, ex Diodoro *Phaedon*; ex Plutarcho vero, Laertio, & Oxoniensi Marmore *Apsephion* vocetur, Phaedonis Archontis annus integer esse, atque ab Apsephionis anno cum Dodvello divelli non poterit; sed uterque Archon ille uni eidemque anno inscribendus erit; ut nimirum Apsephioni Phaedon successerit, ut superius ostendi. Exinde vero manifestissime consequetur, quod *Theagenides* ille, qui iuxta Marmor *Apsephioni*, ac iuxta Diodori seriem Phaedoni successerat, optime accurateque in Marmore quidem ad annum 4. Olymp. LXXVII. in Diodoro vero, ceterisque Scriptoribus ad annum 1. Olympiadis LXXVIII. revocatur; quod nimirum ille exeunte anno 4. simulque ineunte 1. imperaverit; adeoque ex hypothesi, metho-

tho-

thodoque ſuperius expoſita in Marmore quidem ad exeuntem, in Diodoro vero ad ineuntem potius annum ſpectaverit. Cumque Theagenides ipſe non a Diodoro (1) ſolum, ſed a Plutarcho (2) quoque, ac Dionyſio (3) in annum 1. Olymp. LXXVIII. referatur, conſenſus iſte argumento eſſe poterit eoſdem prorſus Archontum Faſtos a Scriptoribus illis uſurpatos eſſe; nec alios propemodum Faſtos a Marmoris Auctore deſcriptos fuiſſe: quippequi in definienda Calliadis, Xantippi, Timoſthenis, aliorumque ſerie cum Diodoro conſpiret, quamvis in ipſorum ſitu, vel anno differre videatur. Itaque liberior certe Dodvellus, qui quamvis Lyſiſtratum ideo repente poſt Theagenidem Faſtis inſcripſerit, quod haec ipſa ſeries in Diodoro obſervetur, Lyſiſtrato tamen non Lyſaniam a Diodoro memoratum ſubiicit; ſed Demotionem potius ac Phaedonem, quos Diodorus ipſe in praecedenti Olympiade iam collocaverat, inter Lyſiſtratum ac Lyſitheum interſerit. Quid vero quod Lyſaniam ipſum in anno 3. Olymp. LXXVIII. propriis, diſtinctiſque Conſulibus inſignitum ex Eponymorum Faſtis non alia certe de cauſa expungendum eſſe contendit, niſi quod Ariſtidis, ac Apſephionis nomen ipſis adiunxerit? quaſi vero Ariſtides ipſe manifeſtiſſime adiungi debeat; atque Apſephion ille inſeri non poſſit, quamvis ſeries a Diodoro tradita conſervetur. Haec aliaque id genus plura ſatis, ut opinor, oſtendunt Archontum ſeriem a Diodoro traditam temere prorſus ac immerito a Dodvello perturbatam eſſe; nihilque prorſus in illa inter Calliadem, ac Lyſitheum ſive in Archontum numero, ſive in ipſorum ſitu variandum eſſe, niſi quod Apſephionis nomen una cum Phaedone in uno prorſus eodemque civili anno coniungi debet; cum praeſertim Apollodorus ipſe utriuſque Archontis nomen in Chronicis, aut Faſtis in anno 4. Olymp LXXVII. expreſſerit: ut Laertius (4) quidem citato Apollodori textu Apſephionis meminerit; Diodorus (5) vero, qui Apollodori Chronicis inſtitiſſe ſe dixerat, Phaedonem ſolum hic memoraverit, qui nimirum Apſephioni ſuffectus maiori fortaſſe anni parte, ac ineunte anno 4. ipſius Olympiadis imperaverit.

XXXIV. Quemadmodum vero Dodvellum in contexenda

(1) Lib. XI. c. 65. (2) Vita X. Rhetor. in Andoc. (3) Antiqu. Rom. Lib. IX. c. 56.
(4) Lib. II. ſeg. 44. (5) Lib. I. in proem.

da Archontum illorum ſerie, Diodorique methodo perturbanda levibus certe, fluxiſque coniecturis abreptum eſſe iam diximus, ita quoque mutilo, depravatoque Thomae Magiſtri loco ille deceptus Bionis Archontis nomen ex anno 3. Olymp. LXXX. cui in Diodori Faſtis inſcribitur, ad annum 1 Olymp. LXXXVI. tranſtulit; neque tamen abſurda plurima deprehendit, quae facile admitti debent ſi Pindari mors, & Bionis principatus ad Olympiadem hanc transferatur. Etenim, ut hinc exordiar, ſi Bion ex anno 3. Olympiadis LXXX. eximendus eſſet, tota Diodori ſeries mirifice perturbanda foret, ac Archontes omnes a *Philocle* ad *Lyſimachum* uſque ſuis e ſedibus exturbandi, ut ipſorum quilibet ad ſuperiorem annum transferatur. Ad haec inter Conſules illos, qui *Philocli*, & Conſules alios, qui *Mneſithidi* coniunguntur, Conſulum par reperitur, qui Bionis Archontis anno imperarunt; at inter Conſules Euthymeni, ac Lyſimacho coniunctos nulli omnino Conſules interſeri ſupplerique poſſunt; ergo quemadmodum ex Conſulum defectu *Ariſtidem* Diodori Faſtis adiungendum eſſe coniecit Dodvellus, ita quoque viciſſim ex accurata, perennique Conſulum ſerie, quae hic in Diodoro conſpicitur, Bion ex Olympiade LXXX. expungi, atque in Olympiade LXXXVI. inter Euthymenem, ac Lyſimachum intrudi non poterit. Denique Plutarchus aſſerit Lyſiam Archonte Philocle, qui Phraſiclidi ſucceſſerat, natum eſſe; moxque ſubdit Lyſiam ipſum *quintum decimum* aetatis annum egiſſe, dum Praxiteles Archon erat. Itaque dubitari non poterit, quin Praxiteles iſte *quintus decimus* Archon a Philocle cenſeri debeat, ut optime accurateque in Diodori ſerie conſpicitur. Sin vero Bion, qui Philocli in Diodori Faſtis ſuccedit, ad Olymp. LXXXVI. tranſferatur, Praxiteles ipſe *decimus quintus* a Philocle numerari non poterit. Sed quid coniecturis, aut levioribus argumentis iſtis hic immoror, cum Thomae Magiſtri locus, cui in definienda Pindari morte, ſimulque Bionis Archontis anno Dodvellus innititur, manifeſtiſſime refelli debeat; aut certe gravioribus, ac antiquis Scriptoribus aliis conferri nequeat? Scholiaſtes ille de Pindari aetate, morteque differens ait *τέθνηκε δὲ ὁ Πίνδαρος ἓξ κὴ ἑξήκοντα ἐτῶν γεγονώς. ἢ, ὥς τινες, ὀγδοήκοντα, ἐπὶ Ἀβίωνος Ἄρχοντος, κατὰ τὴν ἕκτην κὴ ὀγδοηκοστὴν*

ὀλυμ-

ὀλυμπιάδα. *Obiit vero Pindarus cum ſexaginta ſex annos vixiſſet, ſive, ut alii volunt, octoginta, ſub Abione Archonte, Olympiade octogeſima ſexta.* Meurſius hic optime obſervavit (1) *Abionis* Archontis nomen nedum in iſta Olympiade, ſed nuſquam alibi reperiri; ſimulque merito repente ſubdit veteres Scriptores in definienda Pindari aetate ita diſſidere, ut Thomas Magiſter *octoginta*, alii *ſexaginta ſex*, Suidas denique *quinquaginta quinque* vitae annos illi conceſſerit: cumque Pindarus, Suida teſte, κατὰ τὴν ἑξηκοστὴν πέμπτην ὀλυμπιάδα, hoc eſt, ut interpretatur Meurſius, *anno* 1. *Olymp. LXV.* natus fuerit, ſi *ſexageſimo ſexto* aetatis anno interiit, ipſius mors ad Olymp. LXXXI. annum 3. referri debet, quo *Ariſton* Archon erat; cuius proinde nomen Thomae Magiſtro reddendum, ſimulque univerſum ipſius locum ita Meurſius reſtituendum eſſe putavit: τέθνηκε δὲ ὁ Πίνδαρος ἓξ καὶ ἑξήκοντα ἐτῶν γεγονὼς ἐπὶ Ἀρίστωνος Ἄρχοντος, ἢ ὥς τινες, ὀγδοήκοντα κατὰ τὴν ἕκτην καὶ ὀγδοηκοστὴν ὀλυμπιάδα *obiit vero Pindarus cum ſexaginta ſex annos vixiſſet ſub Ariſtone Archonte; ſive, ut alii volunt, octoginta, Olympiade octogeſima ſexta.* Ac ſubtiliter iſta quidem, ac ingenioſe Meurſius, ſi cetera conſpirarent, atque *octogeſimus* Pindari annus ad Olympiadem LXXXVI. ſpectare poſſet; ſimulque Pindari natalis annus ex Thomæ Magiſtri hypotheſi in primum Olymp. LXV. incidiſſet. Quandoquidem vero Scholiaſtes ille nihil omnino de natali Pindari anno, vel Olympiade memoravit, longe veriſimilius exiſtimo ipſum Pindari mortem, eiuſque tempus ita deſcribere voluiſſe, ut Olympiadem, ſimulque appoſito Archontis nomine, Olympiadis annum exprimeret. Itaque, ſi non *Abionis*, ſed cum Meurſio *Ariſtonis* Archontis nomen reſcribere quis velit, tunc Olympiadis numerus corrigendus erit, ut κατὰ τὴν πρώτην καὶ ὀγδοηκοστὴν ὀλυμπιάδα *Olympiade octogeſima prima* reſcribatur; ſin vero potius facillima leviorique mutatione non *Abionis*, ſed *Bionis* Archontis nomen cum Dodvello legendum ſit, tunc κατὰ τὴν ὀγδοηκοστὴν ὀλυμπιάδα *octogeſima Olympiade* reſcribendum erit; cum Olympiadis LXXX. anno 3. *Bion*, aut *Abion* ille imperaverit, nobiſque in Diodori Faſtis occurrat.

XXXV. At, inquiet cum Dodvello quiſpiam, quidni vulgata potius in Scholiaſte lectio retineatur, ac *Abion* ille, ſeu

H *Bion*

(1) De Arch. Ath. Lib. II. c. 16.

Bion ex octogesima ad octogesimam sextam Olympiadem transferatur, simulque Pindari mors in Olympiadem hanc coniiciatur? Facile id ego quidem in incurioso, sequiorumque temporum Scholiaste suspicari nos posse concederem, ut in definiendo Archontis situ, Pindarique morte consignanda a ceteris ille Scriptoribus dissideat; sive quod in Archontum Fastos depravatos inciderit, sive quod in definienda Pindari nativitate, subducendoque calculo aberraverit. At hypotesis illa Dodvelli, sive vulgata Scholiastis lectio, cui Dodvellus innititur, ab integro Scholiastis ipsius contextu plurimum dissidet; adeoque vel in Archontis nomine, vel potius in Olympiadis numero error aliquis admitti debet. Asserit ille quod Pindarus γέγονε κατὰ τὺς χρόνυς Αἰσχύλυ, κ̧ συγγεγένηται αὐτῷ, κ̧ τέθνκεν *fuit temporibus Aeschyli; iisdem, ac ille, natus, & defunctus*. Itaque Pindarus, atque Aeschylus iisdem fere temporibus nati, iisdem quoque temporibus obierunt. Sed Aeschyli mors in Calliae Archontis annum, hoc est annum 4. Olymp. LXXX. ab Arundelliano Marmore, (1) simulque Aristophanis Scholiaste (2) revocatur, ergo Pindari mors, & Abionis Archontis annus ad Olympiadem LXXXVI. differri nequit; sed in Olympiadis LXXX. anno 3. relinqui debet. Ad haec Scholiastes ipse iam dixerat Pindari mortem iis temporibus contigisse, quibus Persica florebant, celeberrima nempe Graecorum adversus Persas conspiratio, & victoria celebrabatur. At Salaminia pugna, qua Persae fugati, deletique fuerant, anno 1. Olymp. LXXV. contigerat, ergo Pindari mors, & Abionis Archontis annus longe verisimilius ad Olympiadem LXXX. quam ad LXXXVI. ex Scholiastis huius hypothesi referri debet Itaque levior est certe Scholiastis huius autoritas, quam ut ipsius praesidio Pindari interitus, atque Abionis principatus ad Olymp. LXXXVI. transferri possit: nec immerito fortasse suspicari quis poterit ex ipsa quoque Scholiastis hypothesi non *octogesimam sextam*, sed *octogesimam* potius legendum esse: quo Dodvelli series, atque sententia refelli, simulque Diodori Fasti mirifice confirmari possent.

XXXVI. Neque tamen hinc fieri, deducique posse putaveris ut quemadmodum Bion ab Olympiade LXXX. divelli non potest, ita quoque Pindari mors, quae Bione Archonte contigisse dicitur, in Olympiade LXXX. collocari debeat. Quamvis enim

(1) Epoc. 60. (2) Ad Acharn. vide Meurs. Arc. Ath. Lib. II. c. 19.

enim plurimi, doctissimique Viri in definienda Pindari aetate mirifice diffideant; perspicuis tamen, certisque characteribus ostendi potest ipsum ad Olymp. LXXXII. pervenisse. Quemadmodum enim Olymp. VIII. Alcimedontem, ac Pythiaca IV. Arcesilaum celebraverat, quorum ille palaestra, hic vero curru Olymp. LXXX. vicerat; simulque Pyth. XI. Thrasidaeum, qui 33. Pythiade, hoc est Olymp. LXXXI. anno 3. virorum stadio palmam retulerat, ita quoque Olymp. V. Psaumidi epinicium cecinit, qui Olymp. LXXXII. anno 1. τεθρίππῳ, ἀπήνῃ, κέλητι, *tethrippo, mulari curru*, simulque *singulari equo* vicerat. Itaque Pindari aetas ad Olymp. LXXXII. extendi debet; ac doctissimi Meursii error excusari non poterit, qui, quamvis eiusmodi victorum laudes a Pindaro Olymp. LXXX. ac LXXXII. celebratas esse fateatur, (1) Pindarum tamen Conone Archonte, hoc est anno 3. Olymp. LXXIX. obiisse dicit. (2) Quid vero quod Pindarum ipsum Olympiade LXXXVIII. iterum redivivum exhibet, Megaclisque laudes celebrantem inducit? Etenim ubi dixisset Anonymi fidem sequutus Megaclem Atheniensem ea Olympiade quadriga vicisse, subdit *Est in eum Ode Pindari Pyth.* VII. *inscripta* Μεγακλεῖ Ἀθηναίῳ τεθρίππῳ Megacli Atheniensi quadriga victori. *Ubi Scholiastes* Γέγραπται Ὠδὴ Μεγακλεῖ Ἀθηναίῳ νικήσαντι τὴν ὀγδοηκοστὴν ὀγδόην Ὀλυμπιάδα τεθρίππῳ. Inscribitur Ode Megacli Atheniensi, qui octogesimam octavam Olympiadem quadriga vicerat: *ita enim emendandum*; *perperamque hodie editur* ὀγδοηκοστὴν ὀγδόην Πυθιάδα octogesima octava Pythiade; *quippe Olympiadis huius anno* 3. *celebrata Pythias quadragesima prima* (3). At Meursius ipse alibi iam dixerat *Pythiadis* quidem nomen retinendum, sed numerum tamen ita corrigendum esse, ut εἰκοστὴν ὀγδόην *vigesimam octavam* legatur: quemadmodum certe Megaclis victoriam, Pindarique carmen ad annum 3. Olymp. LXXV. revocaverat, (4) quo Telesicratis etiam, & Thrasidaei victorias contigisse, atque a Pindaro celebratas esse optime adiecit; cum uterque τὴν εἰκοστὴν ὀγδόην Πυθιάδα *vigesima octava Pythiade* palmam retulerit: quae tamen 28. Pythias non LXXV. sed LXXVI. Olympiadi adscribi debet, cum *prima* Pythias *numerata* non in XLVIII. ut hic, alibique supponit Meursius, sed in IL. inciderit. Plurimum vero Scaliger, ipsique inhaerens Meursius fallitur ubi Hieronis etiam laudes a Pindaro eodem

(1) Lib. II. c. 17. & 18. (2) Ibi c. 16. (3) Lib. III. c. 4. (4) Lib. II. 9.

anno Pythiaca III. celebratas esse putavit; cum Hiero ipse XXVI. XXVII. XXIX. non vero XXVIII. Pythiada vicerit, ut nitide, diserteque Scholiastes ait; quamvis Meursius priores illas minime memoraverit. Ceterum, ne depravatus ille Scholiastae locus, simulque Meursii inconstantia fraudi esse possit, ac ambigere proinde liceat num *octogesimae octavae Olympiadis*, vel *vigesimae octavae Pythiadis* nomen admitti debeat, perspicuis argumentis ostendisse iuverit Megaclis victoriam ad LXXXVIII. Olympiadem revocari non posse. Id ego facile ex ipso Pindari textu deprehendisse videor, si cum ceteris ille Scriptoribus conferatur. Asserit ille Megaclem Pythiorum victorem ex illustri *Alcmaeonidarum* genere fuisse; quemadmodum ex ipsa *Alcmaeonidarum* gente prodierat Megacles etiam ille, qui Olympicis Ludis vicerat, hoc est Olympiade XLVII. ut Scholiastes ait, palmam retulerat. Sed Megacles omnium postremus, qui in accuratissimo *Alcmaeonidarum* stemmate apud Palmerium (1) conspicitur, fuit Hippocratis filius, Agaristes frater, adeoque Periclis avunculus. Ergo, cum Pericles (2) ipse Olymp. LXXXVII. anno 4. e vivis excesserit octogenario maior, quippe qui, Plutarcho teste, quinquagintaquinque annis Rempublicam administraverit, Megacles certe ipsius avunculus anno 2. Olymp. LXXXVIII. superstes esse, Pythiisque Ludis certare non potuit. Accedit etiam quod, cum Pindarus Megaclem ipsum alloquens dixisset

Νέᾳ δ' εὐπραγίᾳ
Χαίρω τί, τόδ' ἄχνυμαι,
Φθόνον ἀμειβόμενον
Τὰ καλὰ ἔργα (3)
Nupero autem successu felici
Gaudeo aliquantum; id vero doleo
Quod invidia alternet
Praeclara facinora,

Scholiastes adnotavit hic a Pindaro Hippocratis mortem indicari, quae tunc contigerat, atque a Pindaro Threno celebrata fuit: cum Hippocrates ipse, eiusque frater natu minor Clisthenes anno 1. Olymp. LXVII. Athenas a Pisistratidarum tyrannide liberaverit. ἔοικε δὲ τὸ περὶ τὴν τῦ Ἱππο-
χρά-

(1) Exercit. Pag. 633. (2) In Pericle. (3) Pythi. VII. ver. 17.

κράτυς τελευτὴν, περὶ τῦτον τὸν καιρὸν ἀπεντηκέναι, ἐις ἓν κ̀ θρῆνον γράφει ὁ Πίνδαρος. ἦν δὲ ὁ Ἱπποκράτης συγγενὴς τῦ νικηφόρυ. Itaque, cum Hippocratis mors ad Olymp. LXXXVIII. differri certe non possit, quis aperte non videat Megaclis victoriam, Pindarique Odem ad Olympiadem ipsam nulla ratione referri posse; longeque verisimilius utramque ad Olymp. LXXVI. annum 3. sive *vigesimam octavam Pythiadem* revocari: adeoque in depravato Scholiastae loco ἐικοςὴν ὀγδόην *vigesimam octavam* rescribendum esse? Exinde quoque manifestissime inferri poterit Tzezem quoque eodem ipso Scholiastae loco, ut videtur, deceptum esse. Cum enim is optime, diserteque dixisset duos omnino Megacles distinguendos esse, quorum unus Coesyrae filius ter Olympia, alter vero ex Alcmaeonidarum genere Pythia vicerat, inter Olympionicae, Pythionicaeque victoriam 162. annos fluxisse dicit:

Δύο μὲν ἦσαν Μεγακλεῖς ἐξ Ἀθηναίων γένυς
Ὧν ὁ μὲν εἷς πρὸ ἑκατὸν ἑξήκοντα κ̀ δύο
Τῶν χρόνων ἐκνενίκηκεν Ὀλύμπια τρισσάκις
Κοισύρας ὗτος ὢν υἱὸς τῆς πανγενεςάτης
Οὗτος πυθιονίκης δὲ ὁ Μεγακλῆς ὑπῆρχε (1)
Τὸ γένος εἰς Ἀλκμαίωνα πάμπλυτον ἀνάγων
Duo quidem Megacles fuerunt ex Athenienfium genere;
Quorum unus quidem ante centum & sexaginta & duos
Annos vicit Olympia ter
Coesyrae nobilissimae filius;
Iste autem Megacles victor in Pythiis fuit
Genus in Alcmaeona ditissimum referens.

Itaque, cum Megaclis Olympionicae victoria in annum 1. Olymp. XLVII. inciderit, Megaclis Pythionicae palma ex Tzezis hypothesi ad annum 3. Olymp. LXXXVII. referenda foret, quod absurdum esse iam diximus. Illud hic tamen observari merito poterit Megaclis Olympionicae matrem, adeoque Alcmaeonis ditissimi uxorem, Hippocratisque aviam Coesyram hic a Tzeze vocari; quamvis illam Palmerius ignoraverit, solumque Coesyrae nomen expresserit, quae Hippocratis ipsius soror, ac secunda Pisistrati coniux fuit; quemadmodum Aristophanis etiam Scholiastem (2) deceptum esse conspi-

(1) Chil. I. Num. 5. 21. (2) Ad Nubes initio.

ſpicio ubi Coeſyram Megaclis *primi* matrem Piſiſtrato mox nuptam eſſe ſcribit, adeoque Coesyram hanc poſteriorem cum antiquiore miſere confundit.

XXXVII. Sed, ut ad Pindari ipſius aetatem revertar, duo characteres alii, vel argumenta ſupererunt, quibus doctiſſimi Viri probare ſolent ipſum ad Olympiadem LXXXV. ac LXXXVII. perveniſſe. Vtrumque tamen, niſi mea me fallit opinio, prorſus immerito clariſſimis Viris illis impoſuit. Ac primo quidem Fabricius aſſerit Ageſiam, qui Olympiaca VI. celebratur a Pindaro, ἀπήνῃ *apene*, hoc eſt mulari vehiculo Olympiade LXXXV. victorem fuiſſe; adeoque Pindarum Olympiadem hanc attigiſſe. At clariſſimus Scriptor ille profecto fallitur. Siquidem Pauſanias [1] nitide, diſerteque docet *apenem* Olympiade LXXXIV. ſublatam eſſe; ut Ageſiae proinde victoria, Pindarique carmen ad Olymp. LXXXV. referri certe non poſſit. Longe difficilius foret argumentum aliud dirimere, quod ex Pindarici Scholiaſtae loco deducitur, niſi perſpicuus error in illum irrepſiſſet, idque ex ipſo Pindari contextu manifeſtiſſime oſtendi poſſet. Iſthmiaca VII. ver. 34. Strepſiadis Thebani laudes, ac victoriam celebrans Pindarus ait

Μάτρωϊθ' ὁμωνύμῳ δέδωκε κοινὸν θαλὸς,
Χάλκασπις ᾧ πότμον μὲν Ἄρης ἔμιξε
Et Avunculo cognomini dedit commune decus,
Cui mortem Mars aereo-clypeo-inſignis attulit.

Vbi Scholiaſtes ille adnotavit *τοῦ Στρεψιάδου μήτρωος ὁμώνυμος. οὗτος ἀνῃρέθη κατὰ τὸν Πελοποννησιακὸν Πόλεμον. ᾧ τῷ μήτρωϊ ὁ πελοποννησιακὸς πόλεμος τὸν θάνατον παρέσχετο, καὶ ἐπέβαλε Avunculus Strepſiadis victoris ipſi cognominis. Hic Peloponneſiaco bello interiit... cui Strepſiadis victoris avunculo Peloponneſiacum bellum mortem intulit.* Itaque, cum Peloponneſiacum bellum exeunte anno 1. Olymp. LXXXVII. inceperit, Strepſiadis victoria ad Olympiadem ipſam exeuntem, vel ineuntem aliam referri debet; ideoque Pindari mors ad illam uſque differri, ut hoc ipſo Scholiaſtis teſtimonio Scaliger, [2] Fabricius, [3] aliique plurimi exiſtimarunt. Ac doctiſſimis tamen viris Scholiaſtes ipſe, vel error,

(1) Eliac. I. c. 9. Vid. Meurſ. Arch. Ath. II. c. 15. & 21. (2) In Euſeb. Chr. ad annum 1531. (3) Bibl. Graec. Lib. II. c. 15.

ror, qui in ipsius textum irrepserat, facile imposuit. Etenim, si quid coniecturis hic assequor, Strepsiades ille Diodoti filius, ac Strepsiadis Isthmionicae avunculus non *Peloponnesiaco*, sed *Persico* potius, hoc est Salaminio bello sublatus est; adeoque facile in Scholiastis textu non Πελοποννησιακόν *Peloponnesiacum* sed Περσικόν *Persicum* rescribi debet. Suspicionem hanc mihi pridem iniecerat Scholiastes ipse, qui cum Pindarus dixisset Strepsiadem, ceterosque, qui patriae amore sanguinis grandini seipsos obiecerunt, immortalem gloriam sibi, suoque generi acquisivisse, Scholiastes adnotavit *ταῦτα δὲ λέγει ὡς περὶ την Σαλαμῖναν μάχην Λάμπωνος ἀνδραγαθηκότος: haec vero dicit quod Lampo in Salaminia pugna fortiter, praeclareque se gesserit*. *Lamponem* illum, cuius hic temere importuneque nomen obtruditur, nihil moror; nec facile dixerim qua ratione depravatus ipse Scholiastae locus sanari, corrigique possit. Id unum ex integro Scholiastae loco deprehendi posse putaverim Strepsiadis mortem ad Salaminiam pugnam referri, in qua Thebanorum quadringentos Leontide duce dimicasse Herodotus, (1) aliique prodidere. Ergo, ne Scholiastes ille immemor adeo, sibique repugnans videatur, ut Strepsiadis mortem nunc *Salaminio*, nunc *Peloponnesiaco* bello contigisse dicat, superiora ipsius verba ita corrigi, restituique debent, ut pro *Peloponnesiaco Persicum* bellum rescribatur. Clarius id etiam ex ipso Pindari textu deduci poterit. Asserit enim Vates se tranquilla, pacataque mente ad senectutem accedere.

... *τερπνὸν ἐφάμερον διώκων*
Ἕκαλος ἔπειμι γῆρας
... *delectationem quotidianam persequens*
Quietus accedo ad senectutem.

Quis vero haec a Pindaro scribi potuisse existimet post annum 3. Olymp. LXXXVII. quo Pindarus ipse *nonagesimum* aetatis annum excesserat; adeoque non senescens, sed effetae iam aetatis esse debebat? Quemadmodum vero Meursium, Dodvellum, Scaligerum, Fabricium, aliosque plures in definienda Pindari morte deceptos esse iam dixi, ita coronidis loco addidisse iuverit ipsorum singulos in definienda quoque ipsius

(1) Lib. VII. & Diodor. Lib XI. c. 4.

ipſius nativitate aberraſſe. Etenim, cum Suidas afferat Pindarum Olympiade LXV. in lucem prodiiſſe, ac Salaminiae pugnae tempore, hoc eſt anno 1. Olymp. LXXV. *quadragenarium* fuiſſe, Scaliger, Meurſius, Fabricius, aliique plurimi laudato Suidae teſtimonio contendunt Pindarum ipſum anno 1. Olymp. LXV. natum eſſe; atque exinde, ſubducto calculo, ipſius aetatem definiendam exiſtimant. At graviſſimus auctor, Thebanarumque rerum peritiſſimus Plutarchus aſſerit quod ὁ Πίνδαρος ἐν πυθίοις γενόμενος πολλῶν, καὶ καλῶν ὕμνων τῷ Θεῷ χορηγός. (1) *Pindarus Pythiis natus multos, pulchroſque hymnos Apollini cecinit*. Itaque, cum Pythia exeunte anno 3. ut putavit Meurſius, ac Palmerius; ſive potius anno 2. cuiuſque Olympiadis celebrari conſueverint, ut opportunius alibi oſtendam, (2) ſi Pindari nativitas ad Olympiadem LXV. referri debet, non anno 1. ſed exeunte potius 2. in lucem prodierit, ac proinde Salaminiae pugnae tempore, quae vigeſima Boedromionis die anno 1. Olymp. LXXV. contigit, (3) *quadrageſimum* aetatis annum attigerit. Ita quoque perſpicuum characterem alium indicare nunc libet, quo menſis ſaltem ille ſtatuatur, quo Pindarus e vivis exceſſerit; quandoquidem annus accurate definiri non poteſt. Aſſerit Plutarchus extremum Pindari diem affulſiſſe paullo poſtquam Boeoti Delphos ſcitatum oracula venerant. (4) At Plutarchus ipſe teſtatur oracula Delphis a Pythia antiquitus ſeptima ſolum *Byſii* menſis Delphorum, hoc eſt *Thargelionis* Attici die, qua Apollo in lucem prodierat, reddi conſueviſſe; ſeroque demum oracula ſingulis menſibus reddi caepiſſe; (5) ergo Pindari mors Thargelione menſe contigiſſe debuit; quamvis in tanta rerum obſcuritate, Veterumque ſilentio olympicus etiam ipſius annus explorari, riteque conſtitui non poſſit. At quorſum ſubtilior ipſa, paulloque prolixior temporum inveſtigatio? Non alio certe niſi ut oſtendatur Pindari mortem, & Abionis Archontis annum prorſus immerito ad Olympiadem LXXXVI. a Dodvello transferri; atque argumenta ſingula, quae tum a Dodvello, tum a ceteris etiam Scriptoribus in definienda Pindari aetate proferuntur, ambiguis, ac depravatis etiam Veterum teſtimoniis inniti; ut nulla proinde ratione Diodo-ri

(1) Symp. VIII. quaeſt. 1. (2) Differt. XIII. vide Differt. III. num. 18. (3) Plutarc. in Camillo. (4) Conſolat. ad Apoll. (5) Quaeſt. Graac. num. 9.

ri Faſtis opponi illa poſſint, in quibus Bionis, vel Abionis Archontis nomen anno 3. Olymp. LXXX. inſcribitur.

XXXVIII. At, inquit cum Lydiato (1) Dodvellus, (2) ſi Diodori ſeries, & Archontum ſitus in illa expreſſus cum Oxonienſi Marmore conferatur, unius Archontis nomen omnino deerit, qui Diodori Faſtis adiungi debeat, ut Archontes ipſi in utraque ſerie ad eosdem prorsus Olympicos annos referri deinde poſſint. Ergo ſive Themiſtocles $\frac{3}{4}$ Olymp. LXXIV. cum Lydiato; ſive potius Ariſtides cum Dodvello anno $\frac{4.75}{1.76}$ inſeratur, Archontum ſeries ita in Diodoro refingi, contexique debet, ut Apſendi ſex ſolum poſtremi menſes anni 4. Olymp. LXXXVI. ſuperſint; atque Archontes omnes a Diodoro in anno *primo* cuiuſque Olympiadis collocati ad annum potius $\frac{1}{2}$ ſpectaverint. Facile ego quidem doctiſſimis viris aſſentior in Diodori ſerie unius Archontis nomen, vel Archonticum potius annum optari; adeoque ipſius Faſtos non aliter cum Oxonienſi Marmore componi poſſe, quam ſi Archonticus annus ille, ſive ſi mavis, Archontis nomen adiungatur. Non eo tamen loci vel inſerendum Archontis nomen, vel Archonticum annum diſtinguendum eſſe conceſſerim, qui a clariſſimis Viris illis indicatur. Quemadmodum enim aut Themiſtoclis, aut Ariſtidis nomen Olympiade LXXV. adiungi non poſſe iam dixi; ita pluribus etiam argumentis aliis demonſtratum eſſe confido Archontum ſingulos, qui primis Olympiadum annis a Diodoro tribuuntur, ita in Archontum Faſtis digerendos eſſe, ut ad quartum iam deſinentem ſimulque primum, ineuntem ſpectaverint; non vero, ut contendit Dodvellus, ad deſinentem primum, ſimulque ſecundum mox incepturum referri debeant. Quo plane fieri deducique poterit eiuſmodi Archontis lacunam inter Olympiadis LXXXVI. initium eiuſque finem agnoſcendam eſſe; hoc eſt in Archontum ſerie, qui in illa Olympiade a Diodoro recenſentur. Ne tamen ullus hac in parte ambigiendi locus ſuperſit, clarioribus exemplis, & argumentis aliis oſtendiſſe iuverit quod Euthymenes ille, qui in Diodoro anno 4. Olymp. LXXXV. atque a Dodvello in anno $\frac{4.85}{1.86}$ collocatur, ad annum $\frac{3}{4}$ manifeſtiſſime referri debet; ſimulque Lyſimachus, quam Diodorus anno 1. Olymp.

 LXXXVI.

(1) Marm. Oxon. Pag. 76. (2) Annal. Thuc. ad an. 1. Oly. 77.

LXXXVI. Dodvellus autem $\frac{1}{2}$ tribuit, in anno $^{4\,85}_{1\,85}$ collocandus exinde nimirum manifestiſſime inferri poterit inter Lyſimachum ipſum, ac Pythodorum, qui ineunte anno 1. Olymp. LXXXVII. imperium ſuſcepit, Archonticum annum, ſive Archontis nomen deſiderari. Itaque, quod ad Euthymenem attinet, Ariſtophanis Scholiaſtes aſſerit, *Acharnenſes* ἐπὶ Εὐθυμένους Ἄρχοντος ἐν Ληναίοις *Euthymene Archonte in Lenais* editas fuiſſe: ubi Palmerius optime Euthimenem, ſive potius Euthydemum illum intelligendum eſſe obſervavit, qui anno 3. Olymp. LXXXVIII. Faſtis inſcribitur, cum ex ipſo Fabulae contextu Palmerius ipſe demonſtraverit illam *ſexto* Peloponneſiaci Belli adeoque *tertio* eiusdem Olympiadis prodiiſſe, quo Euthydemus Archon Hecatombaeone menſe magiſtratum ſuſceperat. Itaque praeclare fallitur Scaliger, & qui Scaligero hic etiam aſſentitur, Meurſius (1) dum Acharnenſes Euthymenis alterius Archontis anno prodiiſſe voluit anno 4 Olymp. LXXXV. antequam Peloponneſiacum bellum inciperet. Vt enim argumentis aliis abſtineam, quae ex variis Poetae locis exibuit Palmerius, Ariſtophanes ipſe Euthymenis Archontis meminit, cum ait

Ἐπέμψαθ' ἡμᾶς ὡς βασιλέα τὸν μέγαν,
Ἐπ' Εὐθυμένους Ἄρχοντος
Miſiſtis hinc nos ad Regem maximum
Sub Euthymene Archonte

quod certe Scaligero, Meurſioque ſatis argumento eſſe poterat, Acharnenſes eodem ipſo Euthymene Archonte non prodiiſſe. Verum, ne in re perſpectiſſima diutius immorer, verum Euthymenis huius Archontis annum perſpicuis certe Scholiaſtae verbis deprehendiſſe videor. Ille nimirum ad ſuperiora Comici verba adnotavit πρὸ ιβ' ἐτῶν ἦρχεν ὁ Εὐθυμένης Ἀθήνησιν *ante* 12. *annos Euthymenes* ille *Athenis Archon fuit.* Itaque Poſideone menſe anni 3. Olymp. LXXXVIII. quo Acharnenſes actas eſſe iam diximus, *duodecimus* ſaltem ab Euthymenis Archontis initio annus agebatur, adeoque Euthymenes ille ante Poſideonem menſem anni 4. Olymp. LXXXV. imperaſſe debuit, eiuſque nomen anno $\frac{3}{4}$ eiusdem Olympiadis Archontum Faſtis inſcribi debet: alioquin, ſi iuxta

(1) De Arch. Ath. Lib. III. c. 8.

xta Dodvelli hypothesim, Gamelione mense anni 4. incepisset, ac Fastis ipsis anno $\frac{4.85}{1.85}$ inscribendus esset, Possideone mense, quo Acharnenses edidit Aristophanes, *undecimes* solum ab Euthymenis Archontis anno Posideon ageretur. Quemadmodum vero Euthymenis Archontis nomen non anno $\frac{4.86}{1.86}$ ut volebat Dodvellus, sed anno $\frac{3}{4}$ Olymp. LXXXV. inscribendum esse demonstravi, ita quoque Lysimachum, qui proxime Euthymeni in Diodori Fastis succedit non ad annum $\frac{1}{n}$ Olymp. LXXXVI. ut Dodvellus ipse putaverat; sed ad annum $\frac{4.85}{1.86}$ referendum esse perspicuo, ut opinior Dionysii aliorumque veterum testimonio deprehendi. Accuratissimus Auctor ille de natali Isocratis anno differens ait: ἐγεννήθη ἐπὶ τῆς ὀγδοηκοστῆς κὴ ἕκτης ὀλυμπιάδος, Α'ρχοντος Α'θήνησι Λυσιμάχυ, πέμπτῳ πρότερον ἔτει τῦ Πελοποννησιακῦ πολέμυ, δυσὶ κὴ ἔικοσιν ἔτεσι νεώτερος Λυσίυ (1) *natus est Olympiade octogesima sexta Archonte Athenis Lysimacho, quinto ante Peloponnesiacum bellum anno*; quemadmodum Plutarchus etiam, iisdem ut videtur, alibique observatum, Fastis usus ait γενόμενος κατὰ την ὀγδοηκοστὴν ἕκτην ὀλυμπιάδα Λυσιμάχυ Μυῤῥινυσίυ, δύο κὴ ἔικοσιν ἔτεσιν νεώτερος Λυσίυ, πρεσβύτερος δὲ Πλάτωνος ἑπτα (2) Isocrates *natus octogesima sexta Olympiade, Archonte Lysimacho Myrrinusio. Lysia posterior fuit annis 22. Platone prior anni 7.* ac Laertius ipse Platonis, atque Isocratis aetatem conferens ait: ἔστιν υν Ι'σοκράτυς νεώτερος ἔτεσιν ϛ'. ὁ μὲν γὰρ ἐπὶ Λυσιμάχυ. Πλάτων δὲ επι Α'μεινίυ γέγονεν (3) *est igitur* Plato *iunior Isocrate annis* 6. *siquidem ille sub Lysimacho, Plato vero sub Aminia* Archonte *natus est*. Qui perspicuos eiusmodi, certosque characteres una contulerit, quibus natalis Isocratis annus a scriptoribus illis, praesertim vero a Dionysio designatur, facile, ut opinor intelligat Isocratis ortum ab anno 1. Olymp LXXXVI dimoveri non posse, atque insuper ante Thargelionem mensem eiusdem anni contigisse. Cum enim Peloponnesiacum bellum πυθοδώρυ ἔτι δύο μῆνας Α'ρχοντος (4) *Pythodoro adhuc per duos menses Archonte*, adeoque ante Thargelionem anni 1. Olymp. LXXXVII. certissime exarserit, Isocratis nativitas ante Thargelionem anni 1. Olymp. LXXXVI. incidisse debuit, ut *quintus* ille ipsius annus erum-

(1) De Antiquis Orat Num. 1. (2) Vita X. Rhet. (3) Lib. III. seg. 2. (4) Thucyd. Lib. I. Vid. Dissert. II. Num. 23.

pente bello ſaltem incaeperit. At Iſocratis ortum non modo Thargelionis initium praeceſſiſſe, ſed etiam Hecatombaeone menſe contigiſſe ex accurate ipſus aetate, mortiſque tempore iam definito deprehendiſſe videor. Etenim, quod ad mortem quidem attinet, illa Metagitnione menſe anni 3. Olymp. CX. contigit poſtquam Athenienſes Chaeronenſi praelio fugati fuerant, ut Plutarchi, Dionyſii, aliorumque teſtimonio demonſtravi. (1) Itaque, cum Chaeronenſis clades *ſeptima* Metagitnionis die contigerit, ut teſtatur Plutarchus, (2) ſi Iſocrates *quarto*, ſive ut alii volunt, *nono* poſt acceptum cladis nuncium die e vivis exceſſit, (3) Metagitnione menſe periiſſe debuit. Quod autem ad Iſocratis aetatem ſpectat Pauſanias (4) quidem ipſum 98. Plutarchus vero 98. ſive centum annos vixiſſe tradidit; Lucianus tamen, qui peculiari, accuratoque libello illorum aetatem complectitur, quo ipſe Μακροβίυς ſive *Longevos* appellat, aſſerit Iſocratem *nonageſimum nonum* aetatis annum attigiſſe: Ἰσοκράτης ἐνενήκοντα κὴ ἓξ ἐτῶν γεγονὼς τὸν πανηγυρικὸν ἔγραφε λόγον. περὶ ἔτη δὲ ἑνὸς ἀποδέοντα ἑκατὸν γεγονὼς ὡς ἤσθετο Ἀθηναιυς ὑπὸ Φιλιππυ ἐν τῇ περὶ Χαιρώνειαν μάχῃ νενικημένυς ἐξέλιπε τὸν βίον. *Iſocrates ſex & nonaginta annos natus Orationem Panegyricam ſcripſit; cumque nonageſimum nonum aetatis annum ageret, audiens Athenienſes in Cheronienſi praelio a Philippo fugatos eſſe, e vita diceſſit*. Haec ipſa quoque Iſocratis morientis aetas a Cicerone nobis exprimitur dum ait *Iſocrates Librum, qui panathenaicus inſcribitur, quarto & nonageſimo anno ſcripſiſſe dicitur, vixitque quinquennium poſtea*. (5) Itaque, ſi ineunte Metagitnione menſe anni 3. Olymp. CX. Iſocrares *nonageſimum octavum* aetatis annum compleverat, manifeſtiſſime inferri debet quod ipſius nativitas ante Metagitnionem menſem anni 1. Olymp. LXXVI. contigiſſe debuit, hoc eſt Hecatombaeone menſe, quo Olympias illa, & Olympicus etiam annus inceperat: Cumque Lyſimacho Archonte in lucem prodierit, Lyſimachi Archontis annus, ac nomen ab anno $\frac{4.85}{1.86}$ dimoveri certe non poterit, atque ad ſequentem annum cum Dodvello transferri; niſi Iſocratis aetas perſpicuis adeo certiſque Characteribus inſignita temere perturbetur.

XXXIX.

(1) Differt. III. Num. 20. (2) In Camillo. (3) Plutar. Vita X. Rhet. in Iſocr. (4) In Attic. c. 18. (5) In Catone c. 5.

XXXIX. Isocratis autem aetate, natalique ipsius anno clarioribus hisce characteribus definito singula scriptorum testimonia facile intelligi, componique poterunt, quae alioquin implexa, ac diffidentia forent. Ita nimirum facile intelligi & explicari profecto poterit cur Isocrates ipse *quinto* ante Peloponnesiacum bellum anno natus fuerit; siquidem Hecatombaeone mense anni 1. Olymp. LXXXVI. in lucem editus, Thargelionis mensis initio anno 1. Olymp. LXXXVII. ubi bellum exarsit, quatuor annos, decemque insuper menses exegerat. Sin vero Lysimachus in anno $\frac{1}{2}$ Olymp. LXXXVI. iuxta Dodvelli seriem, atque hypothesim collocatur, annus ille *quintus* esse non poterit; nisi utrumque extremum contra Dionysii morem ut vidimus, includamus; quamvis Dodvellus dixerit quintum hic annum a Dionysio numerari *accensito, ut solet ille, utroque extremo*. (1) Intelligitur etiam cur Isocrates ipse *septem* ut Plutarchus asserit, annis Platone senior fuerit. Cum enim Plato 7. Thargelionis die anni 3. Olymp. LXXXVII. Apollodoro Archonte in lucem prodierit, in hac hypothesi, quae sane ceteris omnibus accuratior esse conspicitur, Isocratis nativitas sex integris annis, novemque mensibus Platonis ortum praecessisset. At in Laertii hypothesi, qui Platonis ortum sub Aminia Archonte, annoque Olympiadis eiusdem 4. collocavit, septem solidi anni intercessissent; ut optime proinde dixerit Meursius (2) Laertii numeros ita corrigendas esse, ut pro ϛ *sex*, ζ *septem* rescribatur. Intelligi denique, & explicari etiam poterit cur Lysias 22. annis Isocrate senior fuerit. Siquidem Lysias Archonte Philocle, hoc est ex Diodori hypothesi, ante Posideonis mensis exitum anno 2. Olymp. LXXX. natus erat; adeoque Haecatombaeone mense anni 1. Olymp. LXXXVI. quo Isocrates in lucem prodiit, *vigesimus tertius* Lysiae annus agebatur, septemque saltem menses ad implendum illum superant. Sin vero Lysimachus ipse ex anno $\frac{4:85}{1:86}$ ad sequentem annum $\frac{1}{2}$ LXXXVI. cum Dodvello transferatur, inter Lysiae, Isocratisque nativitatem *vigintitres* solidi anni intercessissent, quod a perspicuo Plutarchi more sensuque diffidet. Hinc optime ingenueque Dodvellus, qui cum natalis Isocratis, & Platonis annos a Plutarcho, Laertioque expressos com-

(1) Annal. Thucyd. ad Olymp. 86. Pag. 110. (2) Arch. Athen. Lib. III. c. 2.

comparans dixsisset, ex utrisque colligi componique posse Isocratem *septennio* Platone maiorem esse quod Platonis ortus a variis scriptoribus in varios annos olympicos referatur repente subdit *difficilius est rationem reddere quomodo Isocrates iunior sit 22. annis Lysia, qui natus erat sub Philocle anno Olymp. LXXX. Vtrobique intervallum 22. annorum non aliter est quam reiectis ambobus extremis. Siccine ergo intelligendi sunt? Id necessario hic admittendum existimo.* (1) Atque optime id ille quidem coniicere, vel existimare licuisset si Lysimachi Archontis annus ex Plutarchi hypotesi ad annum $\frac{1}{2}$ Olymp. LXXXVI. referri posset; atque illa temporis exprimendi ratio aliis in locis a Plutarcho usurpata foret. At ex Plutarchi, Diodorique calculo, quos iisdem omnino Fastis usos esse iam vidimus, Lysimachus ille ab anno $\frac{4 \cdot 85}{1 \cdot 86}$ dimoveri non potest, ac Plutarchus ipse ubi Rhetorum annos Archontum nominibus veluti characteribus insignitos enumerat utrumque terminum sive Archontum extremos excludere non solet. Sic, ut exempla quaedam hic proferam, asserit Lysiam Archonte Philocle iam natum, Praxitele Archonte *decimumquintum* aetatis annum egisse: quod fieri certe vel explicari non posset, nisi alteruter Archon, sive terminus includatur cum inter Archontes illos 14. solum Archontes alii intercesserint. Ita superius asserit Andocidem anno 1. Olymp. LXXVIII. Theagenide Archonte natum *decem* annis Lysia seniorem esse: nec aliter certe summa constare poterit, nisi in numero alteruter ex Archontibus illis includatur denique exemplum aliud ex eodem ipso Plutarchi Libro afferri posset, nisi insigne in illo mendum irrepsisset, quod ambiguam proinde lectionem exhibet. Asserit ibi Plutarchus Lysiam Archonte Philocle natum Praxitele Archonte *quintumdecimum* aetatis annum egisse, ac Sybarin concessisse; ibique mansisse ἕως Κλεάρχου τοῦ Ἀθήνησιν Ἄρχοντος ἔτη ἑξήκοντα τρία, *usque ad id tempus, quo 63. annos implevit Archonte Athenis Clearcho*. Hic in Archontis nomine, annorumque numero peccatum esse vidit Palmerius (2); cumque a *Praxitelis fine usque ad initium Cleocriti* (sic enim Archon ille a Scriptoribus aliis ipsoque Plutarcho mox appellatur) *triginta* annorum numerus reperiatur rescribendum esse putavit ἔτη ὥστε τριάκοντα *annos ferme triginta*.

(1) Annal. Thucyd. Pag. 111. (2) Exercit. Pag. 227.

ginta . Mihi vero legendum potius hic videretur simpliciter τριάκοντα *triginta* ; nisi fortasse mavis ἓν καὶ τριάκοντα *triginta & unum* sic enim in subducendis annorum numeris alteruter Archon includendus esset; cum vere Cleocritus ipse post Praxitelem *trigesimus primus* Archon in Fastis occurrat . Quandoquidem vero depravatis eiusmodi Plutarcho locis Palmerio duce nunc utimur , illud hic obiter addidisse iuverit quod immanis alter error in Plutarchi textum irrepsit , quem tamen ab Interpretibus omnibus , ipsoque Palmerio dissimulatum esse conspicio . Dixerat Plutarchus Andocidem *Teagenida Archonte Olymp. LXXVIII.* anno 1. natum esse ὥστε εἶναι πρεσβύτερον αὐτὸν Λυσίου ἔτεσί που ἑκατόν : quae Robertus Britannus latine reddidit *ex quo constat ipsum centum annis Lysia antiquiorem fuisse* . Xylander vero , sive quod errorem in graeco textu suspicaretur , sive quod aliter legeret , interpretatur *itaut Lysiam praecesserit aetate annis fere viginti* . Vterque tamen Interpres ille praeclare fallitur , atque a perspicuo Plutarchi sensu maxime aberrat . Theagenides enim , anno 1. Olymp. LXXVIII. ac Philocles anno 2. sequentis Olympiadis imperaverit ; adeoque Philocles ipse post Theagenidem nonnisi *decimus* esse potest . Itaque in Plutarchi textu manifestissime rescribi debet ἔτεσί που δέκα *annis fere decem* . Vt enim paullo superius est observatum , ubi Lysias in lucem est editus *decimus* aetatis annus Andocidi iam agebatur . Quo plane fieri probavique posse iam diximus Lysimachum , Philoclem , Theagenidem , & Archontes alios , qui a Plutarcho nominantur, in eosdem prorsus Olympicos annos referendos esse , quibus in Diodori Fastis tribuuntur ; adeoque Lysimachum ab anno $\frac{4 \cdot 85}{1 \cdot 86}$ dimoveri non posse.

XL. Quod si Lysimachi Archontis nomen non anno $\frac{1}{2}$ Olympiad. LXXXVI. ut putavit Dodvellus , sed anno $\frac{4 \cdot 85}{1 \cdot 86}$ Fastis inscribi debet, adeoque *Antilochides* ipsius successor anno $\frac{1}{2}$ & *Chares* anno $\frac{2}{3}$ tribuatur , quis aperte non videat a Gamelione mense anni 3. Olymp. LXXXVI. quo iam magistratu Chares excesserat , ad Hecatombaeonem anni 1. Olymp. LXXXVI. hoc est ad Pythodori Archontis initium, *octodecim* omnino menses intercedere ; Ergo , si Apsendes ille qui post Charetem ante Pythodorum Diodori Fastis inscribitur , nonnisi Gamalione mense anni 4. Olymp. LXXXVI.

ince-

incepiſſet, adeoque *ſex* ſolum menſibus imperaſſet, ut Lydiatus, (1) ac Dodvellus (2) ipſe putaverat, dubitari non poterit quin inter Charetem ipſum ac Apſeudem alterius Archontis nomen admitti debeat qui anno Archontico $\frac{3}{4}$ eiuſdem Olympiadis imperaverit, adeoque lacuna, quae in Diodori faſtos irrepſerat, hoc uno loco conſtitui debeat. Quem vero potius Archontem iſtum fuiſſe ſuſpicemur, cuius hic nomen exciderit, ut neque a Diodoro, neque a ceteris omnino Scriptoribus memoretur? Certe vel plurimum hic ego fallor, vel non alius certe eſſe potuit Archon ille, qui anno $\frac{3}{4}$ imperaverit, quam ſolus *Apſeudes* ille, qui Diodori Faſtis inſcribitur; ut proinde in Faſtis ipſis novus quidem Arconticus annus ſubtiliter, accurateque a ceteris diſtingui debeat, at nullius, hic tamen Archontis alterius nomen inſeri, adiungique poſſit; cum Apſeudes ipſe, ut opinor in magiſtratu *octodecim* menſes illos exegerit, qui a charetis fine Pytodori initium fluxerunt. Ac facile id ego quidem ex iis inferri poſſe putaverim, quæ fuſius expoſui, & contra Dodvelli hypoteſim diſputavi. Etenim, ſi in Diodori ſerie Archonticus annus unus adiungi debet, atque annus iſte ante Lyſimachi Archontis annum interi certe non poteſt, ut hactenus demonſtravi, manifeſtiſſime inferri debet, Archonticum annum illum in Olimpiade LXXXVI. adiungendum eſſe; cumque Diodorus ipſe Lyſimachum optime, accurateque, ut oſtendi, in anno $\frac{4.86}{1.86}$ collocaverit, moxque continua ſerie Antilochidem, Charetem, & Apſendem illi ſubiecerit, nihil propemodum veriſimilius effingi poteſt, quam Apſendis huius imperium, quod aliorum inſtar Gamelione mente anni $\frac{3}{86}$ inceperat, non ad ſequentem ſolum Gamelionem, ſed ad Hecatombaeonem uſque prorogatum eſſe, quo iuxta Metonis hypoteſim novus Archonticus, & civilis annus una cum Olympico incepturus erat. Ac certe, ut opportunius alibi oſtendi, (3) ſi inſtituta Metonis Enneadecaeteride novum quoque civilis, & Archontici anni principium erat futurum, quo Archontes ipſi non amplius a Gamelione menſe, ut antea conſueverant, ſed Hecatombeone potius inciperent, quis fieri potuiſſe exiſtimet ut Apſeudes ille, qui Gamelione magiſtratum ſuſceperat, Metonis arbitrio in ordi-

(1) Ad Marm Oxoni. (2) Differt. III. ſect. 35. (3) Differt. II. Num. 22.

ordinem redigeretur; exactoque vix sex mensium spatio, 13. Scirrhophorionis die, quo Metonicus Hecatombaeon incepturus erat, (1) imperio excederet, ac Pythodorum successorem admitteret? Id certe mihi longe verisimilius videri solet quod Archontes illi, qui Gamelione mense anno 3. Olymp. LXXXVI. Magistratum susceperant, septemdecim mensium spatio imperaverint, atque ad ineuntem annum 1. Olymp. LXXXVII. Magistratum prorogaverint; nec facile ab iis extorqueri potuisse concesserim, ut Gamelione mense anni 4. veteri solemnique ritu constituti contra veteres, receptasque leges repente in ordinem redacti forent. Argumento quoque esse poterit quod in Diodori Fastis Apsendi aliorum Archontum instar annui Consules adscribuntur, perinde quasi ipse quoque, aliorum omnium instar, integro anni spatio imperaverit: quae certe facilius intelligi, & explicari possunt, si *septemdecim* potius, quam *quinque* solum mensibus praefuerit. Denique, ne coniecturis aliis hic immorer, si Apsendes octodecim mensibus Archontis munere perfunctus fuerit, facile intelligi, & explicari profecto poterit cur in Diodori serie unius Archontis annus excidisse, sive Archontici anni lacuna irrepsisse videatur; neque tamen in iisdem Diodori Fastis ullius Archontis nomen exciderit. Etenim, si in Fastis illis, qui Diodori, aliorumque Scriptorum oculis observabantur, simplex Apsendis nomen unico in loco reperiebatur, facile exinde suspicari poterat Diodorus Apsendem ipsum unius anni spatio aliorum omnium instar, imperasse: cum praesertim nullibi Diodorus civilis anni mensem expresserit, quo Archontes ipsi Magistratum inirent; adeoque dum in digerenda temporum serie, Olympicos annos Archontum nominibus insigniret, Archontes omnes ita digessit, perinde quasi ipsorum singuli Hecatombaeone mense una cum Olympico anno incepissent; cum tamen Archontes omnes Olympiade LXXXVII. antiquiores sex mensibus Olympici anni principium praecederent, ac Gamelione mense Magistratum auspicarentur. At fieri fortasse potuit ut accuratiores alii Fastorum scriptores varium eiusmodi Archontici anni principium distinxerint; adeoque in Fastis contexendis singulis Archontum nominibus Olympicum etiam annum, sive Olympici an-

(1) Diodor Lib. XII. c. 37. vid. Dodv. Differt. II. sect. 15.

anni menſem adiecerint, quo Archontum quilibet Magiſtratum iniverit. Nec alia certe de cauſſa fieri potuiſſe putaverim, ut Plutarchus, Dyoniſius, & Oxonienſis Marmoris Auctor in deſignando Apſephionis, Theagenidis, Philoclis, Euthymenis, & Lyſimachi Archontis anno verum ipſorum ritum expreſſerint, ipſorumque nomina, ac Magiſtratum non ad unum, eundemque, ut Diodorus; ſed ad duplicem potius Olympicum annum revocaverint, quorum primus ipſis Magiſtratu fungentibus deſineret, alter vero incipere deberet: cum contra Diodorus, Archontes ipſos ad ſolum annum illum Olympicum retulerit, qui ipſis Magiſtratum gerentibus incepturos erat. Ita propemodum in Conſularibus etiam Romanorum Faſtis ita ſubinde Conſulum nomina inſcribuntur, atque cum Olympicis annis committuntur, ut niſi varium Conſularis anni principium accuratiſſime diſtinguatur, res quaedam geſtae, eorumque Conſulum nominibus inſignitae modo ad unum, modo ad ſequentem alium Olympicum annum ſpectare, ſive referri poſſe videantur. Hinc optime ſubtiliterque Dodvellus, cum obſervaſſet ab anno V. C. Varroniano 363. novos Conſules Kalendis Quintilibus iniiſſe, ſubdit; *fecit autem novum hoc anni Conſularis initium, ut cum annis Olympiadum fere integris concurrerint anni V. C. qua quidem ad res geſtas referuntur. Inde factum ut annus Varronianus* 459. *qui cum* ✠ *Olymp. CXXIV. concurſurus fuerat, iam fere cum illis Olympiadis dumtaxat ſecundo concurrerit.* (1) Itaque in Archonticis etiam Eponymorum Faſtis haec ipſa ſubtilitas, atque diſtinctio adhibenda facile fuerit; ut nimirum Archontum ſitus non ad annum eundemque, ſed ad diverſos potius Olympicos annos a variis Scriptoribus revocatus intelligatur: ut cum ceteri Scriptores omnes Archontum ſingulos Metonis Enneadecaeteride antiquiores ad Olympicos ſuperiores annos retulerint, qui ipſis Magiſtratu fungentibus deſinere debebant; Diodorus tamen ipſos ad ſequentes potius Olympicos annos revocaverit, qui ipſis Archontibus erant incaepturi; ut proinde Archontis unius Lacuna ex Diodori calculo non Olympiade LXXV. ſed in LXXXVI. fine, hoc eſt Apſendis Archontis anno contigiſſe debuerit, optimeque ſuppleri illa poſſit, ſi Apſendis ipſius imperium ad octodecim fere menſes protrahatur.

(1) Diſſert. X.

tur. Id unum tamen hypothesi, qua Apseudis Archontis annum definiendum, ipsiusque nomen Fastis inscribendum esse putavi, opponi fortasse poterit, quod nullus omnino Veterum Apseudis annum solito maiorem fuisse dixerit; eiusque nomen ita Fastis inscripserit perinde quasi Archon iste consuetum unius anni spatium excesserit. Quinetiam Ptolemaeus, ubi verum solstitii aestivi tempus *Apseude Archonte* observatum fuisse memorat, (1) tacite profecto subindicat solstitium ipsum Apseude Archonte semel tantum contigisse; cum tamen illud semel iterumque contingere debuerit, si Apseudes ipse a Gamelione mense anni 3. Olymp. LXXXVI. ad Hecatombaeonem usque anni 1. Olymp. LXXXVII. septemdecim nimirum mensibus, imperasset. Verum aut splendide hic ego fallor, aut ex eiusmodi Veterum silentio nihil propemodum inferri potest; nisi & ipsa quoque Dodvelli hypothesis, atque accuratissima Archontici anni constitutio temere perturbetur. Etenim nullus omnino Veterum nitide, diserteque tradidit Archonticum annum ante Olymp. LXXXVII. Gamelione mense; atque Olympiadis ipsius anno 1. Hecatombaeone mense incepisse: & tamen optime, accurateque Dodvellus eiusmodi discrimen ex perspicuis Veterum testimoniis manifestissime demonstravit. Nullus omnino Veterum observavit Apseudem *sex* solum mensibus imperasse; & tamen Dodvellus ipse, ac Lydiatus Apseudis annum solito breviorem esse oportere dixerunt, quod ex novo Archontici anni principio tunc instituto Archontis huius imperium, ac tempus variandum esse intelligerent. Itaque vel ex solo Scriptorum silentio inferri debet Archontes omnes semper a Gamelione, vel ab Hecatombaeone mense incepisse, quod non modo a Dodvelli hypothesi, sed a perspicuis etiam Veterum testimoniis abhorret; vel, si Archontici anni principium, & Archontum situs non ex silentio ipso, sed ex aliis Veterum testimoniis una collatis inferri debeat, ut Dodvellus ipse iam viderat, Apseudis annus solito brevior, aut longior admitti debet; & quemadmodum certe Dodvellus, addito *Aristidis* nomine, perturbatisque Diodori Fastis, Apseudis annum solito breviorem fuisse voluit; ita plane non video cur ex clarioribus testimoniis aliis, quae opportune iam protuli, Apseu-

 dis

(1) Almag. Lib. III.

dis annus solito maior, tacentibus licet Scriptoribus, asseri non possit; cum praesertim plurima Scriptorum loca aliter intelligi, vel explicari non posse dixerim, quam si Apseudi Archontum illorum postremo *septemdecim* imperii menses tribuantur. Ad Ptolemaeum vero quod attinet, quamvis ille simpliciter Apseudis Archontis nomen adscripserit, nulla tamen exinde vel ambiguitatis, vel erroris occasio esse poterat; cum nitide, diserteque ipse dixerit aestivum solstitium illud Apseude Archonte observatum esse, quod in Metonicae Enneadecaeteridis initium, hoc est Hecatombaeonem anni 1 Olymp. LXXXVII. inciderat, ac solstitium aliud ab Aristarcho anno 51. primae Callippicae Periodi observatum 152. annis praecesserat; adeoque perspicuis eiusmodi characteribus ambiguitatem omnem, si quae futura fortasse fuerat, Ptolemaeus ipse sustulerit. Itaque ex solo Scriptorum silentio coniectura, & hypothesis a me constituta refelli certe non poterit; cumque in Diodori Fastis, si cum Oxoniensi Marmore conferantur, Archonticus annus, aut Archontis unius nomen inter Olymp. LXXXVI. & LXXXVII. inseri debeat, commodius id sane, ac verisimilius praestari non poterit, quam si Apseudi *septemdecim* menses tribuantur; adeoque ipsius nomen in Fastis anno $\frac{3}{4}$ Olymp. LXXXVI. simulque anno 4. eiusdem Olympiadis inscribatur. Quod si rem hic acu tetigerim, veramque dissidii caussam, & terminum contra Dodvelli, aliorumque sententiam ostenderim, facile, ut opinor, inferri iam poterit quod Diodori series ceteris omnibus non uberior solum, sed etiam accuratior haberi debeat; & quamvis illa variis in locis a Dionysii, Marmorisque serie, in Archontum numero, ac situ, differre videatur; facile tamen, refectis prius laciniis, lacunisque suppletis, ita cum utraque conferri, sive componi illa poterit, ut ex iis omnibus una propemodum, eademque, perennis, & constans Archontum series exsurgat: atque immerito proinde Lydiatus, ac Dodvellus celebres illos Diodori Fastos, insertis alicubi, erasis alibi Archontum nominibus, sollicitaverint. Atque hactenus quidem de Scriptoribus, ac Monimentis illis, ex quibus Atheniensium Archontum nomina, series, atque aetas inquiri, ostendique debet; ut uberior exinde, concinnior, & accuratior ipsorum series in contexendis Fastis Atticis habeatur.

DIS-

DISSERTATIO X.

SYNOPSIS.

I. S*Igonii, Scaligeri, Lydiati, Meursiique in primis diligentia in contexendis Eponymorum Archontum Fastis ostenditur; & commendatur.* II. *Quamvis Oxoniensis, aliorumque Marmorum praesidio Archontes aliquot a Seldeno, Lydiato, ac Dodvello Meursii Fastis adiecti fuerint; plurimos tamen Archontes alios, partim ex Scriptoribus, partim ex Marmoribus, partim etiam fortasse ex Nummis, Eponymorum Fastis adhuc inseri, adiungique posse indicatur.* III. *Series illa, vel methodus exponitur, qua novi Archontes isti, partim perspicuis, certisque rationibus, partim coniectura, Eponymorum Fastis accensentur: sive quod ipsorum nomina in Fastis omnibus hactenus editis desiderentur; sive quod ipsi a cognominibus aliis, qui in Fastis occurrunt, distingui debeant.* IV. *Archontes omnes, qui hactenus Meursii Fastis adiecti sunt, reiectis tamen Pseudeponymis, recensentur.* V. Tlesias *Eponymorum Archontum Fastis inseritur. Variae Scriptorum sententiae de ipsius aetate, nomine, ac principatu proferuntur; ipsumque ab Archonte* Lysia *distinguendum esse demonstratur.* VI. Mnasippus *etiam Fastis ipsis adiungitur. Ipsius aetas exploratur. Lysiae locus illustratur.* VII. & VIII. Socratidis, *ac* Apollodori *nomen Fastis inscribitur. Utrumque a cognominibus Archontibus aliis distinguendum esse contra Scaligerum, ac Meursium coniicitur; Suidaeque locus exponitur.* IX. Diphilum *Archontem ab Archonte* Philippo *distinguendum, adeoque Fastis adiungendum esse contra Meursium, ac Dodvellum ostenditur. Vera ipsius aetas exponitur. Meursii, aliorumque error, & inconstantia notatur.* X. Dioclem *a Plutarcho memoratum prorsus immerito cum Archonte* Philocle, *qui Olymp. CXIV. anno 3. Fastis inscribitur, a Meursio, ceterisque Fastorum Scriptoribus confusum esse* de-

demonstratur. Ipsum Fastis inserendum esse concluditur. Exposita ipsius aetate Plutarchi locus illustratur. XI. & XII. Cephisodori *Archontis nomen anno* 4. *Olymp. CXIII. Fastis inseritur, atque insignis Arriani locus contra Palmerium defenditur, ac illustratur.* Cephisodorus *alter a Pausania nominatus ab Archonte cognomine contra Meursii sententiam distinguitur, ipsiusque aetas demonstratur. Ambiguus Athenaei locus exponitur.* XIII. Athenion, *sive* Aristion *Eponymorum Archontum Fastis anno* 1. *Olymp. CLXXIII. coniectura inseritur.* XIV. Magnus Gaius *ex Sarisberiensi profertur. An Eponymis & ipse Archontibus accenseri fortasse debeat inquiritur, idque facili coniectura suaderi posse indicatur.* XV. Aristarchi Phalerei *Archontis Atheniensis nomen ex Luciano exhibetur. Ipsum ab Aristarcho Grammatico distinguendum esse contra Cognatum, aliosque Luciani Interpretes demonstratur. Vtrum verus Archon Eponymus haberi ille debeat exploratur.* XVI. Hadrianum *Caesarem non solum anno* 4. *Olymp CCXXII sed etiam anno* 3 *Olymp. CCXXVII. iterum Archontis Eponymi munere perfunctum esse demonstratur. Spartiani, ac Dionis testimonia explicantur, Hieronymique error ostenditur. Olympiorum, ac Hadrianorum Festorum origo, verumque nomen contra Scaligerum indicatur.* XVII Herodes Marathonius *Eponymorum Fastis adiungitur. Philostrati locus contra Fabricium defenditur, ac illustratur. Agonothetae, atque Athlothetae discrimen ab Hesychio, aliisque Scriptoribus admissum refellitur.* XVIII. Aristides *alius ab antiquiore distinctus Plutarchi testimonio Fastis adiungitur.* XIX. Pantaclis *nomen coniectura solum Eponymorum Fastis inseritur. Stephani locus tentatur, restitutur, ac illustratur. Choragorum numerus exponitur, ac veteribus Marmoribus confirmatur.* XX Plutarchum *quoque Eponymi Archontis munere perfunctum esse demonstratur. Chaeronensium tamen potius, quam Atheniensium, Fastis inscribendum esse contra Petitum, ac Potterum ostenditur. Hesychii locus emendatur* Boeoti *Archontis nomen hactenus ignoratum ex Iosepho profertur; sed ipsum Deliorum potius, quam Atheniensium, Archontem fuisse probatur.*

DIS-

DISSERTATIO X.

De Eponymis Atheniensium Archontibus, quorum nomina in Scriptoribus occurrunt; atque in Fastis omnibus hactenus editis desiderantur.

I. QVandoquidem veteres Scriptores illi, qui plenam, uberemque Archontum omnium seriem digesserant, maximo historiae detrimento temporis iniuria exciderunt, fontes omnes, ac monumenta singula superiori loco, meliori quo poterat ordine demonstravi, ex quibus eiusmodi Archontum series, ac nomina inquiri, ipsorumque aetas ostendi posset. Quamvis enim in eximiam hanc Atticae Historiae partem, sive in Archontum Fastos ingentes quaedam lacunae, vel hiatus irrepserint, ut nitida quaedam, perennis, sibique constans ipsorum series sperari certe iam nequeat; plurima tamen ipsorum nomina in Graecis, Latinisque Scriptoribus, ac monimentis aliis, veluti disiecta magnae molis rudera subinde occurrunt, quae si rite, feliciter, accurateque componi, simulque compingi possint maximo in contexenda Graecarum rerum historia praesidio esse possint. Itaque praeclare de literis, historia, omnique bonarum Artium genere meritos fuisse diximus doctissimos, atque immortalis gloriae viros Scaligerum, Sigonium, ac Meursium, qui in tanta veterum Scriptorum iactura, atque incredibili quadam rerum perplexitate nitidam, accuratamque Archontum seriem contexere sunt conati; in qua, si non Archontum illorum singuli, qui Athenis imperaverant, quod sperari certe non poterat, ii tamen omnes, quorum nomina in variis, ac innumeris fere Scriptoribus hinc inde sparsa occurrebant, certo quodam ordine recenserentur. Quo certe loco incredibilem prorsus Meursii praesertim diligentiam,

tiam, ſatis mirari, meritiſque laudibus efferre vix poſſumus: Ille nimirum eximia qua fuerat eruditionis copia, Graecaeque hiſtoriae peritia ſingula Archontum nomina ex omnibus fere Graecis, Latiniſque Scriptoribus, ex marmoreis etiam Inſcriptionibus, quae ipſius aetate lucem adſpexerant, ſolerter adeo conquiſivit, ut Lydiatus, Palmerius, Seldenus, ac Dodvellus ipſe, qui poſt Meurſii fata novam, uberioremque Archontum ſeriem adornarunt, plurimos quidem Archontes alios Meurſii aetate prorſus incognitos, ex Arundelliano Marmore, ceteriſque Graecis Marmoribus Eponymorum Faſtis adiecerint; in corrigendis etiam veterum Archontum nominibus, ipſorumque aetate accuratius definienda, laudatiſſimam operam collocaverint; at ne Archontem quidem unum ex Graecis Scriptoribus, ac Monimentis illis, quae Meurſii aetate eruditorum hominum oculis obverſabantur, exculpſerint, qui Meurſii diligentiam effugiſſet; adeoque in Archonticis Meurſii Faſtis optari poſſet.

II. Quamvis tamen Meurſius ille, qui ceteris pene ſequentibus facem praetulit, ipſorum etiam diligentiam mira; atque inſueta quadam felicitate quodammodo ſuperaverit; facile tamen ex Graecis ipſis Auctoribus, quos excribere, diurna nocturnaque manu verſare conſueverat, aliquot Eponymorum Archontum nomina exculpere, Faſtiſque iampridem editis adiungere potuiſſet; niſi maximo Literarum damno ſuprema illi dies maturius affulſiſſet. Quemadmodum enim plures, quos in Libris *de Athenienſium Archontibus* indictos praeterierat, mox in adverſaria congeſſit, eoſque Gronovii cura iam ceteris accenſitos eſſe conſpicimus, ita quoque reliquos, ac Eponymos quidem, Archontes omnes complexus eſſet, qui in variis eorumdem Scriptorum Libris memorantur. Facile id etiam Lydiatus, Palmerius, ac Dodvellus (neque enim Prideauxium ceteris comparaverim) praeſtare potuiſſent, ſi iis univerſam Archontum omnium ſeriem retexere, iterumque ſingula veterum teſtimonia conſulere libuiſſet. Cum vero clariſſimi Scriptores illi in alieni propemodum operis argumento, Meurſiii veſtigiis ubique fere preſſius inſtiterint, eorum ſolum Archontum nomina, ac ſeriem contexendam, ac ſubtilius alicubi explorandam ſuſceperunt, qui in Meurſii Faſtis occurrunt, Meurſiique Faſtis Archontes

illos

illos quod, proclive profecto fuerat, adiecere, quorum nomina ex Oxoniensi Marmore, aliisque id genus Inscriptionibus affulsere, quae post Meursii fata a Rheinesio, Sponio, Whelero collectae, publicaque luce donotae fuerant. Atque utinam quidem hac etiam in parte diligentius illi pulcherrima eiusmodi Antiquitatis monumenta, atque accuratius explorassent! Quid enim quod Archontes aliqui mihi nunc omnium primo ex iisdem ipsis Marmoreis Inscriptionibus observasse contigit, quas Dodvellus ita consulere, ac laudare consueverat, ut exinde Archontum quorundam nomina exsculpserit, quos Archontum Fastis insereret? Sed ea nimirum est eiusmodi praesertim studiorum, Scriptorumque indoles, atque conditio, ut quamcumque demum ingenii vim, solertiam, ac diligentiam in adornandis illis contuleris, semper tamen aliquid perspicaciores etiam oculos subinde aufugiat, quod sensim deinde vel in lucem extrahi, vel accuratius exponi possit. Itaque e re futurum putaverim si doctissimorum hominum exemplo imitatus, qui Meursii Fastos, additis Archontum aliorum nominibus, uberiores, alicubi, plenioresque reddidere, Archontes illos hic persequar, qui non Meursii solum, sed Dodvelli quoque solertiam effugerunt. Tum Archontes illos accurate complectar, qui post editos Dodvelli Fastos ex Graecis Marmoribus doctissimorum hominum opera nuperrime in lucem editis affulserunt. Cumque merito suspicari quis possit ipsis etiam Atheniensium Numis. Archontum Eponymorum nomina inscripta fore, supremo tandem loco Magistratus, vel Archontes illos recensebo, quorum nominibus Atheniensium Numis insignitos esse conspicimus.

III. Atque, ut omnia meliori quo poterit, ordine demonstrentur, initio quidem Archontes illos subiiciam, qui a Meursio Fastis describi certe non poterant: quippe qui primum ex Arundelliano, ceterisque Graecis Marmoribus affulsere, atque in accuratissima Dodvelli serie Meursianis Archontibus accessere. Ita nimirum qui Meursii Libros in *Graecarum Antiquitatum Thesauro* iterum excusos inspexerit, Archontes omnes, qui ad haec usque tempora prodierunt Meursiique Fastis adiecti fuerunt, hic ordine subiectos conspiciet. Deinde vero in hac ipsa Dissertatione X. Archontes

 illos,

illos, servata temporum serie, complectar, quos ego omnium primus ex Graecis, Latinisque Scriptoribus deprehendi; adeoque, Meursii, Dodvellique Fastis adiungi debent. Quo tamen loco libere, ingenueque praefari iuverit quod ex Archontibus etiam istis a me recensitis nonnulli a Meursio quoque ceterisque Fastorum Scriptoribus memorantur; ut proinde Meursio, ceterisque incogniti censeri non posse videantur. Verum, cum temere Archontes illos in Meursii Fastis cum cognominibus Archontibus aliis confusos esse deprehenderim; facile, ut opinior intelligi, concedique potest quod ubi perspicuis temporum characteribus, aut argumentis aliis rite ab iis seiuncti, distinctique fuerint, novorum Archontum instar haberi, suisque in locis Eponymomorum Fastis inscribi debent. Illud hic etiam monuisse iuverit quod ex eiusmodi Archontibus nonnulli quidem perspicuis adeo, certisque notis insigniuntur, ut dubitari certe non possit quin veris Eponymis accenseri, ipsorumque Fasti adiungi illi debeant. Ceteri vero obscuriores quodammodo planeque dubios characteres praeseferunt, ut facile intelligi, vel definiri non possit an vero Archontis munere perfuncti illi fuerint, adeoque Eponymorum Fastis inscribi possint. Atque isti, quidem facile a me negligi, vel ommitti poterant, ne Archontum seriem dubiis vel commentitiis etiam nominibus inficerem, postquam Meursii, Dodvelli, aliorumque Fastos *Pseudeponymorum* Archontum nominibus vitiatos esse iam dixeram. Satius tamen duxi ipsorum quoque nomina recensere, simulque argumenta singula, quaecumque illa fuerint, indicare, quibus coniicere, vel suspicari fortasse liceat ipsos etiam Eponymorum Archontum munere perfunctos esse. Quod si coniecturas illas subinde leviores, vel falsas esse quis viderit, is libere, suoque iure Archontes illos e Fastis eximat, clarioresque; vel certiores Archontes alios inscribat, qui facile ex editis, ac ineditis etiam Graecis Scriptoribus affulserint. Quemadmodum vero Differt. X. Archontes illos exponam, quos a Scriptoribus memoratos, ceterisque incompertos, vel indictos esse deprehenderim; ita quoque proxima Differt. XI. Archontes etiam illos complectar, quos ex Graecis Marmoribus, Sponii, Rheinesii, Hasfellii, ac Muratorii Opera in lucem editis observavi. Denique

que XII. Dissertatione de Atheniensium Numis, iisque nominibus agendum erit, quae Numis ipsis inscripta fuerint: ut si fortasse vel coniecturis vel clarioribus argumentis aliis ostendi possit iisdem nominibus Archontes Eponymos designari, plurima eiusmodi Archontum nomina ex Numis eruta Fastis inscribi possint.

IV. Itaque methodo iam constituta ab Archontibus illis exordiar, qui Dodvello duce Meursii Fastis adiungi debent.

Ex Marmore Oxeniensi.

Olymp.	24. an.	3.	Lysias.
	33.	4.	Dropides.
	43.	4.	Aristocles.
	46.	3.	Critias I.
	47.	$\frac{2}{3}$	Simon.
	49.	$\frac{2}{3}$	Damasias II.
	61.	$\frac{1}{2}$	Athenaeus, vel Alcaeus I.
	67.	$\frac{3}{4}$	Clisthenes.
	71.	$\frac{2}{3}$	Pythocritus.
	73.	$\frac{3}{4}$	Philocrates.
	129.	1.	Diognetus

Nausias ex Rheinesio Clas. I. Num. 135. Sequentes etiam Archontes ex aliis Marmoribus a Dodvello excerpti fuerant, verisque Eponymis accensiti.

Prulades ex Grutero Pag. 464. Num. 7.

Phaedrias ex Spon. Miscellan. Pag. 343. & Itiner. Wheeleri Pag. 54.

Zeno ex Rhein. Clas. I. Num. 55. & inter Marm. Oxon. Num. 6

Diognetus ex Rhein. Clas. 1. Num. 206.

Aurelius Ancharenus, &

Bentidius Sota ex Spon. Miscell. Pag. 369.

Sed illorum ſinguli ex Eponymorum Faſtis expungi debent, ut Diſſert. VIII. iam demonſtravi: quemadmodum Pſeudeponymis ſolum inſcribendos eſſe iam dixi *Piſiſtratum*, *Ariſtidem*, *Themiſtoclem*, *Cteſiclem*, *Calamionem*, quos in Lydiati, Dodvellique ſerie recenſitos eſſe conſpicimus. *Thericles* vero in Valeſii Excerptis memoratus quamvis ab *Hercule*, vel *Heraclide* in Lydiati Faſtis ſecernatur ab illo tamen diſtingui certe non poterit: quemadmodum *Lyſagoras*, & Archontes alii, qui in Oxonienſi Marmore memorantur, ad eosdem prorſus Olympicos annos referri debent, in quibus Archontes alii, inflexo ſubinde vel alterato nomine, ab aliis Scriptoribus collocantur, ut fuſius ac oportunius ſuis in locis in Faſtis Atticis oſtendatur. Addi poſtremo poterit Eponimorum Faſtis inſcribendos eſſe *Critiam* II., *Athenaeum*, ſive ut Lydiato ſupplere Libuit, *Alcaeum* II. ac *Phenippum* I. quandoquidem in Oxonienſi Marmore *Critias* I. *Athenaeus* I. & *Phaenippus* II. memoratur; adeoque Diſerte ſatis exprimitur Archontes alios ipſis cognomines, Faſtis illis ſcriptos eſſe oportere, quos accuratiſſimus Marmoris Auctor exſcripſerat. Sed Archontum iſtorum aetas aegre coniici, vel divinari vix poterit; niſi fortaſſe lux aliqua ex veteribus Monimentis aliis affulgeat. Itaque tandem ad Archontes illos convertar, quos in variis Scriptoribus deprehendiſſe videor, atque in Faſtis omnibus hactenus editis aut omiſſos, aut temere cum Archontibus aliis confuſos eſſe iam dixi.

V.

Tleſias.

In definiendo Archontis huius nomine, principatu, atque aetate doctiſſimos Viros ita mirifice diſſidentes eſſe conſpicio, ut alii quidem ex annuis, Eponymiſque Archontibus illum expungendum eſſe arbitrentur; alii vero cum *Lyſia*, qui in Oxonienſi Marmore memoratur, temere confundant: alii denique a Lyſia quidem diſtinctum eſſe opinentur: ſed ipſo tamen poſteriorem exiſtiment. Ac Tleſiam hunc quidem Archontis munere perfunctum eſſe, idque anno 4. Olymp. XXIII. perſpicue docet Pauſanias (1) ubi de ſecun-

(1) Meſſen. c. 5.

secundo Messeniaco bello, sive secunda Messeniorum a Lacedaemoniis defectione disserens ait. *ἀπέστησαν ἔτει τριακοστῷ μὲν κὴ ἐνάτῳ μετὰ Ἰθώμης ἅλωσιν, τετάρτῳ δὲ τῆς τρίτης ὀλυμπιάδος κὴ εἰκοστῆς, ἣν Ἴκαρος Ὑπερησιεὺς ἐνίκα στάδιον. Ἀθήνησι δὲ οἱ κατ' ἐνιαυτὸν ἦσαν ἤδη τότε Ἄρχοντες. κὴ Ἀθηναίοις Τλεσίας ἦρχεν: Defecerunt Messenii trigesimo nono post Ithomes excidium anno, qui fuit 4. Olympiadis XXIII. qua stadio vicit Icarus Hyperesiensis, Athenis vero Archontes annui iam instituti erant; ac tunc quidem Tlesias Archontis munere fungebatur.*

(1) Itaque Sigonius eiusmodi Pausaniae testimonio fretus Tlesiam hunc inter annuos Archontes Eponymos enumeravit; ideoque Creontem annuorum primum in antecedentem annum retulit. Meursius vero (2) ac Petavius, cum iuxta Dionysii Halicarnassaei (3) calculum, qui Creontem decennalium Archontum primum incaepisse dixerat anno 1. Olymp. VII. Creontem ipsum ad annum 3. Olymp. XXIV. retulisset, Tlesiam hunc, qui a Pausania anno 4. Olymp. XXIII. Archon fuisse dicitur, Erixiae decennalium Archontum ultimo suffectum putavit, ut proinde Tlesiae principatus in Erixiae decennio contineatur. Superiora vero Pausaniae verba, quibus Archontes annuos Tlesiae aetate iam institutos asseruit, ita Meursius corrigenda fore putavit, ut oppositum potius sensum efficerent, ideoque rescribendum existimavit, Ἀθήνησι δὲ ὀ κὴ ενιαυτὸν ἦσαν ἤδη τότε Ἄρχοντες, κὴ Ἀθηναίοις Τλησίας ἦρχεν *Athenis vero nondum Archontes annui instituti erant, ac tunc quidem Tlesias Archontis munere fungebatur*. Ego vero iam fusius, & opportunius alibi (4) insignem hunc Pausaniae textum prorsus immerito a Meursio sollicitatum esse manifeste demonstravi; quemadmodum perspicuis argumentis aliis ostendi Dodvellum quoque in corrigendo Pausaniae textu mirifice deceptum esse: cum Tlesiae Archontis annus ex perspicuo, constantique Pausaniae calculo ab anno 4. Olymp. XXIII. dimoveri non possit; adeoque Pausanias ipse in definiendo Archontum annuorum principio ab Oxoniensi Marmore, ceterisque Scriptoribus omnibus aberraverit.

Quandoquidem vero Pausanias ipse vel corrigi, vel cum Arundelliano Marmore componi certe non potest, illud unum inqui-

(1) De Tempor. Athenienf. (2) De Arch. Athen. Lib. I. c. 10. (3) Antiq. Lib. I. (4) Differt. I. Num. 6. & 7.

inquirendum hic superest an *Tlesias* ille qui a Pausania anno 4. Olymp. XXIII. imperasse dicitur, unus idemque Archon fuerit, qui in Arundelliano Marmore *Lysias* vocatur, atque ex Marmoris ipsius hypothesi ad annum 3. Olymp. XXIV. revocatur: quo certe loco Doctissimos viros dissidentes; atque inconstantes esse conspicimus. Ita Palmerius unum eundemque Archontem esse putavit, qui *Lysias* in Marmore, in Pausania *Tlesias* vocatur; (1) quamvis alibi Tlesiam ipsum a Lysia fortasse distinguendum esse coniecerit. (2) Lydiatus etiam, quamvis in Archontum Catalogo Lysiam in anno 3. Olymp. XXIV. collocaverit, ipsique Tlesiam anno sequenti successorem inscripserit, (3) utrumque tamen una potius confundi posse putavit: *Huic Lysiae proximus fuit Tlesias illa apud Pausaniam nisi potius idem vero nomine Lysias* (4) Prideauxius vero ceteris praesidentior asserit quod Archon ille, qui hic in Marmore *Lysias*, *apud Pausaniam Tlesias vocatur*; (5) adeoque in Canone Chronico, (6) alibique dicit (7) Archontem unum utroque nomine designari. Ea vero de caussa Archontem illum in Marmore ad annum 3. Olymp. XXIV. a Pausania vero in annum 4. Olymp. XXIII. referri putat, quod Pausanias ipse in definiendo tum Aesimedis, tum Hippomenis initio tribus interiectis annis Marmorei Chronici calculum consequatur; adeoque *primum* Hippomenis Archontis annum cum 2. Olymp. XIII. coniungat, qui tamen ex Marmoris hypothesi cum anno 1. Olymp. XIV. committendus esset, ut Creon Archontum annuorum primus in anno 1. Olymp. XXIV. collocetur.

Ego vero Lysiam a Tlesia facile distinguendum esse putaverim, ubi praesertim Marmoris Lacunae a Seldeno, ac Prideauxio rite feliciterque suppletae fuerint. Cum enim mutilae exesaeque laciniae ipsae supersint Ἀφ' ὧ . . . . . ο. υ . . . . ἔτη ΗΗΗΗΔΠΙΙΙ. Ἄρχοντος Ἀθήνησι Λυσία, (8) Prideauxius ita lacerum versum illum supplevit Ἀφ' ὧ Λακεδαιμονίοις Τυρταῖος συνεμάχησεν ἔτη ΗΗΗΗΔΠΙΙΙ. Ἄρχοντος Ἀθήνησι Λυσία. *A quo Tyrtaeus Lacedaemonis commilitabat*, *anni* 418. *Archonte Athenis Lysia*: quod nimirum ex Pausaniae (9) aliorumque (10) testimonio Lacedaemonii Delphici Apollinis oraculo ob-

(1) Notae ad Cron. Marm. Pag. 700. (2) Exercit. Pag. 388. (3) Marm. Oxon. Pag. 81. (4) Pag. 44. (5) Pag. 196. (6) Pag. 246. (7) Pag. 253. (8) Epoch. 34. (9) Messen. c. 15. (10) Strab. Lib. VIII. Iustin. Lib. III. Suida in Τυρταῖος & Diod Lib. XV. c. 66.

obtemperantes Tyrtaeum in Messeniaco bello ductorem ab Atheniensibus acceperint. Itaque ex verisimillima Prideauxii hypothesi tunc Lysias Atheniensis Archontis munere fungebatur, ubi Lacedaemonii Tyrtaeo duce cum Messeniis dimicarent. At Pausanias ipse nitide diserteque tradit Messenios Tlesia Archonte anno 4. Olym XXIII. a Lacedaemoniis defecisse; moxque cum Lacedaemoniis ipsis apud Deras ἔτει πρώτῳ μετὰ ἀπόςασιν (1) *anno post defectionem primo;* hoc est anno 1. Olymp. XXIV. dimicasse; tandemque Tyrtaei nuper Athenis acciti imperio ἐνιαυτῷ ὕςερον τῷ περὶ τὰς Δέρας ἀγῶνος *anno proximo post praelium ad Deras*, hoc est anno 2. eiusdem Olympiadis iterum cum Messeniis illorumque sociis conflixisse; ergo, si Tyrtaei, siue Lacedaemoniorum pugna, quae Lysiae Archontis anno contigisse dicitur, biennio Messeniorum defectione, quae in Tlesiae Archontis annum inciderat, posterior fuit, certe Lysias ipse cum Tlesia confundi non poterit, sed Lysias ille ex Pausaniae hypothesi non anno 4. Olymp. XXIII. sed anno 2. Olymp. XXIV. Archontum Fastis inscribendus erit. Quod si Pausaniae calculus, & hypothesis, ut Prideauxius ipse iam viderat, integro *triennii* spatio a Marmoris hypothesi differre debet; quemadmodum Creon ex Marmoris quidem hypothesi ad annum 1. ac Lysias ad annum 3. Olymp. XXIV. ita quoque Tlesias ad annum 3. Olymp. XXIV. revocandus erit, adeoque Lysias, quem Tlesia biennio posteriorem esse iam diximus, in anno 1. Olymp. XXV. collocandus erit. Ac certe Pausanias ipse Iram Messeniorum urbem *undecimo* tandem anno post pugnam, quae Tyrtaeo duce commissa iam fuerat, a Lacedaemoniis direptam esse testatur Autosthene Athenis Archonte anno 1. Olymp. XXVIII. ut proinde prima Tyrtaei Lacedaemoniorumque, pugna ex constanti Pausaniae calculo ad annum 4. Olymp. XXIV, sive potius 1. sequentis Olympiadis referri debeat. Itaque vel in supplendis Marmoris Lacunis Prideauxius ipse perspicue fallitur, vel Lysias in Marmore memoratus a Pausaniae Tlesia manifestissime distingui debet; alioquin, si Pausaniae Tlesias annus idemque cum Lysia Marmoris esse posset, Messeniorum defectio, simulque ipsorum cum Lacedaemoniis pugna ad unum

eum-

(1) In Messen. c. 15.

eumdemque prorsus Olympicum annum revocanda foret.

Denique, ut una omnia verbo complectar, nominum varietas, rerumque gestarum ordo argumento esse poterit Lysiam a Tlesia distinguendum esse; nulla vero certa ratio proferri, vel effingi profecto poterit, cur Lysias ipse cum Tlesia confundi debeat; adeoque, si in re perplexa coniecturis solum agendum esse conspicimus, longe verisimilius existimo Lysiam, ac Tlesiam duos Archontes esse oportere: ut Tlesias quidem non Lysiae successerit, quod Lydiatus existimaverat; sed ante Lysiam ipsum Archontum Fastis inscribi debeat, ut ex perspicua rerum serie Pausaniae testimonio iam demonstravi.

VI.

Mnasippus.

Harpocration in voce Λέχαιον *Lechaeum* ait: Ἐν τῇ Μιξιδήμου ἀπολογίᾳ φησὶ Λυσίας ὅτι Λέχαιον ἑάλω Μνασίππου Ἄρχοντος. Ἔστι δὲ τὸ Λέχαιον ἐπίνειον Κορινθίων, κατά φησι Στράβων ἐν ὀγδόῃ Γεωγραφουμένων *Lysias* in Mixidemi Apologia *ait Lecheum Mnasippo Archonte excisum fuisse. Est vero Lechaeum ipsuae Corinthiorum navale, ut scribit Strabo octavo Libro Geographicorum.*

Non solum Strabo, qui hic optime, accurateque ab Harpocratione citatur, sed Pausanias (1) etiam in describendo Lechaei situ consentit. Quinetiam celebris ille Corinthiorum portus, ac pugnae, quae in illo contigerunt, ab aliis quoque Scriptoribus memorantur. Ita Socrates apud Platonem (2) asserit Atheniensium plures apud Lechaeum proditione, & prope Corinthum locorum asperitate confectos esse. Andocides (3) narrat Lechaeum a Lacedaemoniis esse occupatum; & Lechaei quoque mentio apud Isaeum (4) Diodorum, (5) & Xenophontem (6) alicubi reperitur; qui Mnasippum etiam quemdam Lacedaemoniorum Navarchum fuisse memorat, qui Corcyram adortus, in praelio interiit; idque Socratide Athenis Archonte, hoc est anno 3. Olymp. CI. contigisse scribit Diodorus (7). Denique Plutarchus (8) ipse testatur Iphicratem apud Lechaeum Lacedaemoniorum Legionem, quae *Mo-*

ra

(1) Corinth. c. 1. (2) In Menexemo. (3) Orat. III. (4) Pag. 58. (5) Lib. XIV. c. 91
(6) Lib. V. (7) Lib. XV. c. 47. (8) De Glor. Athen.

ra ab iis appellabatur, concidisse. Itaque, si varia eiusmodi Scriptorum testimonia conferantur, perspicuum fiet Lechaeum ipsum aliquando quidem a Lacedaemoniis, aliquando vero ab Atheniensibus superatum, ac Lacedaemoniis ereptum esse. Quandoquidem vero Lysiae Oratio, quae hic ab Harpocratione laudatur, interiit, ac Suidas (1) subdubitat, an inter veras Rhetoris huius Orationes haberi illa debeat, definiri certe non poterit an Lysias ipse de Lechaeo a Lacedaemoniis, sive potius ab Atheniensibus occupato loquatur; adeoque Mnasippi Archontis annus omnino dubius, & obscurus esse nunc debet.

Ac certe, si Lysias hoc loci tempus illud expresserit, quo Lacedaemonii Lechaeum occuparunt, Mnasippi Archontis annus post Olymp. C. referendus erit. Etenim Andocides citato loco nitide, diserteque docet Lacedaemonios ter praelio victoriam adeptos esse: primo nimirum apud Corinthum; tum Agesilao Duce contra Boeotos; τρίτον δ' ἐνίκα Λέχαιον ἔλαβον *tertio vero cum Lechaeum occuparunt*. Itaque cum prima illa Lacedaemoniorum victoria prope Corinthum, quae μεγάλη μάχη *magna pugna* a Xenofonte vocatur (2) Diophanto Athenis Archonte, hoc est anno 2. Olymp. XCVI. contigerit; atque Agesilai contra Baeotios expeditio anno 4. Olymp. C. Diodoro (3) teste suscepta fuerit, tertia illa prope Lechaeum victoria ad sequentes Olympiades manifestissime referri debet.

Sin vero Lysias laudato loco non Lacedaemoniorum, sed suorum potius Atheniensium victoriam indicavit, Mnasippi principatus ad recentiora adhuc tempora spectasse debuit. Siquidem, ut Plutarchus Atheniensium victorias Isocrate florente partas enumerant, Lechaei oppugnatio Iphicrate duce suscepta fuit; postquam Timotheus in Euboea, & Chabrias ad Naxum palmam retulerant: ergo, quamvis Iphicrates Corinthiaco bello praeesse caeperit (4) anno 4. Olymp. XCVI. cum tamen Euboica, & Naxia pugna in annum 4. Olymp. C. inciderit, Iphicratis victoria, & Lechaei excidium ad sequentem Olympiadem referendum erit. Nec alia certe, ut opinior, est expugnatio, quae ab Isaeo memoratur, ubi ait Dicaeagenem, qui Isaei ipsius aetate, adeoque

 cir-

(1) In Musaeus. Vid. Meurs. Lect. Attic. Lib. III. c. 14. (2) Lib. IV. (3) Lib. XV. c. 32. (4) Diod. Lib. XIV. c. 91. & Nepos. in Iphicr.

circa Olymp. C. florebat, militasse ὅτε Λέχαιον ἑάλω *quando Lechaeum excisum fuit*. Hinc Mnasippus ille, quo Archonte Lechaeum excisum fuisse dicitur, Fastis quidem ut Eponymus Archon inscribendus erit; sed alteri tamen suffectus haberi debet, cum Lysiae, Iphicratis, ac Isocratis aetate Archontum Fasti pleni sint; nec integer annus ullus Mnasippo Archonti concedi possit.

Fieri tamen fortasse potuit ut Lysias longe antiquiorem aliam Lechaei expugnationem sive ab Atheniensibus, sive a Lacedaemoniis factam citato loco respexerit, quae ante Olympiadem LXX. contigerit; adeoque Mnasippi nomen antiquioribus iis temporibus Eponymorum Fastis inscribi debeat. Ac certe quidem Athenienses ipsi Corcyraeis opem ferentes Corinthios anno I. Olymp. LXXXVI. navali praelio superarunt; (1) ac Lechaeum ipsum ante Olymp. XCV. ab Atheniensibus obsessum esse perspicuo Platonis testimonio demonstratur, ubi milites illi, qui prope Corinthum, & Lechaeum sublati fuerant, a Socrate memorantur, quem Olympiadis XCV. anno I. defunctum esse iam diximus (2)

Ceterum quacumque demum aetate Mnasippus ille imperaverit, dubitari certe non poterit quin varis Atheniensium Archontibus accenseri ille debeat: cum Atheniensis orator Lysias ipsius nomine, veluti perspicua solemnique temporis nota, annum illum expresserit, quo Lechaei expugnatio; celebris nimirum res ac historia, contigerat.

VII.

Socratides.

VIII.

Apollodorus.

Suidas in *Philochoro* varia praestantissimi Scriptoris Opera recensens ait ἔγραψεν Ἀτθίδος βιβλία ιβ´ περιέχει δὲ τὰς Ἀθηναίων πράξεις, καὶ βασιλεῖς, καὶ Ἄρχοντας ἕως Ἀντιόχου τοῦ τελευταίου τοῦ προσαγορευθέντος Θεοῦ ... περί θυσιῶν ά. Περί Τετραπόλεως. Σαλαμῖνος κτίσις. Ἐπιγράμματα Ἀττικά. Περὶ τῶν Ἀθήνησιν Ἀγώνων βιβλία ιβ´. περὶ Ἀθήνησιν Ἀρξάντων ἀπὸ Σωκρατίδου καὶ μέχρι Ἀπολλοδώρου. Scripsit

(1) Diod. Lib. XII. c. 33. (2) Differt. IX. Num. 30.

psit septemdecim Atthidis Libros complectitur vero res ab Atheniensibus gestas, Reges etiam, & Archontes usque ad Antiochum ultimum cognomento Deum...De sacrificiis Librum unum. De Tetrapoli Salaminae aedificationem. Inscriptiones Atticas. De Atheniensium Agonibus Libros XVII. De Atheniensium Archontibus a Socratide ad Apollodorum.

Doctissimus Scaliger cum eximium hunc Suidae locum excriberet, Socratidem illum hic a Philochoro, aut Suida memoratum esse putavit, qui anno 3. Olymp. CI. Eponymorum Archontum Fastis inscribitur; adeoque in *Historiarum Collectaneis*, sive *Olympiadum Recensione*, quam Eusebiano Chronico subiecit, in Socratidis huius Archontis anno adnotavit Philochorum ab hoc Socratide ad Apollodorum usque Archontes omnes peculiari quodam Opere descripsisse. Meursius quoque Scaligeri, sive ut appellat ipse, Anonymi fidem sequutus Socratidem hunc, a quo Philochorus Archontum seriem exorditur, in anno 3. Olymp. CI. collocavit; eodemque iure, ut opinor, hoc est ambigua nominis similitudine, *Apollodorum*, in quo Philochori series desinebat, cum Apollodoro confundere profecto debuit, qui anno 3 Olymp. CVII. iterumque anno 2. Olymp. CXV. Fastis inscribitur.

Tantum tamen abest ut ex sola nominum similitudine inferri repente possit neque Socratidem, neque Apollodorum alium a Philochoro, aut Suida memoratum esse, quam qui in vulgatis hodie Fastis occurrunt, ut oppositum potius maximo, optimoque iure deprehendi posse videatur. Quis enim fieri potuisse existimet ut Philochorus ille, qui singula Atheniensium gesta, Reges, & Archontes omnes a primis usque temporibus ad Antiochi *Dei* aetatem hoc est Olympiadem CXXX. qua Philochorus ipse floruit, in septemdecim Atthidis Libris uberrime complexus erat, Archontum deinde seriem, quam breviori quadam methodo contexit, angustis adeo finibus circumscriberet, ut *sex* solum, vel *quatuordecim* etiam, si mavis, Olympiadum Archontes recensuerit? Ex variis certe fragmentis, quae apud Dionysium, aliosque Scriptores supersunt, ita septemdecim Atthidis Libros a Philochoro contextos esse conspicimus, ut exposito Archontis nomine, qui anno quodam imperaverit, mox illa repen-

 te

(1) De Arch. Ath' Lib. IV. c. 2.

te ſubiiciat, quae eo anno Athenis memoratu digniſſima contigerunt. Ita Dionyſius ex ſexto Atthidis Libro Philochori verba excribens ait. Καλλίμαχος Περγασῆθεν. ἐπὶ τȣτȣ ... Θεόφραςος Ἁλαιεὺς. ἐπὶ τȣτȣ ... Λυσιμαχίδης Ἀχαρνεὺς. ἐπὶ τȣτȣ. (1) *Callimachus ex Pergaſe. Sub hoc* Archonte... *Theophraſtus Halaeus. Sub hoc* Archonte... *Lyſimachides Acharnenſis. Sub hoc* Archonte. Itaque nihil Philochoro brevem illam Archontum ſeriem contexenti facilius eſſe iam poterat, quam eoſdem illos Archontes omnes recenſere, quorum nomina iampridem in Atthide Faſtis inſcripſerat; nihilque viciſſim a veri ſpecie magis abhorret, quam Philochorum ipſum mutilam, brevem, ac informem adeo Archontum ſeriem edidiſſe, quae ab anno 3. Oliymp. CI. inciperet, atque in Olymp. CVII. ſive CXV. deſineret. Ac certe quidem, ſi Socratidis Archontis anno qui Olymp. CI. imperavit, aut Peloponneſiacum, aut Lamiacum, aut Corinthiacum, aut Sacrum bellum exarſiſſet, illudque Apollodori Archontis anno diremptum eſſet; ſive ſi celeberrima hiſtoria quaedam contigiſſet, quae iis temporibus, Iſocratidis nimirum, & Apollodori Archontis anno veluti terminis circumſcriberetur, fieri fortaſſe poterat, ut Philochorus, Thucydidis, Xenophontis, & Dionyſii inſtar, non integram accuratamque Archontum omnium ſeriem, ſed brevem potius, mutilamque nobis ederet. Cum vero nihil eiuſmodi effingi poſſit, qui fieri unquam potuit, ut Philochorus Archontum recenſionem ab Olymp. CI. anno 3. inciperit, ipſamque non ad ſua uſque tempora deduxerit; ſed abrupta veluti ſerie in Olymp. CVII. ſive CXV. ſubſtiterit? Itaque, niſi plurimum fallor, longe veriſimilius haberi debet Socratidem, aut Apollodorum illum, qui hic a Philochoro, vel Suida nominatur, a cognominibus aliis diſtinguendos eſſe, qui in Faſtis occurrunt; ut proinde Socratides quidem ad antiquiora tempora, hoc eſt ante Olymp. LXX. Apollodorus autem ad recentiora nimirum circa Olymp. CXXX. ſive Philochori ipſius aetatem, referri debeat; ut quemadmodum nempe Philochorus ipſe *Pythodori*, *Iſarchi*, *Hipparchi*, *Glaucippi* aliorumque Archontum in Atthidis, ut videtur, Libris meminerat, (2) qui ante centeſimam Olympiadem imperarunt; ſimulque *Anaxicritis*, (3) qui

(1) In Epiſt. ad Ammae. (2) Apud Schol. Ariſtoph. ad. Pacem (3) Apud Dionyſ. in Dinar.

qui anno 2. Olymp. CXVIII. Fastis inscribitur, ita quoque Archontes illos in ipsa quoque Eponymorum serie memoraverit. Quinetiam suspicari fortasse quis poterit *Pythodori*, & *Anaxicratis* Archontis nomina non ex Atthide, quam nitide, diserteque Dionysius citare consueverat, sed ex Archontum potius Catalogo desumpta fuisse. Quandoquidem tamen nullus hac in parte perspicuus nobis ex veteribus Scriptoribus splendor affulget, nihil hic temere definire velim; sed Scaligeri solum, Meursiique coniecturae, coniecturam aliam opponere: cumque illi duos Archontes istos a Suida memoratos cum vulgatis Archontibus aliis repente confuderint, indiciar, vel characteres illos exponere, quibus non temere, atque immerito ostendi fortasse possit, ab iis potius distinguendos, adeoque veluti novos Eponymorum Fastis inscribendos esse.

IX.

Diphilus.

Diphilum hunc aliquando Archontis Eponymi munere perfunctum esse perspicue docet Plutarchus in *Demetrii vita*. Postquam enim dixerat Atheniensibus libertatem a Demetrio, & Antigono restitutam esse, repente subdit: Μόνοι δὲ Ἀθηναῖοι Σωτῆρας ἀνέγραψαν θεὲς, καὶ τὸν ἐπώνυμον, καὶ πάτριον Ἄρχοντα καταπαύσαντες Ἱερέα Σωτήρων ἐχειροτόνεν κατ' ἕκαςον ἐνιαυτόν. Καὶ τῦτον ἐπὶ τῶν ψηφισμάτων, καὶ τῶν συμβολαίων προέγραφον. *Soli Athenienses servatores Deos vocarunt, abrogatoque Eponymo, patrioque Archonte, Servatorum Sacerdotem quotannis creaverunt; ipsumque decretis, & contractibus praescripserunt.* Inclinante vero Demetrii fortuna scribit Plutarchus quod Athenienses ab illo defecerunt, Diphilumque Archontem Eponymum, sive ut tunc temporis vocari consueverat, *Servatorem Sacerdotem* ex Eponymis sustulerunt, patriis iterum, pristinisque Archontibus restitutis: Ἀθηναῖοι δέ ἀπέςησαν αὐτῦ, καὶ τόντε Δίφιλον, ὃς ἦν Ἱερεὺς τῶν Σωτήρων ἀναγέγραμμένος, ἐκ τῶν Ἐπωνύμων ἀνεῖλον, Ἄρχοντας αἱρεῖσθαι πάλιν, ὥσπερ ἦν πάτριον, ψηφισάμενοι. *Athenienses ab illo defecerunt, ac Diphilum, qui Servatorum sacerdos inscriptus erat, ex Eponymorum Fastis expunxerunt: sciveruntque ut Archontes denuo, quod de more iis erat crearen-*

ventur. Atque haec ipſa quidem poſtrema Plutarchi verba, Meurſius excripſit. Lib. IV. c. 17. ut oſtenderet Diphilum Athenis Archontem fuiſſe. Sed *Diphilum* tamen iſtum a Plutarcho memoratum unum eundemque fore putavit Meurſius, quem Dionyſius Halicarnaſſeus *in Dinarcho* Philippum vocaverit; ut proinde *Philippus* iſte, vel *Diphilus* anno 4. Olympiadis CXXI. imperaverit. Dodvellus etiam, ceterique Scriptores omnes in contexenda Archontum ſerie, Meurſii, ut opinior, auctoritate decepti *Philippum* cum *Diphilo* confuderunt.

Diphilus tamen iſte a Plutarcho memoratus, ut ex perſpicua temporum ſerie deprehendi, neque cum Philippo confundi, neque ad Olympiadem CXXI. referri poteſt. Siquidem Philippus ille, qui in Archontum ſerie a Dionyſio exhibetur, eſt *decimus quintus* ab Anaxicrate, utroque nimirum extremo computato, ideoque cum Anaxicrates Archon fuerit anno 2. Olymp. CXVIII. Philippus ad annum 4. Olympiadis CXXI. referri debet. Certe Dionyſius ipſe de Dinarcho loquens aſſerit illum Athenis exilio pulſum in Chalcide vixiſſe ἀπ' Ἀναξικράτȣ ἕως Φιλίππȣ πεντεκαίδεκα ἔτη *ab Anaxicrate* Archonte *uſque ad Philippum, quindecim annorum ſpatio*: quo mirifice Archontum ſeries a Dionyſio expoſita confirmatur, ſimulque clarius oſtenditur Philippi principatum ab anno 4. Olympiadis CXXI. dimoveri non poſſe.

Diphili vero principatus longe poſterior eſſe debet, nec niſi ad Olym. CXXII. finem, ſive ſequentis potius initium referri poteſt. Plutarchus enim in Demetrii vita perſpicue docet quod Caſſandro Macedoniae Rege defuncto Philippus natu maximus paternum regnum ſuſcepit. Sed illo quoque mox defuncto Antipater, & Alexander Philippi fratres de regno dimicarunt; cumque Demetrius Alexandrum proditione ſuſtuliſſet, atque Antipatrum, ſimulque Pyrrhum, qui Alexandro opem laturus advenerat, ſuperaſſet, Macedoniae regnum occupavit. Denique Demetrius ipſe a Pyrrho, Ptolemaeo, Seleucoque foederatis Regibus ſuperatus Macedoniae regnum amiſit poſtquam ſeptem annis, ut Plutarchus ipſe teſtatur, in Macedonia regnaverat: Μακεδονίας ἑπταετίαν ὑπὸ Δημητρίȣ βεβαίως ἀρχθείσης. Tunc proſtratis omnino Demetrii rebus Athenienſes ab illo defecerunt, Diphilumque ex *Eponymis*, quos *Servato-*

rum

rum, hoc eſt Antigoni, Demetriique *Sacerdotes* vocabant, ſuſtulerunt. Itaque tum Caſſander obierit anno 3. Olymp. CXX. atque Philippus filiorum maximus defuncto patre annum unum regnaverit, Demetrius ab Alexandro poſt Philippi mortem in Macedoniam vocatus Alexandrum ipſum de medio tollere, Antipatrum, Pyrrhumque ſuperare, Macedoniae denique regnum occupare non potuit ante annum 1. Olymp. CXXI. ideoque *ſeptimus* regni annus, quo Demetrius Macedoniae regno, ſimulque Diphilus Archontis munere ſpoliatus fuit, incidere debet in annum 4. Olymp CXXII. ſive potius in ſequentem annum 1. Olymp. CXXIII. Et certe quod Demetrius ipſe Macedoniae regnum anno 1. Olympiadis CXXI. invaſerit exinde quoque nitide oſtendi poteſt quod eodem prorſus anno Demetrius in Macedoniam venit; quo Pyrrhus Epirotarum regnum ſuſcepit, ac Alexandro opem laturus Macedoniam intravit; ſed Pyrrhus Epirotarum regnum obtinuit *Q. Fabio, & Pub. Decio Coſſ.*, ut teſtatur Velleius; hoc eſt anno 1. Olymp. CXXI. ſive V. C. 459. ergo eodem anno Demetrius Antipatro, Pyrhoque expulſis, interfectoque Alexandro Macedoniae regnum occupavit; ut *ſeptimus* proinde regni annus ad annum 4. Olymp. CXXII. ſive 1. Olymp. CXXIII. referri debeat; adeoque Diphilus qui *ſeptimo* Demetrii regis anno Archontis munere fungebatur, nulla ratione cum Philippo confundi poteſt qui Olympiadis CXXI. anno 4. imperaverat.

Si perſpicuam hanc temporum ſeriem a Plutarcho nobis expoſitam Meurſius, Dodvellus, aliique plurimi obſervaſſent, facile Diphilum a Philippo diſtinguendum eſſe putaſſent; neque Meurſius ipſe qui Lib I. c. 9. & Lib. IV. c. 16. ſervatorum Sacerdotes anno 1. Olymp. CXXIII. ſublatos, iterumque Archontes inſtitutos eſſe iam dixerat, id anno 4. Olymp. CXXI. contigiſſe, & Archontes omnes Olymp. CXXII. primumque ſequentis Olymp. CXXIII. ignorari pronunciaſſet; Diphilum denique cum Philippo temere confudiſſet. Quid doctiſſimo Viro fraudi fuerit, alii viderint: id unum perſpicue a me demonſtratum eſſe putaverim quod Diphilus ille a Plutarcho memoratus omnino a Philippo diſtingui atque in Archontum Faſtis ad annum 4. Olym. CXXII, ſive 1. Olymp. CXXIII. adiungi debet.

X.

Diocles.

Plutarchus in *Vita X. Rethorum* decretum exibet, quo Archonte Pytharato, hoc eſt anno 2. Olymp. CXXVII. honores, ſimulque victus in Prytanaeo decernitur Δημοχάρει Λάχητος Λευκονεῖ εὐεργέτῃ.... κ) ὀχυρωσαμένῳ τὴν πόλιν ἐπὶ τῦ τετραετῦς πολέμυ, κ) εἰρήνην, κ) ἀνοχὰς, κ) συμμαχίαν ποιησαμένῳ πρὸς Βοιωτὺς. ἀνθ' ὧν εξέπεσεν ἀπὸ τῶν καταλυσάντων τὸν δῆμον, κ) ὡς κατῆλθεν ἐπὶ Διοκλέυς Α'ρχοντος ὑπὸ τῦ δήμυ συςείλαντι τὴν διοίκησιν πρώτῳ, κ) φεισαμένων, τῶν ὑπαρχόντων, κ) πρεσβεύοντων πρὸς Λυσίμαχον.. κ) γράψαντι πρεσβείαν πρὸς Πτολεμαῖον εἰς Αἴγυπτον.. κ) πρὸς Αντίπατρον πρεςβεύσαντι. *Demochari Lachetis* filio *Leuconienſi de* Patria *bene meriro....* quia *munivit urbem ſub bellum quatuor annorum; pacem, inducias, ſocietatemque cum Boeotis compoſuit. Ob haec eiectus Vrbe fuit ab iis, qui Populi poteſtatem everterunt. Reverſus Archonte Diocle, Populo revocante, contraxit adminiſtrationem, ſuis facultatibus non pepercit, Lyſimachum legatus adivit... auctor fuit legationis ad Ptolemaeum mittendae in Aegyptum ... & ad Antipatrum legatus ivit.*

Meurſius Lib. IV. c. 14. Dioclem hunc a Plutarcho memoratum unum eundemque Archontem eſſe pronunciat, qui *Philocles* ab aliis appellatur, atque anno 3. Olympiadis CXIV. dignitatem illam obtinuit; quemadmodum certe Philocles ille, qui Olymp CXIV. anno 3. Archon fuit, ab Ariſtophani Scholiaſte *Diocles* appellatur. Ego vero Dioclem iſtum a Plutarcho memoratum a Philocle diſtinguendum, ipſoque longe poſteriorem exiſtimo; idque perſpicue ſatis ex ipſa temporum ſerie, ac ſuperioribus etiam Plutarchi verbis oſtendi a me poſſe confido.

Ac primo quidem ex Diodoro, (1) aliiſque Scriptoribus (2) erudimur quod Athenienſes Archonte Philocle, hoc eſt anno 3. Olympiadis CXIV. ad Cranonem Metagitnione menſe ab Antipatro ſuperati ſunt; atque Antipater ipſe ſequente Boedromione Munichiae praeſidium impoſuit, omnemque Populi libertatem oppreſſit, ut Plutarchus ipſe in Demoſthenis, ac Demetrii vita fuſe commemorat. Ergo, ſi ineunte ſolum Phi-

(1) Lib. XVIII. c. 18. (2) Plutar. in Demoſth. prope fin.

Philoclis principatu bellum incaepit, Populique poteſtas oppreſſa fuit, Demochares certe *quatuor annorum bello* intereſſe, atque ab iis, qui Populi poteſtatem oppreſſerant, in exilium pelii, ſimulque Arconte Philocle a Populo revocari non potuit.

Athaeneus (1) etiam Democharem iſtum Oratorem fuiſſe dicit; atque Polibius (2) in Excerptis apud Valeſium pag. 52. aſſerit illum multa in Antipatrum dixiſſe, & diverſas a Demetrio Phalereo partes in Republica tenuiſſe, Athenienſium denique ϛρατηγὸν *Strategum* fuiſſe: quae certe argumento eſſe poterunt Democharem ipſum initio belli, atque ſequutis etiam pone temporibus, quibus Antipatri imperio, ſimulque Demetrii Phalerei auctoritate Athenienſis civitas regebatur, nondum exilio multatum fuiſſe; ſed Athenis potius multa pro Patriae, Populique libertate contra Antipatrum, atque Demetrium molitum eſſe. Sed quid coniecturis hic immorer, cum verum exilii tempus, ſimulque cauſſam ex Plutarcho deprehenderim? Ille nimirum ubi varios honores Demetrio ab Athenienſibus decretos memoraſſet, repente ſubdit (3) εἰπόντος δε τινὸς τῶν χαλῶν κἀγαθῶν ἀνδρῶν μαίνεδαι τὸν Στρατοκλέα τοιαῦτα γράφοντα, Δημοχάρης ὁ Λακωνεὺς εἶπε: μένοιτο μεντ' ἂν, εἰ μὴ μαίνοιτο· πολλὰ γὰρ ὁ Στρατοκλῆς ὠφελεῖτο διὰ τὴν κολακείαν. Ὁ δε Δημοχάρης ἐπι τότῳ διαβληθεὶς ἐφυγαδεύθη τοιαῦτα ἔπραττον Ἀθηναῖοι φρουρᾶς ἀπηλλάχθαι; καὶ τὴν ἐλευθεριαν ἔχειν δοκοῦντες. *Cum quidam ex optimatibus inſanire dixiſſet Stratoclem, eam qui promulgaret legem, Demochares Leuconenſis, ait: Atqui inſaniat, niſi inſaniat. Habebat enim admodum quaeſtuoſam Stratocles adulationem. Demochares ob id dictum delatus cum eſſet, in exilium datus eſt. Haec agebant Athenienſes cum liberati praeſidio forent. & agere viderentur in libertate.* Ergo Demochares in exilium non ab Antipatro, ſed a Demetrio pulſus eſt; cumque ſuperior illa Athenienſium aſſentatio, ſive Pſephiſmata in Demetrii honorem edita, atque a Demochare vituperata contigerint poſtquam Demetrius pace cum Rhodiis conſtituta Athenas redierat (4), quod Arconte Phaerecle, vel anno 1. Olymp. CXIX. factum ſcribit Diodorus (5), & antequam tamen Demetrius ipſe Athenis initiaretur, quod ex Diodoro contigit Archonte Nicocle, vel anno 3. Olymp. CXIX.

(1) Lib. XIII. (2) Lib. XII. (3) In Demetrio. (4) Plutarch. ibi. (5) Lib. XX. c. 91.

CXIX. & quidem Munichione menſe, ut ſcribit Plutarchus, manifeſtiſſime inferri debet, quod Demochares ille in exilium Olymp CXIX. anno 2. vel 3. expulſus fuit; ideoque Archonte Philocle anno 3. Olymp. CXIV ab exilio, & quidem Populi imperio, revocari non potuit, cum Populi auctoritas, atque poteſtas oppreſſa foret.

Quo vero tempore Demochares ab exilio revocatus, ideoque Diocles iſte Archontis munere perfunctus fuerit, definiri vix poteſt. Cum tamen ille *Populo revocante* Athenas redierit, neque Populus ipſe priſtinam libertatem ante receperit quam excuſſo Demetrii iugo Athenienſes ab illo defecerunt, Diphilumque ex Eponymis eiecerunt, longe veriſimillimum exiſtimo quod Democharis reditus, ideoque Dioclis principatus poſt Diphilum contigerit; ut proinde Diocles ipſe Diphilo ſucceſſiſſe videatur anno 1. vel 2. Olympiadis CXXIII.

Certe Dinarchus etiam Athenis & ipſe exilio pulſus anno 2. Olymp. CXVIII. Athenas iterum venit anno 4. Olymp CXXI. ſed Theophraſti precibus, atque Demetrii Regis beneficio: *συγχωρήσαντος τῦ Βασιλέως μετ' ἄλλων φυγάδων κᾀκεῖν κατελθεῖν*, *Rege, & ipſi quoque cum exulibus aliis reditum concedente*, ut ſcribit Dionyſius Halicarnaſſeus (1), & Plutarchus *in Dinarcho*; ergo ſi Demochares *Populo revocante* reverſus eſt, ille poſt ſublatum Demetrii Regis imperium, adeoque poſt Archontem Diphilum rediſſe debuit; ideoque Diocles, quo Archonte Demochares ab exilio revocatus eſt, anno 2. vel 3. Olymp. CXXIII. poſt Diphilum in Archontum Faſtis adiungi debet.

Legationes autem ille a Demochare iam reduce eadem illa Olympiade obitae ſunt, qua Lyſimachus, Seleucus, & Ptolemaeus contra Demetrium conſpirarunt; cum Ptolemaeus ipſe anno 1. Olymp. CXXIV. defunctus fuerit, ut proinde Dioclis principatus ultra Olympiadem CXXIII. differri nequeat.

XI. & XII.

Cephiſodorus.

Cephiſodori Archontis nomen ſemel, iterumque in Faſtis occurrit; nimirum anno 3. Olymp. CIII. & 2. Olymp. CXIV.

(1) In Dinar. Num. 3.

CXIV. ſiquidem Archon ille, qui anno 3. Olymp. CV. Faſtis inſcribitur, a Scriptoribus omnibus *Cephiſodotus* appellatur.

At præter Archontes illos, qui in Faſtis omnibus memorantur, duos inſuper *Cephiſodoros* alios a ſuperioribus omnino diſtinctos Faſtis ipſis adiungendos eſſe putaverim; quorum primus ab Arriano, alter vero a Pauſania memoratur.

Etenim, ut hinc exordiar, Arrianus Alexandri Macedonis expeditionem accuratiſſime deſcribens ait *τότε δὴ ὥρμηντο ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Κηφισοδώρου, εἰκάδι τοῦ Βοηδρομιῶνος μηνὸς, καθότι Ἀθηναῖοι ἄγουσιν, ὡς δέ Μακεδόνες τε, καὶ Ἀσιανοὶ ἦγον... τὸ ἑνδεκάτον βασιλεύοντος Ἀλεξάνδρου* (1) *oram ſolverunt, Archonte Athenis Cephiſodoro, vigeſima Boedromionis menſis die, ut Athenienſes computant; ut vero Macedones, & Aſiatici... undecimo, ex quo Alexander regnabat, anno*. Inſignem hunc elegantiſſimi Scriptoris locum depravatum eſſe, aut certe Arrianum ipſum in exprimendo Cephiſodori Archontis anno a Scriptoribus aliis diſſidere Palmerius, aliique doctiſſimi Viri putarunt; cum Cephiſodori nomen in anno 2. Olymp. CXIV biennio nimirum poſtquam Alexander e vivis exceſſerat reperiatur. At gravis illa vel erroris, vel oſcitantiæ nota accuratiſſimo Scriptori inuri vix poterit, qui in digerendis Athenienſium temporibus ubique cum aliis conſpirat, atque integros, accuratoſque Archontum Faſtos præ oculis habuiſſe conſpicitur, atque aliorum omnium inſtar Alexandrum ipſum Hegeſia Athenis Archonte, *duodecimo* Regni anno, Olymp. CXIV. anno 1. obiiſſe dixerat. Itaque, ut fuſius, ac opportunius alibi (2) diſputavi, longe veriſimilius exiſtimo in plenioribus Faſtis illis, quos Arrianus exſcripſerat, *Suffectorum* etiam Archontum nomina ſuis in locis addita riteque inſerta fuiſſe; cumque anno 4. Olymp. CXIII. praeter *Anticlem*, aut *Soſiclem*, qui in vulgatis, ſed mirifice quoque depravatis, Diodori Faſtis inſcribitur, *Cephiſodori* qui Anticli, Soſiclive ſucceſſerat, nomen deprehendiſſet, non Anticlis, ſed *Cephiſodori* nomine, veluti perſpicua, accuratiorique, temporis nota, Alexandri victoriam definivit. Quae certe ſi rite, feliciterque coniecerim, ſimulque perplexum illum Arriani, & Dionyſii quoque locum explicaverim, iam Cephiſodorus etiam iſte Eponymorum Archontum Faſtis inſerendus

(1) In Indicis. (2) Differt. IX. Num. 21.

rendus erit : quemadmodum prorſus Apſephionem , & Phaedonem etiam uno eodemqne anno $\frac{3}{4}$ Olymp. LXXVII. Faſtis inſcribendum eſſe iam diximus , quod Apſephion quidem a Plutarcho , & Oxonienſi Marmore , Phaedon vero a Diodoro eidem anno tribuatur .

Quod vero ad Cephiſodorum alium attinet , qui a Pauſania memoratur , eximius & elegans Auctor ille viam deſcribens , quae Eleuſinem Athenis ducit , ait *πλησίον δὲ πεποίηται Κηφισοδώρου μνῆμα δήμου προστάντος καὶ Φιλίππῳ του Δημετρίου Μακεδοσι βασιλεύοντι ἐς τὰ μάλιστα ἐναντεωθέντος*(1) *prope viſitur Cephiſodori , monumentum , qui , quum Populo praeeſſet , Philippo Demetrii filio Macedonum Regi vehementer reſtitit* . Cephiſodorum hic a Pauſania memoratum inter Eponymos habendum eſſe, eundemque fore putavit Meurſius (2), qui anno 3. Olymp. CIII. Faſtis inſcribitur . Sed clarior eſt certe Pauſaniae locus , & characteres illi , quibus ipſe Cephiſodori aetatem accuratiſſime definivit , quam ut ad cognomines Cephiſodoros alios , ſive ad Olymp CIII. transferri ille poſſit. Siquidem Philippus Demetrii filius Macedonum Rex , cui plurimum Cephiſodorus iſte reſtitiſſe dicitur , bellum Athenienſibus inferre caepit anno 1. Olymp. CXLV. ſive V. C. 554. ut facile ex Pauſania ipſo , aliiſque Scriptoribus oſtendi poſſet . Ergo Cephiſodorus ille , qui a Pauſania laudatur , Olympiade CXLV. vixiſſe debuit , adeoque ab antiquioribus Cephiſodoris aliis manifeſtiſſime diſtingui debet .

Illud hic potius inquirendum ſupererit, an Cephiſodorus etiam iſte veris Eponymis inſcribi debeat ; cum a Pauſania neque *Archontis* , neque *Eponymi* nomine decoretur . Quamvis enim id mihi facile veriſimilius haberi poſſe videatur, adeoque inter Eponymos recenſendum eſſe putaverim ; nihil tamen temere definire nunc velim . Id unum adieciſſe iuverit, quod Cephiſodorum iſtum a Polybio (3) quoque memoratum eſſe conſpicio , ubi narrat *Cephiſidorum* ab Athenienſibus Romam ablegatum fuiſſe , ut iniurias Athenienſibus ipſis , ceteriſque Graecis a Philippo Macedonum Rege illatas , exponeret , illorumque opem exoraret . Itaque verum vel Archontis , vel Oratoris nomen in Polybii textu ex Pauſania, reſtitui poterit ; ſimulque viciſſim Pauſaniae narratio perſpicuo Polybii teſtimonio confirmari . Ce-

(1) In Attic. c. 36. (2) Lib. IV. c. 4. (3) Lib. XVII.

Ceterum, ne fallax illa nominum ſimilitudo, quae Meurſio doctiſſimo fraudi fuerat, res Cephiſodori Archontis nomine inſignitas temere perturbet, illud hic etiam coronidis loco obſervaſſe libuit prorſus immerito Meurſium ipſum ambigere (1) an Decretum Cephiſodoro Archonte factum, quod ab Athenaeo (2) memoratur ad Cephiſodorum illum referri debeat, qui Olymp. CIII, ſive CXIV. imperavit. Etenim, ſi Phocus ille, qui legem rogaſſe dicitur non alius fuerit, quam celeberrimi Phocionis filius, quem luxu diffluentem Athaeneus ipſe paullo ſuperius deſcripſerat, ut longe veriſimillimum eſſe puto, dubitari certe non poterit, quin Decretum ipſum ad Olymp. CXIV. referri debeat. Siquidem Phocion anno 2. Olymp. CXV. *octogenarius* e vivis exceſſit; adeoque anno 3. Olymp. CIII. Phocus ipſius filius ea aetate eſſe non poterat, quae ferendis legibus veteri conſtantique Athenienſium ritu requirebatur. Ergo Cephiſodorus ille, qui ab Athenaeo memoratur, facile ab antiquiori cognomine diſtingui debet, atque ad Olymp. CXIV. referri.

XIII.

Athenion, ſive *Ariſtion*.

Anno, quo Romanorum exercitus, Sylla Duce, Athenas longa, gravique obſidione preſſas occupavit, Urbi praeerat Athenion, cuius ingenium, mores, fortunamque deſcribit Athenaeus (3). A Pauſania (4) tamen, ac Plutarcho (5) *Ariſtion* appellatur. Ac Plutarchus quidem Ariſtionem, vel Athenionem hunc Athenienſium Στρατηγὸν *Strategum* nominat; Athaeneus vero Στρατηγὸν ἐπὶ τῶν ὅπλων *militum Praefectum*: a Dione (6) denique ὁ τὰς Ἀθήνας φρουρῶν *Athenas praeſidiario milite cuſtodiens* vocatur: ac nullibi, quod noverim, diſerte *Eponymi*, aut *Archontis* nomine decoratur.

Fortaſſe tamen Archontis, & quidem Eponymi dignitatem, nomenque obtinuit. Etenim Athaeneus artes omnes deſcribens, quibus Athenion ipſe delinitis Athenienſium animis omnia nutu, arbitroque ſuo moderabatur, aſſerit illum veterem legittimamque Reipublicae, ac Magiſtratuum formam,

(1) De Arch. Athen. Lib. IV. c. 4. (2) Lib. VI. (3) Lib. IV. c. 14 (4) In Attic. c. 14. (5) In Sylla. (6) In Excerpt. apud Valeſ. Pag. 648.

mam, quae Romanorum vi perturbata, sive sublata iam fuerat, instaurasse. Ita nimirum Athenaeus ipse Athenionem in confertissimo Populi caetu loquentem inducit: μὴ ἀνέχεσθαι τῆς ἀναρχίας, ἣν ἡ Ῥωμαίων Σύγκλητος ἐπισχεθῆναι πεποίηκεν, ἕως αὐτῇ δοκιμάσῃ περὶ τοῦ πῶς ὑμᾶς πολιτεύεσθαι δεῖ *ne Anarchiam feratis, quam Romanorum Senatus valere voluit, quoad ipsi Urbis vestrae regendae ratio probatur*. Itaque dubitari non poterit quin Novemvirorum dignitas a Romanis sublata, atque ab Athenione restituta fuerit; cum certe *Anarchiae* nomine Eponymi praesertim Archontis defectus ab Atheniensibus appellari consueverit, ut opportunius alibi ostendi (1). Cumque Athenion ipse principem, supremumque fere tunc in Repubblica potestatem obtineret, nulli verisimilius, quam Athenioni, Archontis Eponymi dignitas tum Populi suffragiis attributa censeri poterit. Ad haec Athaeneus ipse diserte docet quod Athenion συγκατέστησεν ἑαυτῷ τοὺς ἄλλους Ἄρχοντας, οὓς ἠβούλετο *Magistratus, vel Archontes alios quos voluit, sibi adiunxit*. Id vero non alia ratione clarius intelligi, & explicari profecto poterit, quam si Athenion ipse Eponymus Archon civium suffragio constitutus octo Archontes alios elegerit, qui Συνάρχοντες *in Magistratu Collegae* merito nuncupantur.

Ita apud Lysiam dicitur τὸν Βασιλέα, καὶ τοὺς Συνάρχοντας τὰ ὑπὲρ τοῦ μέλλοντος ἄρξειν ἱερὰ θῦσαι (2) *Regem cum suis Collegis pro futuro Magistratu victimas offerre*; quemadmodum Plutarchus (3) Strategos, aut Duces Niciae Collegas συνάρχοντας *Magistratus Socios* appellat; ac Stephanus (4) Paredros etiam, quos ab Eponymo, Rege, & Polemarcho eligi consuevisse iam dixi (5), συνάρχοντας *in Magistratu Socios* vocavit: quod nimirum eodem fere Magistratus munere fungi viderentur, quo princeps Magistratus ille fruebatur, a quo electi, vel cooptati fuerant.

Quod si Athenion, vel Aristion ille vere Atheniensis Archon, & Eponymus haberi debeat, ipsius nomen, anno 1. Olymp. CLXXIII. Fastis inscribendum erit; quo Sylla Athenas *prima* Antesterionis mensis die, quae tunc in Martii

(1) Differt. IX. Num. 24. (2) Orat. 25. (3) In Nicia. (4) In πάρεδρος.
(5) Differt. I. Num. 28.

tii Calendas inciderat, expugnavit; ut graviſſimo Plutarchi teſtimonio [1] opportunius alibi demonſtravi [2].

XIV.

Magnus Gaius.

Ioannes Sarisbenienſis in *Policratico*, ſive *de Nugis Curialium*, Libro VI. c. 12. ait *Craſſus, cum in conſulatu obtineret Aſiam Provinciam, & circumſidere, atque oppugnare Leucas pararet, opuſque eſſet ſumma, atque procera trabe, qua arietem faceret, quo muri oppidanorum quaterentur, ſcripſit ad Magnum Gaium Maiorem Athenienſium, ſociorum, amicorumque Populi Romani, ut ex malis duobus, quos apud eos viderat, uter maior eſſet, ei mittere procuraret*. Quid elegans, ac eruditus Auctor ille *Maioris* nomine intellexerit definiri plane vix poterit. Ac certe quidem, ſi integer ipſius contextus, atque hiſtoriola obſervetur, *Maioris* nomine aut *Belli Ducem*, aut *Polemarchum*, aut *Strategum*, aut *Navarchum* exprimere voluiſſe putaveris; ut ab illo nimirum, qui navali, bellicisque rebus praeſideret, procera trabes, aut malus inquiri potuerit. At ipſa tamen *Maioris* vox ſenſum illum reſpuere videtur; cum nulla prorſus affinitas, atque coniunctio eſſe poſſit, ut Polemarchus ipſe, bellique Dux comoda, propriaque voce *Athenienſium Maior* dicatur.

Itaque longe veriſimilius exiſtimo *Maioris* nomine Archontem, & quidem Eponymum, deſignari; cumque in Graeico Scriptore, quem Sarisberienſis excripſerat, Magnus Gaius Athenienſium Ἄρχων, *Archon* vocaretur, Sarisberienſis ipſe, vel latinus alius Interpres, ut graecam hanc vocem, cuius vim ignoravit, exprimeret, ipſam *Maioris* nomine minus certe feliciter, accurateque; ſed aliqua tamen affinitate explicavit. Ita propemodum graviſſimos, ac politiores etiam Scriptores alios in exprimenda Archontis voce diffidentes eſſe conſpicimus [3]. Quamvis enim Cicero, & Trebellius [4], & Spartanus [5] ipſum *Archontis* nomen uſurpaverint, Eponymus tamen Athenienſium Archon a Plinio [6] quidem, & Se-

(1) In Sylla. (2) Differt. II. Num. 30. Vide Dodv. Differt. II. ſect. 8. (3) Vide Differt. VIII. Num. 29. (4) In Gallien. (5) In Hadriano. (6) Lib. XXXIII. c. 7. & III. c 5.

Seneca (1) *Magistratus*; a Paulo Diacono (2) *Praetor*; a D. Hieronymo (3) *Princeps* vocatur; ut nihil proinde facilius, aut verisimilius effingi possit, quam Sarisboriensem, aut Latinum alium Interpretem eidem *Archontis* voci laxiorem hanc aliam significationem affinxisse, ut latine *Maior*, aut *Princeps* diceretur.

Ceterum, si rem hic acu tetigerim, *Magnique Gaii* nomen Eponymorum Archontum Fastis inscribi debeat, ipsius imperium, aut principatus in annum 2. Olymp. CLXXVII. incidit; cum eodem anno, nimirum 684. V. C. M. Licinius Crassus una cum Pompeio Consulatum gesserit, eisque rebus in Asia praefuerit, ut Sarisbariensis hic obiter, fuseque Plutarchus *in Crassi Vita* testatur.

XV.

Arestarchus Phalereus.

Fallor? an ex ludicra quoque lepidissimi Scriptoris hystoria verum Archontis Eponymi nomen exculpi, Atticisque Fastis adiungi potest? Lucianus in Iudicio Vocalium fingit a *Sigmate* actionem contra *Tau* solemni iudiciorum ritu intentatam esse, quod ab illo voces plurimae sibi surreptae forent; cumque prius illae cum *Sigmate* scribi, & efferri solerent, ut μέλισσα; mox, *Sigmate* repudiato, illas *Tau* invaserit, ac diceretur μέλιττα. Eiusmodi vero Actionem institutam asserit Lucianus Ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀριστάρχου Φαληρέως, πυανεψιῶνος ἑβδόμῃ ἱσταμένου *Archonte Aristarcho Phalereo*, *Pyanepsionis* mensis *septima* die.

Gilbertus Cognatus, qui festivos illos Luciani Libros latinè reddidit, atque una cum Sambuco illustravit, hic Aristarchum illum Grammaticorum principem designari, quod certe proclive fuerat, existimavit. Ait enim *Actio intenditur imperante Aristarcho Phalereo Grammatico, qui tantum sibi in Homeri Poemate permisit, ut versus, quos vellet, veluti supposititios partus, ab Homeri familia submoveret. Unde etiam hodie Aristarchos vocamus alienorum Scriptorum Censores.*

At Aristarchus ille neque *Phalereus*, neque Atheniensis haberi, vocarique poterat, cum natione quidem Samothrax,

(1) Epist. 18. (2) In Hist. Miss. Lib. IV. (3) In Chron. Euseb. ad annum 1263.

thrax, adoptione vero Alexandrinus esset; omnemque vitam circa Olympiadem CLVI. celebris Alexandriae transegisset, atque in Cypro demum obierit. Ergo Aristarchus ille, qui *Phalereus* a Luciano fuisse dicitur, cum illo confundi non poterit qui Grammaticorum princeps haberi consueverat; cum praesertim Lucianus ipse celebrem Aristarchum illum Grammaticum mox memoret, ubi subdit in Atticas voces aliquot loco *Sigmatis*, ipsum *Tau* irrepsisse ἀπαγορεύοντος Ἀρισάρχȣ *interdicente* vel *reclamante Aristarcho*, quod certe non de Aristarcho illo intelligi debet; quo Archonte Athenis actio instituta fingitur, sed de Aristarcho potius illo, qui literarum, voscumque leges tradiderat. Quemadmodum ergo Lysimachus ille Comicus, qui mox a Luciano memoratnr, inter veteres Poetas a Vossio recensetur, atque iis fortasse temporibus Traiani nimirum, Hadrianique Caesarum aetate (1), cum Luciano floruit, ita quoque suspicari quis poterit Luciani ipsius aetate, aut etiam anno, quo ludicram historolam illam confinxit, Aristarchum Phalereum Archontis Eponymi dignitatem Athenis obtinuisse, ut in Archontis nomine, aliisque id genus characteribus historiola vera historiae, reique gestae indicia praeseferret. Nihil hic tamen aut temere definire, aut certe coniicere fortasse liceat; adeoque cuncta tenuissimae suspicionis loco haberi velim, nisi splendor aliquis ex monumentis aliis accedat.

XVI.

Titus Aelius Hadrianus Augustus.

Hadrianum Caesarem nondum Imperatoris, Augustique nomine decoratum supremo Atheniensium Magistratu, Eponymi nimirum Archontis munere, perfunctum esse perspicuo Phlegontis testimonio erudimur. Id vero *Traiano Sextum*, & *Tito Sextio Africano* Consulibus, hoc est anno 4. Olymp. CCXXII. V. C. 865. & a Christo nato 112. contigisse Phlegon ipse demonstrat, cuius insignem locum ex Libro *de Mirabilibus* c. 25. opportunius alibi (2) exposui, iterumque subiicio: Εν Ρώμη δικέφαλόν τις ἀπεκύησεν ἔμβριον . . . . Α"ρχοντος Ἀθήνησιν Ἀδριανοῦ τοῦ Αὐτοκράτορος γενομένου, ὑπατευόντων εν Ρώμη Αυτοκρά-

(1) In Lucian. Suidas. (2) Differt. I. Num. 37.

τορος Τραιανȣ̃ τὸ ἕκτον, καὶ Τίτου Σεξτίȣ Ἀφρικανȣ̃. *Romae bicipitem foetum* mulier *quaedam peperit* . . . . *Archonte Athenis Hadriano*, *qui* postea *fuit Imperator*; *Consulatum Romae gerentibus Traiano Imperatore Sextum*, & *Tito Sextio Africano*. Itaque Hadriani Caesaris, tanquam Eponymi Archontis, nomen optime accurateque a Scaligero tum ad Eusebii Chronicon (1), tum in *Collectaneis Historiarum*, sive *Olympiadum Recensione* anno 4. Olymp. CCXXII. Fastis inscribitur. At dubitari certe non poterit quin Meursius quoque, qui superiora Phlegontis verba diligenter excripserat, simulque Scaligeri, sive ut appellat ipse *Anonymi* vestigiis institerat, Hadriani principatum ad annum illum revocaverit; quamvis in edito ipsius Libro (2), typographico certe mendo, Olympiadis CCXXIII. nomen occurrat; idemque prorsus error in editiones alias irrepserit dum eximium Meursii opus in *Graecarum Antiquitatum Thesauro* iterum excuderetur. Quinetiam Interpres ille, qui graeca Phlagontis verba latine reddidit, ipsorum vim, sensumque omnium minime est assequutus, cum vertendum putaverit *Archonte Athenis Adriano Imperatore*: perinde quasi, dum Hadrianus eiusmodi Archontis munere fungebatur, Imperator esse potuerit; quod a superiori tamen Phlegontis testimonio, nitidaque temporum serie plurimum dissidet: cum Hadrianus ipse *decima* tandem Sextilis mensis die anno 1. Olymp. CCXXIV. V. C. 870. & a Chr. nato 117. Traiano successerit.

Iterum tamen Hadriani Caesaris, simulque iam Imperatoris, & Augusti nomen Eponymorum Atheniensium Fastis anno 3. vel 4. Olymp. CCXXVII. inscribi debet, si eximia Dionis, ac Spartiani testimonia subtilius explorentur, simulque cum ceteris Scriptoribus conferantur; quamvis illa Salmasius (3) Meursius, ceterique Fastorum Scriptores ad primum illum Hadriani principatum, sive ad Olymp. CCXXII. annum 4. revocanda fore putaverint.

Etenim Spartianus, cum res antea ab Hadriano Caesare praeclare, magnificeque gestas enumerasset, ad illa digressus, quae supremam Augusti, vel Imperatoris dignitatem adeptus egit, repente subdit: *In Etruria Praeturam Imperator egit. Per Latina Oppida Dictator*, & *Aedilis*, & *Duumvir*

(1) Pag. 197. (2) De Arch. Ath. Lib. IV. c. 19. (3) In Spartan. pag. 123. & 175.

vir fuit. Apud Neapolim Demarchus. In Patria ſua, Italica nimirum Hiſpaniae Urbe, *Quinquennalis*; *& item Hadriae* Piſcentium Urbe, ex qua Maiores ipſius prodierant, *Quinquennalis, quaſi in alia Patria, & Athenis Archon fuit. In omnibus pene Urbibus & aliquid aedificavit, & Ludos edidit. Athenis mille ferarum Venationem in ſtadio exibuit.* Itaque, cum Spartianus hic nitide, diſerteque dignitates illas recenſeat, quas Hadrianus *Imperator* egit; ſimulque Ludos, atque Aedes, quas certe iam *Imperator* edidit, atque conſtruxit, ſi ceteras inter Athenienſes etiam Archontis dignitatem enumerat, dubitari certe vix poterit, quin eiuſmodi quoque munus iam Imperator obiverit: quemadmodum ſane in veteri Lapide, ut eſt a Scaligero obſervatum, legitur quod *optimus Imperator Hadrianus etiam* in Colonia, vel Municipio quodam *Duumviratus honorem ſuſcepit*. Cui quidem Marmori Marmor hic aliud addidiſſe iuverit, quod apud Cl. Muratorium inveni (1), ut exinde ſuperior Spartiani narratio mirifice confirmetur, atque illuſtretur.

Aſculi.

. . . .

. . . . IO. HADRIANO. AVG. QVINQ. HADR
PATR. MVNICIPI. ASCVL.
L. IVLIVS. L. F. FLOR. I. DIC. ET. SIRIC. P. F.
PAVIN. IIVIR. AEDIL. STAT . . . . .
. . . . ESTR . . . .

Longe tamen illuſtrius id ex Dionis teſtimonio deduci poterit. Siquidem ille varia Hadriani itinera, reſque Athenis magnifice, ſplendideque geſtas enumerans ait: Α᾽φικόμενος δὲ ἐς τὴν Ελλάδα, ἐπώπτευε τὰ Μυςήρια. διὰ δὲ τῆς Ι᾽ȣδαίας μετὰ ταῦτα ἐις Αἴγυπτον πάριων ϗ ἐνίγησε τῷ Πομπηΐῳ ϗ τὸ μνῆμα αὐτȣ͂ διεφθαρμένον ανῳκοδόμησεν. εν δε τῇ Αἰγύπτῳ ϗ τήν Α᾽ντινόȣ ὠνομασμένην ἀνῳκοδόμησε πόλιν . . . τό, τέ Ολύμπιον τὸ ἐν Α᾽θήναις,

 ἐν

(1) Pag. 1101.

ἐν ᾧ καὶ αὐτὸς ἵδρυται, ἐξεποίησε, καὶ δράκοντα ἐς αὐτὸ ἀπὸ Ἰνδίας κομισθέντα ἀνέθηκε. τά τε Διονύσια τήν μεγίστην παρ' αὐτοῖς ἀρχὴν ἄρξας, ἐν τῇ ἐσθῆτι τῇ ἐπιχωρίῳ λαμπρῶς ἐπετέλεσε. τόντε σηκὸν τὸν ἑαυτοῦ, τὸ Πανελλήνιον ὠνομασμένον, οἰκοδομήσασθαι τοῖς Ἕλλησιν ἐπέτρεψε, καὶ ἀγῶνα ἐπ' αὐτῷ κατεστήσατο, χρήματά τε πολλὰ καὶ σῖτον ἐτήσιον, τήντε Κεφαληνίαν ὅλην τοῖς Ἀθηναίοις ἐχαρίσατο. ἐνομοθέτησε δὲ ἄλλάτε πολλὰ, καὶ ἵνα μηδεὶς βουλευτὴς μήτ' αὐτὸς, μήτε δὲ ἑτέρου τέλος τι μισθῶται. Εἰς Ῥώμην ἐλθὼν... ἀρξάμενος νοσεῖν.... *Postquam venit in Graeciam, spectavit Mysteria; cumque per Iudaeam in Egyptum venisset parentavit Pompeio, sepulcrumque eius pene collapsum restituit. In Aegypto quoque civitatem instauravit Antinoi nomine .... Templum Iovis Olympii, in quo ipsius quoque* Hadriani *Statua posita fuit, Athenis aedificavit, iussitque in eo Draconem ex India allatum collocari: ac Dionysia, maximo apud eos fungens Magistratu, patriaque veste indutus magnifice celebravit. Templum suum, quod Panellenium vocant, Graecis ut aedificarent permisit; propter quod instituit certamina; magnamque pecuniam, & frumentum annuum, omnemque Cephaleniam Athieniensibus dedit. Multas leges sanxit, sed praesertim ut ne Senatore per se, neve per alium vectigalia conduceret. Postquam Romam venit .. aegrotare caepit.*

Dionem, aut Xiphilinum hoc loci mirifice deceptum esse putavit Scaliger; ideoque non τὰ Διονύσια μεγίστην παρ' αὐτοῖς ἀρχὴν ἄρξας ἐπετέλεσε *Dionysia Festa maximum apud ipsos Magistratum gerens celebravit*; sed τὰ Διονύσια μεγίστην παρ' αὐτοῖς ἑορτὴν μυηθεὶς, *Dionysia maximum apud ipsos Festum edoctus* rescribendum asserit. At doctissimi Viri coniecturam illam optime, accurateque confutavit Meursius (1), ostendens eximia Dionis verba de Archontis Eponymi dignitate intelligenda fore, quem veteri, constantique more Dionysia Festa curasse iam dixerat. Atque ita certe superiorem Dionis locum explicandum esse Casaubonus ipse iam viderat in *Notis ad Spartianum* inquiens, *Hadrianus, quando per Liberalia ludos edidit, Archon erat cum maxime; Quin videtur ea fine Archon fieri voluisse, ut pro dignitatis illius iure Liberalibus praesidere posset .... de maiestate sua remisit multum, cum dissimulato Imperatore Archontis, & Agonothetae locum implevit* (2). *Ita-*

(1) De Arch. Athen. Lib. IV. c. 19. (2) Pag. 56.

Itaque cum perſpicuis eiuſmodi Spartiani, Dioniſque verbis appareat Archontis Eponymi dignitatem ab Hadriano iam Imperatore, Auguſtoque ſuſceptam, adeoque ipſius nomen iterum Eponymorum Faſtis inſcribendum eſſe; illud unum oſtendendum mihi ſupererit, quod haec altera Archontis dignitas, ad Olympiadem CCXXVII referri debet. Id vero facile, niſi mea me fallit opinio, ex ipſa rerum ſerie, variiſque temporum characteribus inferri poteſt, qui a Dione exprimuntur, ſi cum ceteris illi Scriptoribus accuratiſſime conferantur. Si quidem Dio ita res ab Hadriano Imperatore geſtas enumerat, ut Eleuſine Myſteriis initiatum fuiſſe ipſum dixerit antequam in Aegyptum contenderet; Dionyſiique Feſtis Archontis munere praeſediſſe poſtquam Aegyptum inviſerat, atque inſtaurato Pompeii tumulo Antinoi Urbem aedificaverat. At Hadrianus ipſe in Aegyptum anno Chr. 131. ſive 132. conceſſit, ut ex ipſius Epiſtola ad Severianum Conſulem anno 132. ſcripta Scaliger (1) oſtendit; ergo Myſteria, quibus Hadrianus initiatus fuit, ac Dionyſia illa, quibus mox Hadrianus ipſe Archontis Eponymi munere fungens praeſedit, ad annum Chriſti 132., ſive 3. aut 4. Olympiadis CCXXVII. referri debent.

Ac certe Euſebius in Chronico ad annum 3. Olymp. CCXXVII. *Pontiano*, *Ruffinoque* Coſſ. adnotavit Α᾽δριανὸς παραχειμάζων ἐν Αθήναις τὰ Ε᾽λευσίνια ἐποπτεύει, quod Hieronymus ad annum Chriſti 132. minus accurate reddidit: *Athenis hyemem exigens Eleuſinam inviſit*; quemadmodum Hieronymus ipſe Antinoi mortem, Urbiſque cognominis aedificationem in annum Chr. 130. prorſus immerito coniecerat; graviorique mendo Chronicon Alexandrinum, ipſique inhaerens Pagius (2) utrumque ad exeuntem annum Chr. 122. retulit: ſicuti Hadriani adventus in Aegyptum in Excerptis Chron. Caſaub. ad annum 1. Olymp. CCXXV. *Severo*, & *Iulio* Coſſ. revocatur; cum tamen *Severus*, ac *Fulvius* ille non anno 1. eius Olympiadis, ſed anno 3. Olymp. CCXXIV. hoc eſt anno Chr. 120. Conſules fuerint. Ac mirari certe non poſſumus ſi in definienda Antinoi morte Hieronymus aberraverit, cum & Archontis Eponymi dignitatem ab Hadriano aliquando

(1) In Chron. Euſeb. Pag. 191. Vide Caſaubon. ad Spartian. Pag. 55. (2) Diſſert. Hypat. Pag. 209.

do susceptam praeterierit; Alexandriam a Romanis pridem eversam Hadriani Caesaris ope excitatam effinxerit; *Patris Patriae* nomen Hadriano datum alieno prorsus in loco memoraverit; atque, ut errores alios omittam, graecum Eusebii textum in describendis rebus ab Hadriano gestis subinde perturbaverit. Dixerat Eusebius Hadrianum anno 2. Olympiadis CCXXV. *Aviola*, *Pansaq* Coss. Atheniensibus petentibus leges dedisse, sequentique anno *Petino*, & *Aproniano* Coss. Athenis hyemasse, primo Mysteria invisisse, Cephisoque flumini exundanti pontem iniecisse. Α᾿δριανὸς ἐχείμασεν ἐις Α᾿θήνας μυηθεὶς τὰ Μυστήριακὶ γεφυρώσας Ε᾿λευσῖνα κατακλυσθεῖσαν ὑπὸ Κηφισοῦ ποταμοῦ. *Hadrianus Athenis hyemavit, Mysteriis initiatus, & Cephiso fluvio, qui Eleusinam inundaverat, pontem imposuit*. At Hieronymus cum leges ab Hadriano editas optime *Aviola*, *Pansaque* Coss. consignasset, sequentique anno pontem Cephiso impositum memorasset, Hadrianum biennio post, idest anno 1. Olymp. CCXXVI. Mysteriis initiatum esse dicit: perinde quasi duobus continuis annis Hadrianus hyemem Athenis exegerit. Ita propemodum, cum Eusebius, atque ex illo Hieronymus anno 3 Olymp. CCXXVII. sive Chr. 132. dixisset Hadrianum Athenis hyemem exegisse, Eleusiniisque Mysteriis initiatum fuisse; Hieronymus Hadrianum sequenti etiam anno 133. Athenis immorantem exhibet scribens *Hadrianus cum insignes, & plurimas Aedes Athenis fecisset, Agonem edidit*: ac si duobus annis illis Athenas inviserit Hadrianus: cum tamen de Aedibus ab Hadriano excitatis nihil Eusebius adiecerit; ac Scriptores alii Mysteria celebrata, Aedium dedicationem, Agnemque editum simul coniunxerint. Haec, aliaque id genus plura argumento esse poterunt Eusebii narrationem longe accurationem habendam esse; ideoque, quamvis Spartianus, ac Dio Hadrianum semel tantum Mysteriis initiatum fuisse dixerint, duae tamen *initiationes* distingui debent: ut primus quidem Hadriani adventus Athenas, simulque prima Mysteriorum *visio* Petino, Apronianoque Coss. hoc est anno Chr. 124. Olymp. CCXXV. ann. 3. contigerit; postquam Atheniensibus superiori anno leges, sed absens tamen, ut videtur, concesserat; Alter vero adventus, ac altera initiatio, sive, ut cum Seneca loquar, Mysteriorum *revisio* Pontiano, Ruffinoque Coss.

fa-

facta in annum Chr. 132. sive 3. Olymp. CCXXVII. inciderit, quo Hadriani nomen iterum Fastis inserendum esse iam dixi. Neque ab eiusmodi Eusebii, Dionisque calculo, atque Sententia Spartianus ipse plurimum dissidet. Ita nimirum accuratissimus Scriptor ille Hadriani itinera, postquam Tarracone hyemaverat, describit = *Post hoc per Asiam, & Insulas ad Achaiam navigavit, & Eleusinia Sacra exemplo Herculis, Philippique suscepit: multa in Athenienses contulit, & pro Agonotheta resedit. Post in Siciliam navigavit..... inde Romam venit, atque ex ea in Africam transiit.... Cum post Africam Romam rediisset, statim ad Orientem profectus per Athenas iter fecit, atque opera, quae apud Athenienses caeperat, dedicavit, ut Iovis Olympii Aedem, & aram sibi. Peragrata Arabia Pelusium venit, & Pompeio tumulum magnificentius extruxit, Antinoum suum perdidit*. Itinerum varietas, temporumque Series hic postulat, ut Eleusinia Sacra, quae Hadrianus suscepisse dicitur ad Olymp. CCXXV. referantur; Olympii vero Iovis dedicatio proxime ad Olymp. CCXXVII. annum 3. revocetur, quo Hadrianus Aegyptum invisisse jam diximus. Quod si Spartianus Olympiëum dedicatum esse commemorat antequam Hadrianus Aegyptum inviseret, Dio vero id post Aegyptiacam profectionem describere videatur, facile Scriptores illi componi poterunt, cum Dio obscurius ibi loquatur, adeoque ex Dionis hypothesi Olympiëi dedicatio ad illa propemodum tempora referri possit, quibus Hadrianus Athenis erat, Sacrisque Mysteriis iterum initiabatur.

Itaque in hac hypothesi, quae mihi omnium verisimillima videri solet, Hadrianus uno eodemque anno Mysteria revisit, Olympicum dedicavit, Dionysia celebravit, Archontis Eponymi munus obivit, antequam per Iudaeam in Aegyptum contenderet, hoc est anno 3. sive fortasse si mavis anno 4. Olymp. CCXXVII. adeoque ipsius nomen hoc anno iterum Atheniensium Archontum Fastis inscribendum erit. Certe Scaliger *in Collectaneis*, ipsique inhaerens Meursius (1) optimè, accurateque Olympiëi dedicationem Olymp. CCXXVII. anno 3. sive Christi 132. collocavit, quamvis Hieronymus Mysteria quidem ab Hadriano suscepta anno Chr. 132. adscripserit, sequentique anno Agonem ab Hadriano edi-

(1) Athenae Attic. Lib. I. c. 10.

editum, Aedes extructas, adeoque Olympiëi quoque, ut videtur, dedicationem consignaverit.

Quo sane loco, ut id obiter moneam, clarissimum, atque immortalem virum Scaligerum aberrasse conspicimus, ubi Agonem hunc, non alium fuisse credidit, quam *Hadriania* Festa, quae tunc Athenis in Hadriani ipsius honorem instituta fuerint, moxque *Olympia Panathauaea Panellenia Hadriania* vocata fuerint. Etenim ad illa Hieronymi verba *Agonem edidit*, Scaliger ipse adnotavit: *Quae* Ἀδριάνεια *dicuntur. Saxum Venetiis, quod ex Creta delatum.*

Κοσμητεύοντος Πλȣτάρχȣ Ἀχαρνέως
Στῆσεν Ἀχείριςος ςήλην μεγακυδέσιν ἀςοῖς
Πατρὸς τȣ̃νομ' ἔχων δημόθεν Εὐπορίδης *.
Εὐπρεπέως ἀέθλοισιν ἐπασκήσας ϗ Ἐφήβοις
Καὶ ςεφάνȣ κῦδος μȣ̃νος ἐνεγκάμενος.
Ἀγωνοθετήσας Ἀδριανείων.

Cosmeta Plutarcho Acharnensi
Posuit hunc cippum Acheristus praeclaris civibus
Patris sui nomen habens, Populo Eupyrides
Cum egregie in Agone cum Ephebis certasset,
Coronaeque decus solus retulisset
Agonothetae munere functus in Hadrianiis Festis.

Sed Agon ille, quem Hadrianus Augustus edidisse dicitur, non alius, ut opinor, is fuerit, quam Liberalium, aut Panathenaeorum certamen, cui Agonotheta quidam praeesse consueverat, ut sequenti Numero opportunius ostendetur. Perspicuum id quidem, variisque ex Marmoribus comprobatum, quod *Hadrianeia* Festa, seu Ludi ab Atheniensibus in amantissimi Caesaris, a quo innumeris pene beneficiis obstricti fuerant, honorem instituti fuere, singulisque, ut arbitror, annis celebrati. Sed eiusmodi Festa ab Agone, quem Hadrianus ipse ediderat, multoque magis ab Olympiis, Panelleniis, ac Panathenaeis Festis accuratissime distingui debent. Itaque Scaligeri coniectura admitti certe non poterit, qui cum superius Marmor exscripsisset, subdit *in alias Inscri-*

* l. Εὐπυρίδης.

scriptione Festa ipsa videntur vocata Παναθήναια, Ὀλύμπια, Πανελλήνια Ἀδριάνεια *Panathenaea, Olympia, Panellenia, Hadriania:* Marmor illud, ut opinor, hic innuens, quod apud Gruterum Pag. 314. num. 10. reperitur, in quo *M. Auselius Asclepiades* vicisse dicitur Παναθήναια, Ὀλύμπια, Πανελλήνια, Ἀδριάνια δὶς *Panathenaea, Olympia, Panellenia, Hadriania bis:* perinde quasi unus idemque Agon variis eiusmodi nominibus appellaretur. At Scaligerum, aliosque plures, qui ipsius vestigiis hic institere, ambigua nominum congerie deceptos esse putaverim. Siquidem, ut argumenta cetera, quae Salmasius (1) exposuit, ommittam, Ludos illos invicem distinctos fuisse, variisque temporibus celebratos ostendit Inscriptio (2) Megaris posita, in qua Athleta quidam vicisse fertur.

Ολυμπια	Πανελληνια
εν Πιση	εν Αθηναις
. . . . . .	Ελευσινια
Παναθηναια	εν Αθηναις
εν Αθηναις	. . . . . .
Ολυμπια εν	Ευσεβεια εν
Αθηναις	Ποτιολοις
Olympia	*Panellenia*
in Pisa	*Athenis*
. . . . . .	*Eleusinia*
Panathenaea	*Athenis*
Athenis	*Eusebeia*
Olympia	*Puteolis*
Athenis	

Itaque cum *Pialia*, vel *Eusebeia* Puteolis ab Antonino Hadriani successore instituta fuerint (3), adeoque Marmor illud post Hadriani mortem sculptum sit, si in ipso *Panellenia* a *Panathenaeis*, & *Olympiis* Festis distinguuntur, atque *Hadriania* minime memorantur, manifestissime inferri debet Ludos illos etiam in alio Marmore non modo inter sese, sed ab *Hadrianiis* quoque distinguendos esse, ut accuratius etiam ostendam ubi de Atheniensium Festis agendum erit.

(1) Ad Spartian. Pag. 176. (2) Spon. Itin. Tom. III. Pag. 221. Murator. Pag. 648. (3) Casaub. in Spartian. Pag. 94.

Illud hic etiam addidisse iuverit, quod Smyrnae *Hadriania Olympia* Festa peragebantur, [1], ut in eodem ipso Gruteri Marmore conspicitur, ubi mox ἐν Σμύρνῃ Ὀλύμπια, κ̧ Ἀδριάνεια Ὀλύμπια: *Smyrne*, *Olympia*, & *Hadriania Olympia*, recensentur, quae Hadriania Olympia in Hadriani ipsius honorem instituta videntur, postquam *Olympii* Iovis Aede iam dedicata, ipsi quoque Hadriano *Olympii* Nomen delatum fuerat. Hinc in Statuis, & Marmoribus omnibus, quae a variis Civitatibus in ipsa Athenarum Vrbe Hadriano posita fuerunt, ut testatur Pausanias [2], & quorum plurima Sponius [3], excripsit, aliaque a Sponio ommissa nuperrime Cl. Muratorius [4] edidit, *Olympii* nomen ipsi conceditur, quod in Numis etiam factum esse conspicimus. Neque tamen exinde factum concesserim ut *Olympia* Festa in Hadriani ipsius honorem Athenis instituta fuerint, aut ex eiusmodi *Olympii* nomine appellationem acceperint, cum & Olympii Templi aedificatio, & Olympiorum Festorum institutio pluribus certe seculis Hadriani Caesaris aetatem praecesserit, ut a Pausania [5], & Scholiaste Pindari [6] erudimur.

XVII.

Herodes Attici Marathonius.

Philostratus in *Vitis Sophist.* Lib. II. Num. 1. ubi de maximis Herodis Attici Marathonii opibus, munificentia, atque honoribus disseruisset, §. V. subdit: Καὶ μὴν ἐλειτούργησεν Ἀθηναίοις τήντε ἐπώνυμον, κ̧ τὴν τῶν πανελληνίων. ςεφανωθεὶς δὲ κ̧ τῶν Παναθηναίων κ̧ ὑμᾶς, εἶπεν, ὦ Ἀθηναῖοι, κ̧ τῶν Ἑλλήνων τοὺς ἥξοντας, κ̧ τῶν ἀθλητῶν τοὺς ἀγωνιουμένους ὑποδέξομαι ςαδίῳ λευκοῦ λίθου κ̧ εἰπὼν ταῦτα τὸ ςάδιον τὸ ὑπὲρ τὸν Ἰλισσὸν εἴσω τεττάρων ἐτῶν ἐπετέλεσεν. Vbi Cl. Fabricius ἑορτῆς *festi* vocem sub intelligendam esse putavit; ut nempe hic exprimatur Herodem *Panelleniis*, simulque *Panathenaeis* Fastis praesedisse, quod illa ab Athenis ipsis nomen acciperent adeoque ἐπώνυμος ἑορτὴ *cognomine festum* dicerentur. Itaque, quamvis in editis omnibus legatur ςεφανωθεὶς δὲ κ̧ τῶν Παναθηναίων, voculam κ̧ superfluam, adeoque expungendam esse contendit; atque universum Phi-

(1) Vid. Murat. Pag. 622. (2) In Attic. (3) Itinar. Pag. 40. (4) Pag 234. (5) Attic. Vide Meurs. Ath. Attic. Lib. II. (6) Olymp. Ode VII.

Philostrati locum ita latine reddidit. *Nempe Sacris apud Athenienses tum cognominibus, tum Panelleniis praefuit. Cumque praesidendi in Panathenaeis dignitatem obtinuisset* = Et vos, *dixit*, Athenienses, & Graecos quotquot venient, hospites, & Athletas certaturos stadio ex albo lapide structo excipiam. *Haec pollicitus stadium, quod Ilisso flumini imminet, intra quatuor annos perfecit*. At, nisi plurimum fallor, in Philostrati loco non ἑορτῆς *festi*; sed potius ἀρχῆς *Magistratus* seu λειτουργίας *Ministerii* vox intelligi, suppplerique debet; ut nempe exprimatur Herodem non Panathenaeis festis praesedisse; sed Archontis Eponymi dignitatem obtinuisse. Certe, si vetus illa, simulque constans librorum omnium lectio admittatur στεφανωθεὶς δὲ καὶ τῶν παναθηναίων: *cumque etiam praesidendi in Phanathenaeis dignitatem obtinuisset*, manifestissime inferri debet priora Philostrati verba ad Penathenaea festa referri non posse; quod haec ipsa ab *Eponymi*, sive *cognominis* dignitate accurate seiunxerit; ut optime Fabricius ipse iam viderat, qui hypothesi serviens particulam καί *etiam* veluti inutilem in Philostrati textu delevit. Clarius id etiam intelligi, deprehendique poterit, si superior ille Philostrati locus cum locis aliis accuratissime conferatur, in quibus ἐπωνύμου λειτουργίας *cognominis ministerii*, nomine non Panathenaeorum praefecturam, sed *Archontis Eponymi* dignitatem intellexit. Ita de Appollonio loquens ait: Διαπρεπὴς δὲ καὶ τὰ πολιτικὰ γενόμενος, ἔν τε πρεσβείαις ὑπὲρ τῶν μεγίστων ἐπρέσβευσεν, ἔν τε λειτουργίαις, ἃς μεγίστας Ἀθηναῖοι νομίζουσι, τὴν δ' ἐπώνυμον, καὶ τὴν τῶν ὅπλων (1) Archontis Eponymi dignitatem hic a Philostrato designari facile, ut opinor, intelliget quicumque observaverit Apollonii dexteritatem in politicis, muneribus obeundis publicisque rebus gerendis ita commendari, ut *cognominis* illa dignitas cum legationibus, atque armorum Praefectura conferatur, simulque maxima apud Athenienses fuisse dicatur, quod optimo quidem, maximoque iure de Archontis Eponymi munere, non vero de Panathenaeorum Praefectura intelligi, dicique poterit: cum praesertim singuli ex singulis Tribubus Panathenaeorum Praefecti seligerentur; adeoque Apollonii Herodisque temporibus tresdecim Cives ejusmodi dignitate, seu munere fungerentur. Id optime profe-

(1) Num. 20.

cto viderat Meurſius, qui Libro IV. c. 20. Appollonium hunc Eponymorum Archontum Faſtis inſcripſit; & quamvis illum incertae aetatis fuiſſe dixerit; hoc eſt ipſius aetatem minime exploraverit, perſpicuum eſt tamen illum Severi Caeſaris aetate floruiſſe, atque apud ipſum Legati munere perfunctum eſſe circa anno 4. Olymp. CCXLIV. Itaque ſuperior Philoſtrati locus ita reddi debet *cumque in civilibus rebus clarus haberetur, & in Legationibus quas de maximis rebus obivit, & in muneribus, quae maxima ab Athenienſibus exiſtimantur, Eponymi ſcilicet dignitatem, ac Praeturam*, ſive armorum Praefecturam. Quo certe loco mirari ſubit cur Fabricius ipſe de Eponymo Athenienſium feſto, ſive de Panathenaeis hic etiam agi putaverit; ideoque ἐπώνυμον λειτουργίαν reddiderit *Panathenaea*; quemadmodum hic etiam particulam καί veluti inutilem expugnandam eſſe decrevit. Etenim, ut argumenta ſuperius expoſita omittam ex plurimis Veterum Scriptorum teſtimoniis, quae diligenter adeo Meurſius collegit, nullum afferri poterit, in quo Panathenaea ἐπώνυμος ἑορτὴ *cognomine feſtum* appelletur: quod nimirum, ut opinor, non a Feſtis illis Athenae, ſed ab Athenis potius atque Athenienſibus feſta ipſa nomen acceperint, ideoque Athenae potius Feſtorum, quam Feſta Athenarum ἐπώνυμα vocari potuerint. Accedit etiam quod, licet Panathenaeorum, aliorumque Feſtorum praefectura ἀρχὴ *magiſtratus* diceretur, ut non modo Pollux mox laudandus, ſed etiam Lib. II. Num. 17. Philoſtratus ipſe de Rufo loquens ait τῆς τῶν Πανελληνίων εὐκλεῶς ἦρξε *Athenis in Panelleniis magnifice praeſedit*; nunquam tamen Panathenaeorum praefectura ἐπώνυμος ἀρχὴ *cognominis magiſtratus* vocatur; ſed ab illa potius accurate diſtinguitur: ut in veteri Inſcriptione conſpicimus, quam Diſſ. XI. proferemus. Siquidem in illa filii honorant P. Herennium Dexippum ἄρξαντα τὴν ἐπώνυμον ἀρχὴν, καὶ ἀγωνοθετήσαντα τῶν μεγάλων παναθηναίων *qui Archontis Eponymi, & Agonotethae in Panathenaeis magnis dignitatem obtinuit*. Sic in veteribus monimentis illis, quae ſequenti numero proferentur ii, qui Panathenaicis, aliiſque Ludis ac Feſtis praeſederint, *Agonothetae* vocantur; quemadmodum Plutarchus afferit Periclem dum in Panathenaeis Feſtis Ἀθλοθέτην *Athlotetam* fuiſſe, muſicumque certamen

eque

equeſtri, gymnico certaminibus, quae iampridem obtinuerant, addidiſſe; ac Pollux aſſerit, quod Ἀθλοθέται δέκα εἰσιν, εἷς κατὰ φυλὴν δοκιμασθέντες δὲ ἄρχουσι τέσσαρα ἔτη ἐπὶ τῷ διαθεῖναι τὰ Παναθήναια (1) Athlothetae (non ut perperam in vulgatis, ac Gronovio redditur Arbitri) *decem ſunt, unus ex Tribu qualibet, probati vero quatuor annis hoc Magiſtratu funguntur, ut Panathenaea diſponant:* quae perſpicua Pollucis verba cum Marmoribus, Plutarchi, & Philoſtrati loco mirifice conſpirant; ſimulque Fabri (2) Sententiam confirmant, qui *Agonothetas*, ac *Atlothetas* eoſdem prorſus fuiſſe exiſtimat, quamvis Heſychius, & Amonius etiam Agonothetas muſicis; Athlothetas vero gymnicis Ludis praefuiſſe tradiderint.

Itaque, ut ad Apollonium, ſimulque Herodem revertar, cum Panathenaea nunquam ἐπώνυμος ἑορτὴ *Cognomine Feſtum*, ac Panathenaeorum praefectura nunquam ἐπώνυμος λειτουργία, vel ἐπώνυμος ἀρχὴ *Cognomine munus* vocatur; ſed Ludis illis praeſidens *Athlotheta*, *Agonotheta*, ſive ſi mavis *Panathenaeorum Archon* vocetur, dubitari certe non poterit quin ἐπώνυμος λειτουργία *Cognomine munus, ac dignitas*, quam Apollonius, atque Herodes Athenis obtinuerunt, Archontis Eponymi dignitatem ſignificet; adeoque non Apollonius ſolum, ut Meurſius ipſe iam viderat; ſed Herodes etiam veluti Eponymus Archontum Faſtis inſcribi debeat. Quandoquidem vero Herodes ipſe anno 3. Olymp. CCXXIV. *viceſimum quintum* aetatis annis egiſſe dicitur, facile ſupremam dignitatem illam circa Olympiadem CCXXX. Athenis obtinuit, adeoque iis fere temporibus Archontum Faſtis adiungi poterit. Certe, ſi circa 76. aetatis annum interiit, ut Suidas teſtatur, ultra annum 2. Olymp. CCXXXVII. vitam producere, vel Archontis munere fungi non potuit.

XVIII.

Ariſtides.

Demetrius Phalareus in *Apologia Socratis*, ut oſtenderet Viros etiam doctrina, morumque Sanctitate inſignes a divitiis, Socratis inſtar, minime abhorruiſſe, Platonis, atque Ariſtidis exemplis utitur, quorum uterque plurimas opes,

(1) Lib. VIII. c. 9. Seg. 93. (2) Agoniſt. Lib. I. c. 18.

pes, praedium, ac patrimonium poſſederit (1). Ariſtidem vero divitem fuiſſe exinde quoque demonſtrare ille nititur, quod paullo ante mortem, & poſt Plataicam pugnam Archontis Eponymi dignitatem obtinuerit: quo certe munere fungi non poterant, quibus amplior cenſus non eſſet, atque ex Solonis inſtituto *Pentacoſiomedimnis* inſcripti non forent; iis nimirum, qui ſingulis annis quingentas partim ex aridis partim ex liquidis terrae fructibus menſuras non haberent (2).

A Demetrii Faſtis, atque ſententia plurimum diſſidet Plutarchus; quippe qui dixerit Ariſtidem ſemper in ſumma egeſtate, reique domeſticae inopia vixiſſe; ipſumque Archontis Eponymi dignitate non ſuffragiis veterique ritu, ſed viva potius Athenienſium voce decoratum eſſe contendat. In definiendo quoque Archontis Ariſtidis anno Plutarchus ipſe a Demetrio ita diſſidet, ut non poſt Plataicam, ſed Marathoniam pugnam Ariſtidis imperium contigiſſe velit. Siquidem, inquit ille; poſt Xanthippum, quo Archonte Marathonia pugna contigerat anno 3. Olymp. LXXII. Ariſtidis nomen repente in Faſtis occurrit; at in Faſtis illis poſt Plataicam pugnam ὐδ᾽ ὁμώνυμον Ἀριστείδην ἐν πάνυ πολλοῖς λαβεῖν ἐστι (3) *ne cognominem quidem in permultis reperire licet Ariſtidem*.

Eiuſmodi Plutarchi teſtimonio non modo verus Ariſtidis Archontis annus egregie demonſtratur, ut opportunius alibi (4) oſtendi; ſed perſpicue quoque, ut opinor, innuitur Ariſtidem alium in Faſtis illis inſcriptum fuiſſe, quos Plutarchus exſcribere, atque laudare conſueverat. Etenim, ſi in Faſtis illis poſt Plataicam pugnam nullus omnino Ariſtides inſcriptus eſſet, certe Plutarchus ipſe nitide aperteque dixiſſet Ariſtidis nomen nullibi in Faſtis occurrere; ſicque Demetrii ſententiam, quam refellendam ſuſceperat, accuratius evertiſſet. Itaque, cum ſolum dixerit poſt Plataicam pugnam, atque Ariſtidis aetatem Ariſtidem alium cognominem *in permultis* reperiri non poſſe, id argumento eſſe poterit Ariſtidis alterius nomen in Faſtis inſcriptum fuiſſe; qui tamen a celeberrimo, atque antiquiore diſtinguendus eſſet, quippe qui ſequioribus ſolum temporibus, atque poſt *permultos* Archontes alios imperaverit.

XIX.

(1) Apud Plutarch. in Ariſtide. (2) Plutarch. in Solone. (3) In Ariſtide. (4) Diſſert. VIII. Num. 10. & IX. Num. 32.

XIX.

Pantacles.

Stephanus Byzantinus in Ἀτήνη, ut ostenderet quod huius Atticae Pagi *popularis* Ἀθηνεύς *Ateneus* vocatur sequentis Inscriptionis laciniam exhibet... Πατροκλῆς Ἀτηνεὺς ἐχορήγει, καὶ Παντακλῆς; sive, ut in Perusino MSS. legitur, Προκλῆς Ἀτηνεύς *Patrocles*, aut Procles *Ateneus Choragum egit*, & *Pantacles*.

Si mutilus iste Stephani locus sincerus haberi, mendoque carere debeat, nihil est certe quod Archontis Eponymi nomen exculpere exinde libeat, cuius nec vola nec vestigium illum superesset. At, nisi plurimum fallor, in brevem illam, multilamque Inscriptionis Atticae partem mendum irrepsit; sive quod Hermolaus Stephani Epitomator Auctoris textum minus accurate nobis expresserit; sive quod imperiti librarii vitio Stephani, vel Hermolai verba mirifice variata fuerint. Itaque in superiori Stephani loco omnino scriptum olim, ac rescribendum existimo Πατροκλῆς Ἀτηνεὺς ἐχορήγει, ἦρχε Πανταχλῆς... *Patrocles Ateneus Choragum egit*, *Archon erat Pantacles*: ut nempe exprimatur in solemnibus Ludis, aut certaminibus Antiochidem Tribum, ad quam *Atene* Populus spectaverat, vicisse dum Patrocles Ateneus Choragi munere fungebatur anno, quo Pantacles Eponymus Athenis Archon erat.

Suspicionem hanc mihi iampridem iniecerat solemnis illa formula; qua eiusmodi Inscriptiones, sive victoriae monumenta concipi, vel excitari consueverant; ut in iis nimirum unius semper Choragi, Tribus, quae vicerat, Auletae, Poetae, Archontisque nomen exprimeretur; nullibi vero duplicis Choragi nomen occurreret. Harum Inscriptionum exempla plurima apud Scriptores occurrunt, ut apud Sponium Itiner. Tom. II. pag. 21. atque in Pop. Atticae Artic. 2. 15. 35. 163. quemadmodum Plutarchus in Themistoclis Vita antiquius exemplum aliud conservavit Θεμιστοκλῆς ὁ Φρεάῤῥιος ἐχορήγει Φρύνιχος ἐδίδασκεν Ἀδείμαντος ἦρχεν. *Themistocles Phrearius Choragus erat*, *Phrynicus* Fabulam *docuit*, *Adimantus Archon erat*.

Ita

Ita propemodum plurima Veterum testimonia, quae de Choragi muneribus accurate differens collegit Sigonius (1), unicum in Tribu qualibet Choragum fuisse memorant, nec testimonium, aut monimentum aliud offendi poterit, in quo plures eiusmodi Choragi memorentur. Certius id tamen, longeque illustrius in eximio Vlpiani loco deprehendisse videor. Cum enim Demosthenes *adversus Leptinem* Choragi unius, vel duarum Tribuum meminisset, Scholiastes ille adnotavit *ἐν τοῖς Θαργηλίοις δυσῖν φυλαῖν εἷς μόνος καθέςατο κορηγὸς. τοῖς δὲ μεγάλοις Διονυσίοις Ἀνθεςηριῶνος μῆνος, πλείωνος αὐτῷ γιγνομένης τῆς δαπάνης, εἷς κορηγὸς ἑκαςῆς φυλῆς καθίςατο in Thargeliis unus tantummodo pro duabus Tribubus Choragus eligebatur; at in Dionysiis magnis Anthesterione mense* celebratis, *cum maior impensa requireretur, unus pro Tribu qualibet Choragus eligebatur*. Itaque dubitari non poterit quin unicus in Tribu qualibet Choragus eligi consueverit, cuius proinde nomen in victoriae monumento, sive Inscriptione memoraretur; adeoque manifestissime inferri debet quod in Stephani textum vox illa *καὶ* & temere prorsus irrepsit, ac Pantacles ille, non *Choragi* munus sed dignitatem aliam obtinuit.

Quandoquidem vero in Inscriptionibus illis non Choragi solum, atque Archontis Eponymi, sed etiam Tribus, Auletae, ac Poetae nomen recenseri consueverat, incertum plane, obscurumque fore conspicitur quodnam ex variis muneribus illis Pantacles ipse obiverit. Suspicor tamen, longeque verisimilius existimo, quod Archontis solum munere perfunctus fuerit; adeoque pro *καὶ* non *ηὔλεν*, *modos fecit* aut *ἐδίδασκεν Fabulam docuit*; sed *ἦρχεν Archon erat* rescribi debeat. Id ipsa verborum affinitas, ac similitudo innuere, vel postulare propemodum videtur; cum longe facilius ex *ἦρχεν*, quam ex verbis aliis, ab imperito exscriptore vox *καὶ* conflari potuerit. Nec quempiam certe movere poterit, quod in Inscriptionibus aliis inter Choragi, & Archontis nomen aliquando Tribus, vel Auletae, vel Poetae nomina inserantur. Quamvis enim hic nominum ordo in plerisque observetur, in duabus tamen Inscriptionibus illis, quae Pytharati Archontis anno positae sunt, repente post Choragi nomen, Archontis, tum Agonothetae, mox Tribus, deinde Auletae, de-

(1) De Republ. Athen. Lib. IV.

denique Poetae nomen occurrit. Ὁ δῆμος ἐχορήγει Πυθάρατος ἦρχεν. Ἀγωνοθέτης Θράσυλλος Θρασύλλου Δεκελεὺς. Ἱπποθωοντὶς Παίδων ἐνίκα Θέων Θηβαῖος ηὔλει. Πρόνομος Θηβαῖος ἐδίδασκεν. *Populus Choragi munus obivit, Pytharatus Archon erat, Agonotheta Thrasyllus Thrasylli Decelensis, Hippothoontis Tribus Puerorum Agone vicit. Theon Thebanus modos fecit, Pronomus Thebanus docuit*; quemadmodum prorſus in Inſcriptione noſtra poſt *Patrocli* Choragi nomen *Pantaclis* Archontis Eponymi nomen haberetur.

At in re ſub obſcura, levibuſque coniecturis iſtis innixa nihil temere definire velim; ſed ſuſpicionem ſolum, ac argumenta proponere, quibus Pantaclis nomen Eponymis Archontibus, reſtituto Stephani textu, inſerendum eſſe conieceram.

XX.

Plutarchus, & Boeotus.

Plutarchum alicubi Archontis munere perfunctum eſſe Plutarchus ipſe commemorat in Sympoſ. Lib. VI. Quaeſt. 8. & clarius etiam Lib. II. Quaeſt. 10. ſe non Archontem modo, ſed *Eponymum* quoque fuiſſe dicit: ὅτε τὴν ἐπωνύμων ἀρχὴν ἦρχον οἴκοι τὰ πλεῖστα τῶν δείπνων δαῖτες ἦσαν: *Cum Archontis Eponymi munere fungerer, domi in ſacrificiis pleraeque caenae agitabantur*: ubi reſcribendum exiſtimo ἐπώνυμον ἀρχὴν, ut in variis Inſcriptionibus, ac monimentis aliis conſpicitur.

Potterus in Archaeol. Graeca Lib. I. c. 12. ut oſtenderet Archontis Eponymi dignitatem, quae indigenis ſolum Athenienſibus olim patebat, adſcriptis etiam Civibus deinde conceſſam eſſe, ſuperiora Plutarchi verba, quemadmodum antea Petitus, arripuit; aſſeritque Plutarchum *Athenienſi Civitate donatum, & in Tribum Leontidem relatum Archonta creatum fuiſſe. Sympoſ. Lib. I. Probl. 10. & Libro X. Probl. ultimo*. Ac certe ſe in Leontidem Tribum adſcitum fuiſſe Plutarchus ipſe teſtatur Libro I Problemate, ſive Quaeſt. 10. Archontis vero munere perfunctum eſſe non Libro X. ut in Pottero citatur, ſed Libro II. Quaeſt. 10. diſerte ſcribit.

Hadrianus vero Iunius, & Cruſerius etiam ſuperiora Plutarchi verba ſic interpretantur, ut ille non Athenis, ſed

in patria solum, sive Chaerone, dignitatem illam obtinuisse videatur. Siquidem Iunius ita graecum Plutarchi locum latine reddidit *Cum domi consulatus munere fungerer*; Cruserius vero *Cum summo Magistratu in Patria fungerer*: quod nimirum illorum uterque Plutarchi verba sic interpungenda putavit ut *οἴκοι domi* ad priorem periodi partem, aut ad illa verba, quae praecesserant, referretur: quod tamen ab ipso contextu, nativoque dicendi genere abhorret, ut optime a Xylandro observatum videtur, quippequi graeca Plutarchi verba sic latine reddiderit: *Quo tempore eum Magistratum gessi, qui, quod anno dat appellationem, Eponymus dicitur*.

Itaque non ex ambiguo Plutarchi loco, sed clarioribus argumentis aliis ostendendum fuerat an ille in Patria, vel Thebis, vel Athenis supremo Archontis munere defunctus fuerit. Atque initio quidem cum Pottero, ac Petito suspicabar id Athenis solum contigisse, ubi Archontes plures, atque inter illos *Eponymus* eligebatur; idque maxima Viri dignitas, atque praestantia suadere videbatur, ut quemadmodum Atheniensis Civitatis iure donatus, Leontidi Tribui adscriptus, Consularis quoque dignitatis particeps a Traiano Caesare factus (1), Athenis denique plurimum versatus, atque mirifice probatus fuerat, ita quoque vel sorte, vel Populi suffragio, vel Caesaris auctoritate supremam illam Archontis dignitatem aliquando obtinuerit.

Sed, quamvis haec omnia maximam veri speciem praeseferant, obscurum adhuc, & incertum esse putaverim an inter Eponymos Atheniensium Archontes Plutarchus haberi, illorumque Fastis adiungi debeat. Etenim apud Baeotos ipsos Archontes eligi consueverunt, ut innuere videtur Polybius (2), a quo memorantur *οἱ τῶν Βοιώτων ἄρξαντες*, *Boeotorum Archontes*, vel ut rescribendum existimavit Valesius, *Α'ρχοντες*; & clarius etiam conspicitur in Inscriptione quadam apud Sponium (3), in qua diserte legitur ... *Α'ρχοντος Βοιώτοις Boeotorum Archonte* quamvis in altera non *Archontis*, sed *Boeotarchae* mentio fieri videatur ... *ταρχου Βοιωτοις Boeotorum Boeotarcha* (4): quae tamen Boetarchae dignitas apud Boeotas omnium suprema fuisse dicitur *τῶν βαρυτέντων αρχῶν, οἷος Στρατηγίας Α'θήνησι, ϗ Πρυτανείας ἐν Ρ'όδῳ, ϗ Βοιωταρχίας παρ' ἡμῖν* (5), *graviorum Magistratuum*,

(1) Suid. in Plutarch. (2) Libro XX. in Excerpt. apud Vales. pag. 3. (3) Itiner. Tom. II. pag. 8. (4) Ibi pag. 12. (5) Plutarch. Praec. geren. Reip.

tuum, ut Strategi Athenis, & Prytanis in Rhodo, & Boeotarchae apud nos: ut ipsa proinde Boeotarchae dignitas ab Archontis dignitate distinguenda videatur. Ergo, si apud Boeotos etiam, quos inter Plutarchus ipse censebatur, Archontes eligi consueverant, quis aperte non videat, quod ibi fortasse potius, quam Athenis, Plutarchus dignitatem illam obtinuit? Longe tamen illustrius id ex altero Plutarchi testimonio inferri posse putaverim, in quo nitide diserteque docet Chaeronensium Archontes una simul epulari consuevisse, ἑσπέρας δὲ τῶν Ἀρχόντων, ὥσπερ ἔθος ἐςὶ, κοινῇ δειπνούντων (1): *Vesperi autem Archontibus una de more caenantibus*: quod optime, ut opinor, cum superiori Plutarchi loco conspirat. Addi postremo poterit quod Plutarchus ipse testatur sese, dum Archontis Eponymi munere fungeretur, solemnem illum *Bulimi* eiiciendi ritum peregisse, quem Libro VI. quaest. 8. fuse describit. At ritus ille non Athenis, sed in Boeotia solum, obtinuisse videtur; cum a nullo certe Scriptore inter alios Atheniensium ritus memoretur; quamvis ipsam *Bulimi* vocem non modo Plutarchus, sed Suidas etiam, & Hysichius explicaverint Βέλιμος μέγας λιμός: *Bulimus, ingens fames*: quod nimirum haec syllaba vocibus aliis praefixa rerum ipsarum magnitudinem exprimat. Hinc facile depravatum Hesychii locum restitui, corrigique posse putaverim. Ait ille Βέπαις, νέος μέγας, ἀφῆλιξ, μέγας παῖς, ἢ ἰχθῦς: nimirum Βέπαις *idem est ac iuvenis magnus, adultus, magnus puer, vel piscis*. At nullus, ut opinor, locus adolescenti, pueroque magno cum piscibus hic esse potest. Itaque rescribendum arbitror μέγας παις, ἢ ἰσχυρὸς *puer magnus, vel fortis*: ut nempe puer ille hoc nomine designetur, qui corporis proceritate, vel robore excellat.

Ceterum, ut ad Plutarchum revertar, quamvis illum Chaeronensium potius, quam Atheniensium, Fastis inscribendum esse iam dixerim, ipsius tamen nomen hic opportune memorandum esse putavi sive quod clarius aliquando testimoniis aliis Petiti, ac Potteri Sententia confirmari fortasse possit; sive quod Meursius ipse, & Dodvellus in contexendis Atheniensium Fastis Archontes etiam illos expresserint, quos incertum esse putaverant an Atheniensium potius, quam De-

(1) In Cimone in Proem.

liorum, vel Smyrnaeorum, Archontibus accenſendi forent.

Quid vero ſi poſtremo tandem loco alterius etiam Archontis nomen interſeram, qui quamvis ut ego quidem exiſtimo, Athenienſium Faſtis inſcribi nequeat, a Dodvello tamen, Meurſioque Faſtis ipſis inſcribendus erat? Ioſephus Libro XIV. c. 10. Antiquit. Iudaic. ubi Decreta plurima a variis Civitatibus in Iudaeorum gratiam edita complectitur, ſequens etiam Deliorum Decretum exhibet Num 14. Ψήφισμα Δηλίων. Ἐπὶ Ἄρχοντος Βοιώτου, μηνὸς Θαργηλιῶνος εἰκοστῇ, χρηματισμὸς Στρατηγῶν. *Pſephiſma Deliorum ſub Archonte Boeoto, menſis Thargelionis vigeſima die, reſponſum Praetorum.*

Si Archontes illi, qui in Deliis Marmoribus, ac Monimentis occurrunt, Eponymi Athenienſium Archontes habendi forent, ut Meurſius, Dodvellus, aliique plurimi exiſtimarunt, dubitari certe non poſſet quin *Boeotus* etiam ipſe Eponymis Athenienſium Archontibus adiungendus eſſet. Ac mirari ſane quis poterit cur Meurſius ipſe, qui *Ariſtechmum*, *Zenonem* Archontes in Deliis Marmoribus memoratos Athenienſium Faſtis inſcripſit, Boeotum hunc praeterierit, aut fortaſſe potius ignoraverit, qui eodem & ipſe iure ceteris Athenienſium Eponymis accenſendus eſſet.

Quandoquidem vero rationibus, & exemplis etiam oſtendi (1) quod Smyrna, Paros, ac Delos iis etiam temporibus, quibus Athenienſium imperio obnoxiae fuerant, proprios Archontes habuere, quorum nomina decretis, publiciſque Monimentis inſcriberent, longe veroſimilius exiſtimo Boeotum ipſum non Athenienſium, ſed Deliorum Faſtis inſerendum eſſe. Sin vero cui libeat, aut clarioribus argumentis aliis oſtendiſſe liceat Athenienſium potius Archontum nomina in Deliorum Monumentis inſcripta fore, is novum, ceteriſque Faſtorum Scriptoribus ignoratum Archontis nomen habere iam poterit, quod Faſtis ipſis adiciat; quemadmodum ipſorum plures a me recenſitos, inventos, ac inſertos eſſe conſpiciet.

DIS-

(1) Differt. VIII. Num. 32.

DISSERTATIO XI.

SYNOPSIS.

I. *PRaeclara Sponii, aliorumque studia, labores, ac diligentia in colligendis, excribendisque Marmoribus commendatur, ex quibus nova quoque Archontum Atheniensium, nomina hactenus incognita exculpi, atque Eponymorum Fastis adiungi possunt.* II. *Series, ac ordo proponitur, quo Marmora eiusmodi Archontum nominibus insignita tres veluti in Classes distributa proferentur, variisque adnotationibus explicabuntur; ut ipsorum praesidio varia Atticae Historiae, vel Antiquitatis capita illustrentur.* III. *De prima Marmorum Classe, vel honorariis Inscriptionibus differitur, solemnis quarundam titulus, Bonaeque Fortunae nomen iis praefixum exponitur, ac Latinis etiam Marmoribus illustratur. Meursii error semel iterumque indicatur.* IV. *De secunda Marmorum Classe, quibus Epheborum nomina inscribuntur, agitur Puerorum ab Ephebis, & Paedotribarum a Gymnasiarchis discrimen partim ex Scriptoribus, partim ex Marmoribus ipsis exponitur; ipsorumque munera demonstrantur.* V. *Ephebörum aetas, institutio, iusiurandum, arma, & munera indicantur. Duplex militiae genus apud Athenienses exponitur. Vtriusque tempus explicatur; ac Vlpiani, Volfiique error ostenditur.* VI. *Diffidentes Scriptorum Sententiae de vero aetatis anno, quo Pueri Athenis Ephebörum albo inscribi consueverant, exponuntur; ipsarumque singulae Demosthenis testimonio confutantur. Natalis Demosthenis annus, ac mensis etiam hactenus incognitus exploratur. Dionysii Halicarnassei calculus, atque Sententia refellitur.* VII. *Varia Ephebörum certamina indicantur Oxoniense Marmor contra Seldeni; ac Prideauxii hypothesim restituitur, ac explicatur. Marmor aliud exponitur, simulque Petiti error demonstratur.* VIII. *Cosmetarum, Anticosmetarum, Hypocosmetarum, Sophronistarum, ac Hyposophronistarum numerus, discrimen, ac munera declarantur*

tur. Etymologi locus notatur. Verus Ephebororum Atheniensium numerus exploratur, & Cl. Attali Archontis annus ostenditur. IX. *In tertia Marmorum Classe Parasitorum nomina observantur. Ipsorum dignitas, convivandi locus, varietas, ac numerus demonstratur. Insignis Athenaei locus exponitur, coniectura restituitur, ac illustratur.* X. *Hierophantae, Daduchi, Praeconum, Tibicium, aliorumque Parasitorum, vel Ministrorum munera recensentur; ac Latinis etiam Marmoribus illustrantur. Meursii coniectura de perpetuo Daduchi munere refellitur. Verum* τῦ ἐπὶ Βωμῷ *nomen, ac dignitas, restitutis Marmoribus, explicatur. Phosphoriorum Sacerdos, simulque* ὁ ἐπὶ Σκιάδος, *munera hactenus incognita, ex Marmoribus proferuntur.* XI. *Varia Scribarum genera, ipsorumque munera ex Scriptoribus, ac Marmoribus ostenduntur. Vlpiani, aliorumque Sententia de Scribarum conditione refellitur; novumque Scribarum genus Marmoris praesidio ceteris hactenus cognitis accensetur.* XII. Zenonis *Eponymi Archontis nomen Fastis adiungitur. Ipsius aetas, aut annus ostenditur; Sponiique error in excribendo, explicandoque Marmore demonstratur.* XIII. M. Vlpius Eubiotus *Fastis ipsis inseritur. Eius aetas inquiritur; Marmorisque verba supplentur, ac illustrantur.* XIV. Themistoclis *Archontis Eponymi nomen ex Marmore eruitur. Ipsius annus ostenditur; ac Marmor ipsum exponitur, ac illustratur.* XV. Nicias *Eponymis Archontibus aliis accensetur. Chisulli Sententia de ipsius aetate confirmatur.* XVI. . . . . . Protus *Eponymorum Fastis inscribitur. In evanido Archontis huius nomine Marmor suppletur, eiusque annus indicatur.* XVII. Tiberius Iulius Macer *Atheniensium potius, quam Milesiorum Fastis tribuitur, eiusque aetas definitur.* XVIII. P. Herennius Dexippus *Archon ex Marmore exhibetur; simulque Marmor ipsum suppletur, & explicatur.* XIX. Tiberii Claudi Sospidis *nomen Archontum Fastis adiungitur.* XX. . . . . . . carpus *etiam, suppleto, explicatoque Marmore, Fastis ipsis inseritur. Panellenia Festa, vel Ludi obiter declarantur.* XXI. Caius Iulius Casius *Atheniensis Archon elegantissimi Marmoris ope Eponymorum Fastis adiungitur; simulque plura in ipso Marmore observantur.* XXII. Lucius *etiam Eponymis Archontibus alterius Marmoris praesidio accensetur; Marmor ipsum suppletur alicubi, ac emendatur; atque eius aetas ostenditur.* XXIII. Philotimi *Archontis nomen*

ex alio Marmore profertur. Maemacterionis mensis situs in Atticorum mensium serie notatur. XXIV. . . . . . . Palleneus, *mutilum nempe, extritumque Archontis nomen indicatur, ipsiusque aetas inquiritur.* XXV. Rhoemetalcis Regis *nomine Atheniensium Archontum Fasti decorantur. Ipsius aetas, integrumque nomen ostenditur. Sponii, vel quadratarii error indicatur.* XXVI. Cl. Heraclides *Marmoris ope Fastis adiungitur; ac Marmor ipsum suppletur alicubi, & emendatur.* XXVII. Metrodorus *Archon Eponymis aliis additur. Ipsius aetas ex Marmore definitur.* XXVIII. Te . . . nius Ponticus, *simulque* Theopompus *Eponymorum Fastis accensetur; variisque in locis nomina Marmori inscripta supplentur, ac illustrantur.* XXIX. M. Valerius Mamertinus *alterius Marmoris praesidio Fastis inseritur. Cyriaci, vel quadratarii error in Marmore demonstratur.* XXX. M. Munatius Maximianus Vopiscus *Atheniensis Archon exhibetur; Marmorisque ope varia Scriptorum testimonia confirmantur.* XXXI. Demostrati *Archontis nomine Eponymorum Fasti augentur. Ipsius aetas ex Marmore ostenditur; ac Marmor ipsum alicubi suppletur, & emendatur.* XXXII. M. Aurelii Lichophori Prosdecti, *simulque* Thrasonis *nomina ex marmoribus proferuntur. Ambigitur tamen an ille veris Archontibus, vel Eponymorum Fastis adiungi possit; hic vero Pariorum potius, quam Atheniensium Archontum Fastis inscribitur.*



DIS-

DISSERTATIO XI.

De Eponymis Atheniensium Archontibus quorum nomina ex Marmoribus nunc primum eruta Fastis omnibus adiungi debent.

I. ETsi maxima, atque immortali gloria clarissimos Viros illos dignos existimem, qui in corrigendis illustrandisque veterum Scriptorum monimentis accuratam operam collocarunt; longe tamen maiorem laudem iis tribuendam esse putaverim, qui nobiliori quodam eruditionis amplificandae amore incensi non finitimas solum, sed exteras etiam, barbarasque Gentes adierunt, ut eximia Antiquitatis monumenta apud illas inviserent; eademque disiecta fere, brevique interitura scriptis suis edita conservarent. Illi nimirum tranquilla, pacataque mente domesticos inter parietes in evolvendis Veterum scriptis otia plerumque fallunt; atque in excutiendis, & corrigendis istis humanissima voluptate perfundi solent: hi vero maxima subinde rei domesticae iactura, salutis incommodo, ipsius interdum vitae periculo ingenuis Literarum cultoribus prodesse volunt. Accedit etiam, quod quidquid fere splendoris monimentis, ac scriptis illis, quae omnium oculis obversantur, superiori seculo accessit, nostra quoque, seu ceteris pone sequentibus aetatibus a doctissimis Viris aliis sperari facile potuisset. At nisi pervicacibus istorum studiis, ac laboribus monumenta vetera conquisita, exscripta, atque immortalitati consecrata iam forent, ineluctabili quodam rerum humanarum fato temporis iniuria periissent; adeoque pulcherrima eruditionis copia perpetuo careremus, quae ex monimentis ipsis veluti ex uberrimo fonte profluxerat. Itaque praeclare de Literis, exterarum Gentium Historia, omnique Eruditionis genere meritos esse conspicimus Iucundum, Apianum, Cyriacum Anconitanum, atque, ut innumeros Scriptores alios ommittam, Sponium, qui Wheelero comite, tot

tot eruditae Antiquitatis Monumenta in variis Orientis partibus, praesertim vero in Attica regione diligentissime conquisivit; quorum praesidio Atticae Populi, Senatus festa, aliaque id genus plurima feliciter illustrantur, ut variis subinde in locis opportune demonstravi. Quantum vero splendoris, ac praesidii in illustrandis etiam, supplendis, augendisque Atheniensium Archontum Fastis ex Sponio ipso, Muratorio, aliisque pluribus, qui Graeca Marmora protulerunt, oriatur ex hac ipsa Dissertatione manifestissime deprehendi poterit. Siquidem ex iis Marmoribus, quae diligentissimi Scriptores illi in lucem extulerunt, plurima Archontum nomina, quae a Veteribus omnibus ommissa fuerant, adeoque in Fastis omnibus hactenus editis desiderantur, adiungi possunt. Hinc mirari plane non possumus si Meursius ille, qui post Sigonium nostrum omnium primus Atheniensium Archontum Fastos adornavit; ac Lydiatus ipse, & Prideauxius, qui plures Archontes alios opportunius alibi (1) a me recensitos ex Arundelliano Marmore collegerunt, novos Archontes istos praeterierint; cum ipsorum aetate, vel superiori seculo eiusmodi Marmora nondum edita vel exscripta fuissent. Neque illud etiam mirari quis possit quod Dodvellus ipse, qui post edita Cyriaci, Sponiique Marmora accuratiorem, uberioremque Archontum seriem anno 1702. contexuit, aliosque plures ex Rheinesii, Sponiique ipsius Marmoribus adiecit, Archontes tamen istos omiserit; cum in aureo quidem, atque immortali, sed alterius tamen argumenti Opere seriem illam adiecerit; atque ipsorum quidam non perspicue, diserteque, sed obscurius aliquando in his Marmoribus indicentur, ut exinde vel coniecturis, vel acriori studio exculpendi videantur.

II. Quandoquidem ergo varios eiusmodi Atheniensium Archontes ceteris hactenus ignoratos mihi nunc omnium primo deprehendisse contigit, illorum singulos ita nunc ordine complectar, ut ipsorum aetas, si fieri id quidem possit, ostendatur, simulque Marmora ipsorum nominibus exornata variis adnotationibus illustrentur, ideoque non Fastis solum novus ille Archontum numerus, sed variis etiam Atticae Scriptoribus, ac Monimentis aliis splendor accedat. Vt vero singula clariori quo poterit ordine demonstrentur Marmora ipsa tres

 velu-

(1) Dissert. X. Num. 4.

veluti in Classes distinxisse libuit; ut initio quidem IX. Marmora, vel Inscriptiones illas exponam, quae in Caesaris, vel civis alicuius honorem Athenis positae, vel dedicatae videantur. Proximo deinde loco VII. Inscriptiones alias, aut Marmora subiiciam, quae vel ab Ephebis posita fortasse fuerint; vel in quibus certe Epheborum mentio, seu nomina reperiantur. Denique IV. Marmora, vel Inscriptiones illas complectar, in quibus *Prytanes*, & Ἀίσιτοι *Parasiti* recensentur. Atque optime hic quidem novi, ingenueque profiteor, quod illustrandis solum, augendisque Archontum Fastis sola plerumque Archontum ipsorum nomina ex Marmoribus exscripsisse poteram; quemadmodum fere Meursius ipse aliquot Archontum nomina ex Gruterianis Marmoribus indicavit. Satius tamen duxi integra hic potius Marmora ipsa proferre, latinaque insuper interpretatione donare: non modo quod illa variis in Scriptoribus dispersa forent; verum etiam quod plurima in ipsis implexa, minusque feliciter ab aliis exposita, latineque reddita viderentur. Id facile, ut opinor, intelliget, qui varias adnotationes illas inspexerit, quae suis in locis opportune afferentur, ipsasque cum editis aliorum interpretationibus accurate contulerit. Cum vero plura non uni solum, sed variis etiam eiusdem Classis Marmoribus illustrandis explicanda fore intellexerim, ne eadem semel iterumque excribere, vel adnotare subinde cogerer, e re futurum putavi, si haec omnia seorsim brevissime exponerem; adeoque in ipso Dissertationis limine quidquid ad *Titulos*, vel *honorarias Inscriptiones*; quidquid ad *Ephebos*; quidquid denique ad *Parasitos*, ad varias nimirum Marmorum Classes a me constitutas, spectaverit, legentium oculis hic ordine subiiceretur.

III. Itaque, ut a prima Marmorum Classe exordiar, in quibus aut Caesarum, aut Atheniensium quandoque Civium inscripta nomina reperiuntur, quibus eadem Marmora, honoris caussa, excitata fuerint, nihil est certe cur veterem, atque a primis usque temporibus usurpatum morem pluribus hic persequar, quo aut Caesaribus, aut viris praeclare de Patria meritis non statuas solum, sed etiam publica id genus alia Monumenta, Senatus, Populique decreto, excitari consueverant. Innumera propemodum eiusmodi moris exempla,

pla, vel argumenta ſubinde occurrunt; idque perſpicue ſatis eadem illa Marmora oſtendunt, quae mox proferentur, quorum nonnulla quidem Caeſaribus; alia vero Novemviris, vel Eponymis Archontibus; alia denique Civibus egregie de Patria meritis inſcribuntur. Illud unum hic potius indicaſſe iuverit quod in eiuſmodi Marmorum fronte plerumque ſcriptum conſpicitur Ἀγαθῇ Τύχῃ *Bonae Fortunae*, ſive *cum Bona Fortuna*; quamvis in plurimis etiam Marmoribus alis (1) eadem prorſus inſcriptio, vel titulus offendatur. Etenim ſolemnis illa bene ominandi formula publicis Athenienſium decretis prefigi conſueverat, ut teſtatur Plutarchus (2); quemadmodum ſane in Pſephiſmate de honorando Demetrio Rege, quod Plutarchus (3) ipſe recenſet, initio dicitur Ἀγαθῇ Τύχῃ δεδόχθη τῷ δήμῳ .. *Quod fauſtum ſit. Placuit Populo*... in induciis inter Lacedaemonios, ac Athenienſes initis praeſcribitur Τύχῃ ἀγαθῇ τῇ τῶν Ἀθηναίων (4) *cum bona Fortuna Athenienſium*, ſive *Quod Athenienſibus bene vertat*. atque in Marmore Delphis poſito Dorica Dialecto ſcriptum conſpicitur Ἀγαθᾷ Τύχᾳ (5) *cum Bona Fortuna*. Mirari vero non ſubeat ſi in publicis decretis illis haec ominandi forma frequenter adeo ab Athenienſibus uſurpata fuerit; cum Athenienſes ipſi Ἀγαθὴν Τύχην *Bonam Fortunam* veluti praeſens quoddam, ac tutelare Vrbis Numen coluerint; Aelianoque (6) teſte τῆς Ἀγαθῆς Τύχης *Bonae Fortunae* ſtatuam prope Prytaneum dedicaverint. Quo certe loco Cl. Meurſium (7) falli putaverim, qui, cum ſuperius Aeliani teſtimonium excripſiſſet, repente ſubdit eius ſtatuae, quae Bonae Fortunae excitata fuerat, Demoſthenem meminiſſe cum ait: ἐγὼ τὴν πόλιν τὴν ὑμετέραν ἐυτυχεςάτην πασῶν πόλεων ὑπολαμβάνω ... ϗ ταῦτα οἶδα ϗ (τὲς Θεὲς) λέγοντας ἐν ταῖς μαντείαις, ϗ προσεπισφραγιζομένες την Ἀγαθὴν Τύχην ἐν τῇ πόλει εἶναι τή παρ᾽ ὑμῖν (8) *Ego urbem veſtram omnium urbium feliciſſimam exiſtimo ... & haec ſcio teſtari vobis deos in oraculis; confirmantes inſuper eſſe vobis in urbe veſtra Bonam Fortunam*. Etenim, niſi plurimum fallor, nihil hic certe de Fortunae ſtatua Athenis poſita intelligi, vel exculpi poterit: perinde quaſi Athenienſes ipſi arcanis deorum oraculis doceri debuerint, quod in ipſorum urbe *Bonae*

(1) Marm. Oxon Num 2. 57. 153. & Append. Num. 7. 8. 9. 10. 19. (2) De Repugn. Stoicor. (3) In Demetr. (4) Tucyd. Lib. IV. c. 118. (5) Murator. Pag. 134. & 176. (6) Var Hiſtor. Lib. IX. c. 39. (7) Athen. Attic. Lib. I. c. 8. (8) Epiſt. 4.

Fortunae statua pubblice consecrata reperiretur; cum in illustri urbis ipsius loco posita haec omnium oculis obversaretur. Sed iamdiu est quod doctissimi viri maximam, atque incredibilem Meursii solertiam in observandis, congerendisque Atticae monimentis commendarunt, sed acrius tamen alicubi, severiusque iudicium in excernendis illis optarunt. Sic, ut exemplum aliud hic proferam, Meursius ipse Elephantis imaginem inter publica Atheniensis Vrbis ornamenta, vel monimenta recenset (1) qnod Themistius alicubi (2) dixerit ἡ ἄσθησις κατ' ἀυτὸ μὲν ὁρᾷ τὸν ἐν Ἀθήναις γεγραμμένον ἐλέφαντα. κατὰ συμβεβηκὸς δὲ τὸν ἐν Ἰνδίᾳ *sensus quidem perse videt elephantem, qui Athenis pictus est; per accidens vero* elephantem *illum, qui in India reperitur*: perinde quasi perspicua Themistii verba de pubblica quadam Elephantis imagine; non vero commodiori, veriorique sensu de privata potius intelligi debeant, quae alicubi fortasse Athenis extaret. Verum, ut ad formulam illam, *Bonaeque Fortunae* nomen revertar, ipsam in Graecis istis Marmoribus Latine efferendis ita subinde reddidi, ut aliquando *Cum Bona Fortuna*; alibi *Quod faustum sit*; alicubi *Bonum Factum*, vel *Bono Eventui* dixerim. Etenim singulas eiusmodi phrases in latinis Marmoribus usurpatas esse conspexi. Ita nimirum in ipsorum aliquibus (3) *Bon. Eventui*, vel *Bono Evento* vel *Eventui Aug.* (4) vel denique *Bonum Eventum* (5) legitur; in aliis vero *Quod Bonum faustum, felixque sit* (6) reperitur: quemadmodum a Latinis Scriptoribus *Bonum factum*, sive *Bona fortuna sit* usurpatum esse Prideauxius (7) variis exemplis elegantissime demonstravit. Ita propemodum, cum in Marmore Num. XXII. proferendo Καισάρες Νειχη legatur, Cl. Gorio inhaerens latine reddidi *Caesaris Victoriae*: quod nimirum saepissime in latinis Marmoribus (8) *Victoriae Augusti* nobis occurrat. Atque ista quidem brevissime de prima Inscriptionum, vel Marmorum nostrorum Classe dicta sufficiant.

IV. Nunc ad alterius generis Marmora, vel Inscriptiones alias digrediar, in quibus *Epheborum* nomina, ipsorumque *Cosmetae*, *Paedotribae*, & *Gymnasiarchae* recensentur. Quo quidem loco plurima de Ephebis ipsis, illorumque nume-

(1) Athen. Attic. Lib. III. c. 9. (2) De Memor. & Reminisc. (3) Grut. Pag. 101. num. 8. (4) Murat. Pag. 92. & Gudi. Pag. 56. num. 4. (5) Murat. Pag. 1102. (6) Tomasin. de Donari c. 9. (7) Ad Marmor. Oxon. Pag. 27. (8) Murat. Pag. 91.

mero, aetate, muneribus praefari possem, quae apud veteres Scriptores omnes occurrunt. Quandoquidem vero Pitus (1), Prideauxius (2), atque omnium uberrime, accuratissimeque Sigonius in aureo, praestantissimoque Opere *de Republica Atheniensium* (3) argumentum illud exposuit; suprema hic solum veluti rerum capita complectar, atque illa potissimum clariori, brevíorique, quo poterit ordine seligam, ex quibus marmoribus ipsis opportune splendor accedat; ac vicissim Marmorum praesidio veterum Scriptorum testimonia confirmentur aut interdum etiam corrigantur.

Itaque, ut hinc exordiar quilibet Atheniensium civis tertia *Apaturiorum* die, quae Pyaniepsione mense agebantur, primo, ut ait Etymologus, sive tertio, ut Proclus asserit, aetatis anno inter φράτορας *Cognatos*, mox inter δημότας *Populares* iis ritibus inscribebatur, quos alibi (4) exposui. Vbi vero adoleverat, inter Παῖδας, hoc est *Pueros* censebatur; Pueri vero, seu Παῖδες isti, si humiliori genere nati forent, atque angusta domi re premerentur, mechanicis artibus addicebantur; honestiores vero Solonis lege (5), non Literas modo, Philosophiam, & Musicam; sed equestrem etiam, & gymnasticam artem docebantur; simulque in venandi, natandique studio exercebantur. Ac dubitari certe non poterit, quin publicis eiusmodi Puerorum exercitationibus Praefectus aliquis pubblica autoritate, sive is ab Areopagitico Senatu, sive ab universo Populo, sive potius a tribu qualibet eligeretur, qui Puerorum omnium, aut Contribulium saltem modestiae, ordini, decorique consuleret, ut omnia rite, suisque temporibus peragerentur. Nullibi tamen Praefectus ille, quod noverim, diserte memoratur, aut a veteribus scriptoribus accurate describitur. Paedotribae quidem mentio apud Scriptores ipsos, atque in Marmoribus etiam occurrit; Sed ambiguum plane, obscurumque superest, an dignitas illa ad *Pueros* solum, vel *Ephebos* etiam referatur; cum praesertim unum, idemque munus modo Paedotribis, modo Gymnasiarchis apud varios Scriptores tribuatur. Ita Vlpianus (6) asserit oleum a Gymnasiarchis iis, qui in palaestra exercebantur, ministrari consuevisse; idque de Ephebis intelligendum esse subindicant Marmora mox proferenda (7), ex qui-

(1) Ad Leges Attic. (2) Ad Marm. Exo. Pag. 85. (3) Lib. IV. (4) Differt. V. Num. 6. (5) Plutarch. in Solone. & Plato in Axiocho Vid. Meurs. Fort. Athen. c. 4. (6) Ad Orat. adver. Leptin. (7) Num. 7.

ex quibus Ephebos palaeſtra certaſſe erudimur. At Aphrodiſaeus teſtatur Athletas ante luctam oleo παρὰ τῶν παιδοτριβῶν *apud Paedotribas* perungi conſueviſſe. Itaque Prideauxius (1) Paedotribam unum, eundemque fuiſſe exiſtimat, qui *Gymnaſiarchae* quandoque nomine decoretur: perinde quaſi unum, idemque munus vario ſubinde nomine diſtingueretur. Cum tamen in Marmoribus ipſis, quae Num. 21. 23. proferam, Gymnaſiarchae nitide, diſerteque a Paedotribis ſecernantur, atque ita quidem, ut Gymnaſiarchae dignitas unius menſis ſpatio finiretur, Paedotriba vero διὰ βίȣ, *quoad viveret* eiuſmodi munere (2), fungeretur longe veriſimilius exiſtimo Paedotribae, Gymnaſiarchaeque munera ita diſtincta fuiſſe, ut Paedotriba quidem Pueris, Gymnaſiarcha vero fortaſſe utriſque, ſed Ephebis praecipue praeſideret. Id facile ex Platonis, vel alterius Scriptoris teſtimonio, qui *Axiochum* Dialogum edidit, deprehendi poteſt; in quo non *Paedotribae* ſolum, *Gymnaſiarchae*, & *Sophoroniſtae*, ſed alia quoque plura ad Puerorum, Epheborumque cultum ſpectantia memorantur ὁπόταν δὲ παῖς εἰς τὴν ἑπταετίαν ἀφίκηται, πολλȣ̀ς πόνȣς διαντλήσαν, ϗ Γυμναςαὶ, ϗ Παιδοτρίβαι τυραννȣ̃ντες ... ἐπειδὰν δὲ εἰς τȣ̀ς Ἐφήβȣς ἐγγραφῇ, ϗ φόβος χείρων ἔιη, τὸ Λύκειον, ϗ Ἀκαδημία, ϗ Γυμνασιαρχία ... ϗ πᾶς ὁ τȣ̃ μειρακίσκȣ χρόνος ἐςὶν ὑπὸ Σωφρονιςὰς, ϗ τὴν ἐπὶ τȣ̀ς νέȣς ἄιρεσιν τῆς ἐξ Ἀρειοπάγȣ βȣλῆς. *Poſtquam vero Puer ad ſeptimum aetatis annum pervenerit, exanthlatis multis laboribus, Gymnaſtae, ac Paedotribae tyrannico imperio imponuntur ... poſtquam autem inter Ephebos inſcriptus eſt, tum vero gravior metus ingruit, Lyceum, Academia, Gymnaſiarchia .. ita omne adoleſcientiae tempus ſub Sophroniſtis traducitur, qui ab Areopagitico ſenatu electi iuventuti ad temperantiam, morumque honeſtatem conformandae invigilant.* Itaque hic *Gymnaſiarchia*, ſive potius, ut legendum exiſtimo, *Gymnaſiarcha* ad Ephebos ſolum referri conſpicitur, atque Paedotriba ad Pueros: quamvis in monimentis aliis Paedotribae cum Gymnaſiarchis, ſimulque Pueri cum Ephebis recenſeri, ac veluti confundi videantur. In duobus certe Marmoribus non Ephebi ſolum, ſed etiam Παιδευταὶ *Pueri* recenſentur (3) Quod ſi in Marmoribus aliis ſolum Paedotribae nomen occurrit, neque etiam *Pueri* memoran-

(1) Pag. 88. (2) Vide infer. Num. 7. (3) Infra Num. 21.

morantur, id facile tamen intelligi, vel explicari poterit; ſive quod in Monimentis illis etiam Puerorum Praefectus inſcriberetur; ſive quod Paedotribae munus aliqua in parte ad Ephebos etiam ſpectaret. Illud unum hic optime cum Petito veluti certum conſtitui poterit, quod Epheborum Gymnaſia, a Puerorum Gymnaſiis ita diſtinguebantur, ut in illa quidem viris ingredi liceret, in haec vero adultis aditus prohiberetur; ac Gymnaſiarcha quidem Puerorum modeſtiae, atque exercitationibus praeſideret.

V. Ceterum, ne minutioribus his immorer, ubi iam Pueri ſub Gymnaſiarcha, ſive Paedotriba quoque ſi mavis, pueritiam exegerant, decimumque, & octavum aetatis annum exceſſerant, Ἐ΄φηβοι *Ephebi* dicebantur, atque in Ἐφηβάρχῳ, ut Arrianus (1) appellat; ſive, ut Harpocration (2), Pollux (3), Suidas (4), atque Ariſtoteles vocavit, τῶν Ἐφήβων Ληξιαρχικῷ *Epheborum albo* inſcribebantur, ſolemnique ritu in Aglauri Templo iurabant (5) ſe rite, fortiterque pro Patria dimicaturos, ut ex ipſa Iuris iurandi formula apparet, quam Pollux nobis conſervavit. Interim vero, duobus nimirum annis, quibus Epheborum munere fungebantur, non Gymnaſticis ſolum exercitationibus publice in Gymaſio vacare conſueverant; ſed haſta quoque, & ſcuto in Populi concione accepto urbana praeſidia obire, univerſam Atticae regionem luſtrare, & excubias in illa agere cogebantur; unde περίπολοι *circuitores* appellabatur (6). At ubi vigeſimum aetatis annum compleverant, militum albo inſcribebantur; atque, ſi bellum ingrueret, ad externa quoque bella cum militibus aliis prodire, & in acie dimicare tenebantur; quamvis in tutiori ipſius parte locari, ſeorſimque a militibus aliis diſponi conſueverint. Hinc illa militiae ſpecies ἡ ἐν τοῖς μερέσι *militia in partibus*, quam unus Aeſchines (7) memoravit, ubi ſe καὶ τὴν ἐν τοῖς μερέσι καλυμένον μάχην, *pugnam, quae in partibus dicitur*, pugnaſſe gloriatur. Quem obſcuriſſimum ſane Aeſchinis locum hoc Suidae teſtimonio Palmerius (8) illuſtravit, ἔθος ἦν τούς ἐφήβους μετὰ τὶν γενέσαι περιπόλους τῆς χώρας ςρατεύεςαι μὲν, ἐι συμβαίη πόλεμος, μὴ μήντοι μετὰ τῶν ἀλλων, ἀλλ᾽ ἰδίᾳ ἐν μέρεσιτοῖς ακυνδίνοις τῆς μάχης διὸ την ςρατειαν καλεῖςαι την ἐν τοῖς

(1) In Epict. Lib. III. (2) In Ληξιαρχ. (3) Lib. VIII. c. 9. (4) In. Ληξιαρχ. (5) Demoſth. de Falſa Legatio & Lycurg. Orat. adv Leocrat. (6) Harpocr. in περίπολος (7) Orat de Falſa Leg. (8) Exercit. Pag. 653.

τοῖς μέρεσι, (1) *mos erat Ephebos, postquam circuitores Regionis fuissent, in milites legi solere, si bellum ingrueret; non quidem cum aliis, sed separatim in tutioribus partibus totius aciei: ideo eam militiam vocari in partibus*. Itaque hoc uno discrimine, nimirum ex tutiori, commodiorique loco, quo Ephebi in acie disponi consueverant, a militibus aliis ipsi distinguebantur; at hoc ipsum levioris quodamodo militiae tempus in legitimo annorum numero censebatur, quo Atheniensium quilibet veteri, constantique lege militare cogebatur. Quamvis enim Aeschines ipse dixerit τὴν ἐν Τοῖς Ἐπωνύμοις, καὶ τοῖς μερέσιν ἐξῆλθον, *militiae illi, quae in partibus, atque in Eponymis* appellatur, *interfui*, perinde quasi prioris militiae tempus ab alterius militiae tempore distinguatur, perspicuis tamen Veterum testimoniis erudimur utrumque militiae genus, aut tempus in integro 42. annorum tempore contineri, qui totidem Eponymorum Archontum nominibus ita designari consueverat, ut initio ducto ab Eponymi Archontis anno, quo pueri inter Ephebos admissi fuerant, ad quadragesimi secundi mox insequentis Archontis annum, hoc est ad sexagesimum usque aetatis annum, militare tenebantur; unde *in Eponymis*, vel *Eponymiana* militia dicebatur. Id optime, accurateque ex Aristotelis Opere *de Ateniensium Republica* exposuit Harpocration; εἰσὶ γὰρ ἐπωνύμοι δέκα ἐκ τῶν φυλῶν, δύο καὶ τετταράκοντα οἱ τῶν ἡλικιῶν. οἱ δὲ ἔφηβοι ἐγγραφόμενοι πρότερον μὲν εἰς λελευκωμένα γραμματεῖα ἐνεγράφοντο, καὶ ἐπεγράφοντο αὐτοῖς ὅ τε Ἄρχων, ἐφ' οὗ ἐπεγράφησαν, καὶ ὁ ἐπώνυμος ὁ τῷ προτέρῳ ἔτει ἐπιδεδημεκώς. νῦν δὲ εἰς τὴν βουλὴν ἀναγράφονται, καὶ μετ ὀλίγα. χρῶντα δὲ τοῖς ἐπωνύμοις, καὶ πρὸς τὰς στρατείας, καὶ ὅταν ἡλικίαν ἐκπέμπωσι, προγράφουσι ἀπὸ τινὸς Ἄρχοντος Ἐπωνύμου μέχρι τίνος δεῖ στρατεύεσθαι. *Eponymi decem quidem sunt, qui Tribuum dicuntur; quadraginta duo vero, qui aetatum. Ephebi enim primum quidem in dealbatis tabellis inscribebantur, & adscribebatur Archon, sub quo inscripti fuerant, & Eponymus, qui primo anno erat in Vrbe; nunc vero in Senatu inscribuntur. Et paulo post; Vtuntur autem Eponymis ad expeditiones militares; & quando aetates foras mittunt, inscribunt a quonam Archonte Eponymo, & usque ad quem, debent militare*. Idipsum clarius alibi, longeque brevius expressit; ἐπώνυμοι διττοὶ εἰσιν. οἱ μὲν

(1) Suidas in Τέθρεια.

μὲν δέκατὸν ἀριθμὸν, ἀφ᾽ ὧν αἱ φυλαῖ. ἕτεροι δὲ δύο καὶ τεσσαράκοντα, ἀφ᾽ ὧν αἱ ἡλικίαι προσαγορεύονται τῶν πολιτῶν καθ᾽ ἕκαστον ἔτος, ἀπὸ ὀκτωκαίδεκα ἐτῶν μέχρις ἑξήκοντα. *Eponymi duplicis generis ſunt: alii quidem numero decem*, *ex quibus* Athenienſium *Tribus*; *alii vero quadraginta duo*, *ex quibus aetates civium quotannis denominantur*, *ab octavo decimo ad ſexageſimum aetatis annum*. Vlpianus tamen, ipſique inhaerens Mauſſacus (1) eiuſmodi militiae tempus nonniſi 40. annorum fuiſſe prodidit. Ait enim, νόμος κελεύει παρὰ Ἀθηναίοις μέχρι τεσσαράκοντα ἐτῶν στρατεύεσθαι, ἀρξαμένους ἀπὸ ὀκτωκαίδεκα, καὶ μέχρι μέντοι τῶν εἴκοσι Παῖδας ὄντας τέως περιπολεῖν τὰ περὶ τὴν πόλιν φρούρια. εἰς ὑπερορίους δὲ πολέμους ἀπὸ ἐτῶν εἴκοσιν(2): *apud Athenienſes lex iubet ipſos ad annum uſque quadrageſimum militare*, *incipiendo ab anno decimoctavo*; *& quidem ad vigeſimum uſque*, *dum Pueri ſunt*, *praeſidia Vrbi circumpoſita obire*; *ad externa vero bella poſt vigeſimum annum exire*. At Vlpianus ipſe vel fallitur, vel militiae tempus non accurato, ſed rotundo, ut potius fieri amat, numero expreſſit, vel in ipſius textu pro τεσσαράκοντα *quadraginta* δύο κ τεσσαράκοντα *duo*, *& quadraginta* reſcribi debet, ut Scholiaſtes ille cum Harpocratione, ſive potius cum Philochoro, & Ariſtotele conſpiret. Quamvis autem legitimum militiae tempus ad ſexageſimum uſque aetatis annum extenderetur; ſi gravius tamen aliquando bellum ingrueret, ii quoque, qui aetatem illam exceſſerant, militare cogebantur; unde Demoſthenes aſſerit, imminente Philippi Macedonis bello Athenienſes decreviſſe, ut triremes inſtruerentur κ τοὺς μέχρι πέντε κ τεσσαράκοντα ἐτῶν αὐτοὺς ἐμβαίνειν τὰς τριήρεις(3), *atque illi*, *qui infra quadrageſimum quintum militiae*, hoc eſt ſexageſimum tertium aetatis *annum eſſent*, *triremes conſcenderent*. Quo certe loco inſignis Vir, atque de Graecis, Latiniſque literis egregie meritus Volfius fallitur, qui non *militiae*, ſed *aetatis* annos hic exprimi exiſtimavit, adeoque ſuperiora Demoſthenis verba latine reddidit, *qui infra annum aetatis eſſent quintum*, *& quadrageſimum*.

VI Quandoquidem vero conſtans militiae tempus, aut militaris aetas ab anno illo numerari conſueverat, quo Cives in *Ephoborum* albo inſcribebantur; illud hic etiam paullo mihi accuratius explorandum eſſe putaverim, quo vere aeta-

(1) In Harpocr. Pag. 242. (2) Ad Olynth. III. (3) Olynth. III. Pag. II.

aetatis anno inter Ephebos admitti ſolerent; in quo veteres recentioreſque diſſidentes eſſe conſpicio [1]. Siquidem Didymus apud Harpocrationem [2] aſſerit, Athenienſes *ſexto decimo* aetatis anno Ephebos, ſuique iuris cenſeri conſueviſſe; idque ex Hyperidis teſtimonio confirmari poſſe videtur. Harpocration tamen hoc ipſo loco, ceteriſque ſuperius laudatis, aſſerit Athenienſium Pueros *octavo decimo* aetatis anno inter Ephebos inſcriptos eſſe; nullibi tamen exponens, an annum illum attigiſſe ſolum, vel exceſſiſſe debuerint. Sigonius vero Harpocrationis, aliorumque verba de octavo decimo aetatis anno, non completo quidem, ſed inchoato ſolum intelligenda fore putavit, quamvis id nullo veterum teſtimonio, vel exemplo confirmaverit. Itaque perſpicuo Demoſthenis teſtimonio, exemploque oſtendiſſe iuverit non ſexto decimo, ut putaverat Didymus, non ineunte ſolum, ut volebat Sigonius, ſed abſoluto potius octavo decimo aetatis anno Pueros in Epheborum album referri ſuique iuris cenſeri conſueviſſe; non modo ut perplexitas illa dimiratur, oppoſitaeque Scriptorum ſententiae, ac doctiſſimi Sigonii coniectura refellatur; verum etiam, ut inſignis Dionyſii error demonſtretur.

Accuratiſſimus Orator ille cum Tutores ſuos male geſtae tutelae reos ageret, teſtatur [3], ſe a moriente patre *ſeptennem* una cum *quinquenni* ſorore ſub Tutoribus relictum fuiſſe; tum variis in locis nitide, conſtanterque docet, Tutores ipſos *decennii* ſpatio pupillorum opes diripuiſſe; ſeque, cum primum virilem togam ſuſceperat, ſive δοκιμασθεὶς, hoc eſt, ut Harpocration [4] exponit, εἰς ἄνδρας ἐγγραφεὶς *inter viros inſcriptus* fuerat, Tutores ipſos in iudicium vocaſſe. Ergo, cum Pueri viris inſeri, ſuique iuris eſſe non poſſent, niſi Epheborum Lexiarchico inſcriberentur, εἰς ὃ ἐνεγράφοντο οἱ τελεσθέντες τῶν Παίδων, οἷς ἐξῆν τὰ πατρῷα οἰκονομεῖν [5] *in quo inſcribebantur ii, qui ex Pueris exeuntes patrias opes adminiſtrare poterant*, dubitari certo non poterit quin Demoſthenes Ephebis inſcriptus eſſet ubi Tutores in ius vocavit. At Orator ipſe perſpicuos temporis characteres, exponens, aſſerit ſororem ſuam *Polyzelo Archonte*, *Scirrophorione menſe nupſiſſe*; ſeque *ſtatim poſt nuptias virilem togam ſumpſiſſe*; atque *ſub Cephiſodo-*

(1) Vid. Fabri Agoniſt. Lib. I. c. 16. (2) In Ἐπιδιετές (3) Orat. I. in Aphob. (4) In δοκιμασθείς. (5) Suidas in Λεξιαρχ.

ſodoro, qui Polyzelo ſucceſſerat, *ſumpta iam virili toga*, *Tutores accuſaſſe* [1]: ergo Demoſthenes, vel ineunte anno 3. Olym. CIII. quo Cephiſodori nomen Faſtis inſcribitur, vel exeunte potius anno 2. quo Polyzelus Archon erat, inter Ephebos admiſſus fuit. Itaque, cum Demoſthenes Dexithei Archontis anno, hoc eſt 4. Olymp. XCVIII. natus fuerit; atque Callimacho Archonte, anno 4. Olymp. CVII. *trigeſimum ſeptimum* aetatis annum attigerit, ut teſtatur Plutarchus [2], perſpicuum fiet Demoſthenem, ipſum ineunte anno 3. ſive exeunte quoque, ſi mavis, anno 2. Olymp. CIII. dum Ephebis inſcriberetur, iam *octavum decimum* aetatis annum exceſſiſſe. Optime quidem novi, atque opportunius alibi [3] demonſtravi Dionyſium Halicarnaſaeum in definiendo natali Demoſthenis anno integro *Olympiadis*, vel *quadriennii* ſpatio a Plutarchi calculo diſſidere: quippe qui dixerit Oratorem hunc anno 4. Olymp IC. in lucem prodiiſſe; ſimulque Timocratis Archontis anno 1. Olymp. CIV. *decimum ſeptimum*; Calliſtrati vero, hoc eſt anno 2. Olymp. CVI. *viceſimum ſeptimum* aetatis annum egiſſe. Quamvis tamen Dionyſius ipſe ſibi mirifice conſentiat, eiuſque teſtimonium una cum ſuperiori Plutarchi loco Meurſius [4] exhibeat, perinde quaſi Scriptores illi mutuo conſpirent, Dionyſii opinio manifeſtiſſime refelli debet. Siquidem, ſi Orator ipſe anno 4. Olymp. IC. natus eſſet, Polyzeli Archontis anno nonniſi *quartum decimum* aetatis annorum egiſſet; adeoque tunc inter Ephebos admitti, paternamque ſubſtantiam adminiſtrare coepiſſet: quod non a perſpicuo ſolum Harpocrationis teſtimonio; ſed ab ipſa quoque Didymi ſententia abhorret. Intelligi quoque, vel explicari certe non poterit, Oratorem ipſum anno 4. Olymp. IC. in lucem prodiiſſe, ſi a moriente patre *ſeptennis* relictus fuit, tandemque Polyzeli Archontis anno virilem togam ſumpſit, poſtquam *decem* annos ſub Tutoribus exegerat: quae tamen omnia perſpicuo, conſtantique Demoſthenis ipſius teſtimonio demonſtravi. Itaque, repudiata Dionyſii hypotheſi, Plutarchi ſententia defendi, atque Demoſthenis ortus ad exeuntem Scirrophorionem anni 4. Olymp. IIC. referri debet; ut nimirum Scirrophorione menſe anni 2. Olymp. CIII. *octavum de-*

 ci-

(1) Orat. adv. Onator. (2) Vita X. Rhet. (3) Diſſert. IX. num. 18. (4) De Arch. Ath. Lib. III. c. 18. & 19. Lib. IV. c. 8.

cimum aetatis annum absolveret. Quod si Demosthenes ipse testatur, se, vivente quidem patre, *septennium*, *decennium* vero defuncto patre sub Tutoribus egisse, perinde quasi *septendecim* solum annos exegerit, ubi Epheborum Lexiarchico inscribebatur, observari facile poterit, tum *septem*, tum *decem* etiam annos illos ita completos, vel integros esse potuisse, ut ex utrisque una coniunctis integra *octodecim* annorum summa conficeretur; quod ex variis certe Demosthenis verbis invicem collatis facile ostendi posset. Sed haec ipsa, quae protuli, satis, ut opinor, argumento esse poterunt, Atheniensium cives non *sextodecimo*, ut putabat Didymus; non ineunte solum *octavodecimo*, ut Sigonio videbatur; sed exacto potius *octavodecimo* aetatis anno Ephebis inseri consuevisse; adeoque Atheniensium Cives ad *vicesimum* usque absolutum Ephebi munere perfunctos, exacto demum *sexagesimo* aetatis anno militiae legibus solutos esse.

VIII. Interim vero dum biennii spatio Ephebi munere fungebantur, non in Gymnasio solum, sed in publicis etiam, sacrisque Ludis, atque Agonibus exercebantur; quod licet a nullo Veterum memoretur, ex variis tamen Marmoribus perspicue demonstratur, quorum aliqua subiecisse iuverit, ut opportune illustrentur. Sic in Oxoniensi Marmore XV. Epheborum victoria Eleusine parta memoratur.(1)

Κοσμητεύοντος Στα̅ Σεραπίωνος Χολλείδου
καὶ Κοσμητεύοντος Κασι̅ Ἀπολλωνίου Στειριέως
Σωφρονιστὴς Ἀθηναῖος Σπένδοντος Ἐλευσίνιος
τοῖς Ἐφήβοις τὸν Ἡρακλέα ἀπὸ τῆς ἐν Ἐλευσῖνι νείκης
Παιδοτριβοῦντος Ἀβασκάντου
τοῦ Εὐμόλπου Κηφασιέως ἔτος κγ.

Cosmetae Magistratum gerente sta *Serapione Collidae* filio
Et Cosmetae Magistratum gerente Casi Apollonio Stiriensi
Sophronista Athenaeus Spendontis filius *Eleusinius*
Ephebis Herculem ob victoriam in Eleusine.
Paedotriba Abascanto filio
Eumolpi Cephisiensi anno 23.

Qu

(1) Pag. 83. 84.

Quo certe loco mirari quis poterit, cur doctissimus Seldenus, ubi pulcherrimam Inscriptionem hanc protulisset, illa vocum compendia Στα, Κασι praeterierit; nihilque de vocum illarum significatione adnotaverit; Prideauxius uero Seldeno praefidentior, sed infelicior tamen, existimaverit esse *voces, quae diversas horum* Κοσμητῶν *provincias distinguant; cum*, inquit ille, *quid aliud ea hic denotent, non possim omnino coniectare* (1). Si tamen eiusmodi Inscriptio cum ceteris conferatur, perspicuum fiet, quod illa vocum compendia non aliud, quam vera Cosmetarum nomina designant, ut proinde cum Montfaucunio Στατίυ, & Κασίυ (2), vel Στασέου, vel Σταφύλου legendum sit; quemadmodum certe apud Sponium in altera Inscriptione legitur ἐπὶ ἱερέως Στασέυ τῦ Φιλοκλέυς Κολωνῆθεν (3); & in alia quoque Στα. Φίλων (4) memoratur. Itaque non *Sta. Serapione Collidae filio*; sed *Stasea Serapionis* filio *Chollide* reddi debet; hoc est ex Atticae Populo, *Chollide*, quem Prideauxius ignoravit, ceterisque numeratis, hic indictum praeteriit. Illud hic etiam in Prideauxio reprehendi debet, quod duplicem hic Cosmetam, alterum nempe *Puerorum*, alium *Epheborum* effinxerit; cum, Sponio duce, non κὶ κοσμητευοντος, sed ἀντικοσμητεύοντος, ut in Marmoribus aliis, hic legi debeat.

Lampadiferi quoque certaminis, quod in Panathenaeis, ac Vulcani, Prometheique festis agi consueverat (5), victoriaeque in illo ab Ephebis partae mentio occurrit in marmore, quod a Grutero Pag. 317. num. 3. exhibetur.

Athenis in Gymnasio.

Ἀγαθῇ Τύχῃ
Ἐπὶ Κλ. Ἀττάλου Ἄρ
χοντος Κοσμητὴς
Ἐφήβων Ἱερεὺς Θεῦ
κὶ Θεᾶς Εἰρηναῖ
ος ὁ Παιανιεὺς
Ἐφήβευεν αυτον (6)
ὑὸς Διονύσιος
Εἰρηναίυ Παιανι

ευσ

(1) Marm. Oxon. Pag. 86. (2) Vid. Murat. Pag. 645. (3) Itin. Tom. 3. Pag. 88.
(4) Ad Pop. Attic. Artic. 146. (5) Harpocr. in Λαμπας. (6) L. αὐτοῦ ὑός Moril.

εὺς . Ἐγυμνασιάρ
χησεν τὸν [1] ἐνιαυ
τὸν πεὺς Ἐφήβοις
Φλ. Στρατόλαος
Φυλάσιος ἐγένον
Το Ἔφηβοι διακό
σιοι κ̀ δύο
Λαμπάδα νεικήσας σὺν Ἐφήβοις τῇ δ᾽ ἀνέθηκε
Συντυχίδης Πάνθων Εὐτυχίδου Ἀθμονεύς

Faustum sit
sub Cl. Attalo Ar-
chonte Cosmeta
Ephebotum fuit, *& Sacerdos Dei*
& Deae Irenae-
us Paeaniensis.
Ephebus erat ipsius
filius Donysius
Irenaei Paeanien-
sis. Gymnasiarchae
munere eius anni
Ephebis praefuit
Fl. Stratolaus
Phylasius: Fue-
runt Ephebi ducen-
ti & duo
Lampadis certamine vincens eum Ephebis posuit
Syntychides Panthon Eutychidis filius Athmonensis.

Haec ipsa quoque Incriptio inter Oxoniensia Marmora a Prideauxio exhibetur. Atque illud quidem optime is, ut opinor, expressit, quod pro σὺν Ἐφήβοις τῇ δ, legit Συνεφήβοις στῆλα, *iis, qui simul Ephebi erant, cippum* posuit: illud vero minus feliciter, quod Ὀτιγίδης Πανθώνω Τυχίδου *Otigides* filius *Panthoni* filii *Tychidae* habet. Quid vero quod Gruterus ipse, qui laudato loco Marmor illud exhibuit *e Metelli Ms. Grutenstenii*, illud idem Pag. 79. num. 6. edidit cum hac epigraphe *Venetiis; sed olim ex Graecia advectum*: ex *Ant. Morillo*, qui *vidit, & ex cripsit*

(1) l. τοῦ ἐνιαυτοῦ Moril.

exſcripſit: perinde quaſi duo diſtincta Marmora cenſenda forent? Atque in eiuſmodi quidem Morilli exemplo varietas aliqua reperitur, quam ſuperius in margine exhibui, duoque verſus omittuntur. Perſpicuum eſt tamen unum prorſus idemque Marmor hoc eſſe, quod *Athenis* olim *in Gymnaſio* poſitum, deinde *Venetias ex Graecia advectum* ab utroque exſcriptum fuerit. Itaque præclare fallitur Petitus, qui cum ad Leges Atticas dixiſſet, *Gymnaſiarchae Epheborum, & Coſmetae mentio in veteri Lapide Venetias olim ex Graecia advecto*, ac Marmor ipſum ex Gruteri Pag. 79. ſubiieciſſet, repente ſubdit *Alter Lapis Athenis in Gymnaſio*, iterumque Lapidem ipſum ex Gruteri Pag. 317. ac ommiſſis quidem verſibus exhibet: ac ſi duo diſtinctique Lapides habendi illi forent.

Denique in *Hadrianiis* etiam Feſtis, quae ſequioribus temporibus in Hadriani Auguſti honorem inſtituta fuerant, Ephebos ipſos certare conſueviſſe, ex alio Marmore erudimur, quod ſuperiori Diſſertatione Num. 16. opportunius attuli, ac illuſtravi.

VIII. Cum vero in Marmoribus illis, quibus Epheborum nomina inſcripta fore conſpicimus, non Gymnaſiarchae ſolum, ac Paedotribae, ſed *Coſmetae* quoque, *Hypocoſmetae*, *Anticoſmetae*, *Sophroniſtae* memorentur; illud hic obiter indicaſſe iuverit, quid eiuſmodi nominibus exprimatur, quaeve eiuſmodi munera cenſeri debeant, ne mox in explicandis illis immoremur. Ac initio quidem, quod ad *Coſmetas* attinet, ii Epheborum ordinem, cultum, atque modeſtiam curaſſe videntur, ut ex ipſa voce, Herotianique teſtimonio erudimur: Κόσμȣ, τάξεως. Ἀττικὴ δε ἡ λέξις. ϗ γὰρ κοσμίȣς λέγομεν τȣς ἐυτάκτȣς. ϗ Κοσμητὰς τȣ̀ς τῶν Ἐφήβων ευταξίας προνȣ̃ντας, (1) *Κόσμȣ, ordinis. Eſt autem Attica* haec *vox. Etenim κοσμίȣς rite diſpoſitos appellamus, atque Coſmetas eos, qui Epheborum ordinem curant.* Quo vero facilius Coſmeta id muneris obire poſſet, Praefectus alius eligebatur, qui ipſius vices ageret, adeoque *Hypocoſmeta*, vel *Anticoſmeta* in Marmoribus appellatur. Atque unicum quidem Coſmetam, Hypocoſmetas vero plures eligi conſueviſſe demonſtrat Marmor, quod Num. 21. proferetur, in quo duo Hypocoſmetae memorantur; quamvis in altero quod Num. 23. exhibebitur, Coſmetae,

(1) Lexic. Hippocr.

tae, uniusque solum Anticosmetae nomen occurrat. Neque vero facile hic ego dixerim, an ad eiusmodi Cosmetae munus referri debeat, quod in alio Marmore mox subiiciendo (1) reperitur: Ἐυταξίας Ἀμφίων Σωσιβίȣ Ἐρωιάδης, Ἐυταξίας Δημήτριος Δημητρίȣ Κηφασιεὺς Praefectus *ordinis Amphion Sosibii Eroiades*; itemque *Praefectus Ordinis Demetrius Demetrii Cephisiensis*: quemadmodum in alio Marmore (2), incertum tamen an Atheniensi, legitur ἐπὶ διατάξεως Ἐςίλιος, *super ordinem Estilius*, vel *Estiaeus*.

Quemadmodum vero Cosmetae Epheborum ordinem, atque modestiam in Gymnasio curare consueverant; ita componendis etiam, castigandisque ipsorum moribus *Sophronistae*, atque *Hyposophronistae* eligebantur. Ac Sophronistas quidem ex Tribu qualibet electos esse testatur Etymologus, Σωφρονιςαὶ. Ἄρχοντές τινες. χειροτονηταὶ δέκα τὸν ἀριθμὸν ἑκάςης φυλῆς. ἐπιμελȣ̃ντο δὲ τῶν Ἐφήβων σωφροσύνης. *Sophronistae. Magistratus quidam electi, numero decem, ex qualibet Tribu. Curam vero gerebant modestiae Epheborum*. Itaque in hac hypothesi, aucto Tribuum numero, *duodecim*, moxque *tresdecim* etiam Sophronistae admittendi forent. In eximio tamen Marmore, quod ex Sponio mox proferetur (3), sex solum *Sophronistae*, neque ex diversis Tribubus, ac duo, ut videtur, *Hyposophronistae* memorantur; quamvis in illo Hadrianidis, hoc est decimae tertiae Tribus nomen occurrat: quemadmodum Marmori superius exposito unius solum Cosmetae, Anticosmetae, Paedotribae, ac Sophronistae nomen inscribitur; sive quod illius solum Tribus, quae vicerat, Sopronista memoretur; sive quod in Sophronistarum numero varietas aliqua subinde irrepserit. Ita propemodum, quamvis ex variis Marmoribus ostendatur, Gymnasiarchas singulis omnino mensibus mutari consuevisse, ut ipsorum quilibet unius mensis spatio praesideret; elegantissima tamen Inscriptio Num. 21. exponenda, in Scirrophorione mense duplicem nobis Gymnasiarcham exhibet; sive quod unus alteri suffectus fuerit; sive quod illo mense non unus, sed Gymnasiarchae duo eligi consueverint; sicuti vicissim in alio Marmore superius exposito dicitur: ἐγυμνασιάρχησεν τȣ̃ ἐνιαυτȣ̃ sive τὸν ἐνιαυτὸν τȣ̃ς Ἐφήβȣς Φλ. Στρατόλαος Φυλάσιος: *Gymnasiarchae munere eius anni*, sive

eo anno

(1) Num. 29. (2) Append. Marm. Oxon. Num. 12. (3) Num. 23.

eo anno *Ephebis praefuit Fl. Stratolaus Phylasius*: perinde quasi Flavius ille integro anni spatio solus Gymnasiarchae munus obiverit. Quid vero quod longe maxima, ac mira pene varietas in Epheborum numero reperitur, si eadem ipsa Marmora consulantur? Certe in Riccardiano Marmore (1), cui non alia quam Epheborum nomina inscripta fore, ipse omnium primus ostendi, nonnisi 30. ipsorum nomina supersunt; totidemque fere temporis iniuria intercidisse videntur. In alio Marmore (2), in quo tresdecim Tribus omnes, ipsorumque Ephebi recensentur, 68. solum nomina reperiuntur. Marmor aliud mox proferendum (3), 16. Epheborum nomina complectitur, longeque minor ipsorum numerus in Marmoribus aliis conspicitur. In Marmore tamen superius exposito diserte dicitur, quod *Cl. Attali* Archontis anno ἐγένοντο Ἔφηβοι διακόσιοι καὶ δύο: *fuerunt Ephebi duo ac ducenti*. Nec minor certe Epheborum numerus admitti potest, eorum nempe civium, qui florentibus Athenis decimum nonum, vicesimumque aetatis annum agerent: cum Demetrius Phalereus Olympiade CXVIII. instituto censu, præter *quadringenta* servorum, ac *decem* inquilinorum millia *viginti* quoque Civium Atheniensium millia in Attica numeraverit (4). Quamvis autem *Cl. Attali* Archontis annus perspicue, certoque definiri non possit, adeoque census a Demetrio institutus cum alio censu, ut ita dixerim, sub Cl. Attalo instituto conferri nequeat; suspicor tamen, longeque verisimillimum existimo, eiusmodi Archontis annum, adeoque Epheborum, Civiumque Atheniensium numerum, ad Olymp. CCXIL. referri posse; cum *Cl. Attalus* quidam a Dione (5) memoretur, qui Thraciae Praeses, tum Cypri Praefectus fuit, atque sub Elagabali Caesaris imperio, hoc est anno Chr. 218. occisus est: ut nihil proinde verisimilius effingi possit, quam unum eundemque virum, qui Thraciæ Præses fuerat, supremam quoque Archontis Eponymi dignitatem Athenis obtinuisse.

IX. Postremo tandem loco Marmora, vel Inscriptiones illae exponendae supersunt, in quibus Ἀείσιτοι recensentur, ii nimirum, quibus publice victus Athenis praebebatur; sive quod aliquem tunc temporis Magistratum gererent; sive quod ali-

(1) Vid. Differt IV. Num. 9. (2) Ibi Num. 7. (3) Num. 22. (4). Athenae. Lib. VI. c. 20. Vid. Meurs. Fort. Athen. c. 4. (5) Lib. 79. c. 3.

aliquo publico munere fungerentur; denique quod aut ipsi, aut ipsorum maiores plaeclare de Patria meriti forent; unde optime, diserteque dixit Hesychius Ἀείσιτος. ὁ ἐφ' ἑκάστης ἡμέρας ἐν τῷ Πρυτανείῳ δειπνῶν. *Aisitus. is, qui in Prytaneo quotide convivatur.* Ac civibus quidem egregie de Patria meritis, & ipsorum quandoque posteris, cibum in Prytaneo sumptu publico praeberi consuevisse, innumeris fere Veterum testimoniis ostendi posset, & exemplis etiam confirmari, quorum aliquot Plutarchus in *X. Rhetorum vita* nobis exposuit, aliaque plura Meursius accurate complectitur (1). Novemviros autem, & Archontes, vel Magistratus omnes eodem ipso dignitatis, publicique muneris iure in Prytaneo epulari consuevisse demonstrat Thucydidis Scholiastes asserens quod Πρυτανεῖον ἐστιν οἶκος μέγας, ἔνθα αἱ σιτήσεις ἐδίδοντο τοῖς πολιτευομένοις (2): *Prytaneum est ampla domus, ubi cibi dabantur iis, qui publica urbis negotia administrabant.* Eiusmodi vero locum Quingentorum Senatui proximum, *Tholique* nomine nuncupatum fuisse, testatur Pausanias (3): quemadmodum Harpocration ait, Θόλος. τόπος, ἔνθα ἐδείπνουν οἱ Πρυτάνεις (4): *Tholus, locus ubi Prytanes convivantur:* longeque clarius Pollux: ἡ θόλος, ἐν ᾗ συνεδείπνουν ἑκάστης ἡμέρας πεντήκοντα τῆς τῶν Πεντακοσίων βουλῆς, ἡ πρυτανεύουσα φυλή (5). *Tholus in quo quinquaginta ex Quingentorum Senatu quotidie convivabantur, Tribus* nimirum, *quae Prytaniae munere* tunc *fungebatur.* Quinetiam universus quoque Senatus illic epulum accepisse videtur, ut testatur Hesychius: οἱ Πρυτάνεις, καὶ ἡ βουλὴ συνεσιτῶντο (6): *Prytanes ac Senatus* in Tholo *convivabantur.* Itaque Pritanes etiam Ἀεσίτοις, *seu* Παρασίτοις *Parasitis* accensebantur; nec alio certe sensu in Marmoribus Num. 28. 29. proferendis diserte legitur, quod οἱ Πρυτάνεις τῆς Πανδιονίδος φυλῆς ἑαυτοὺς, καὶ Αἰσίτους ἀνέγραψαν *Pritanes Pandionidis Tribus seipsos, ac Parasitos inscripserunt.* Eiusmodi vero Parasitorum nomina Marmoribus, aut Monimentis aliis inscribi consuevisse, perspicuo Athenaei testimonio erudimur; quod ea quoque de caussa subiecisse iuverit, ut ab errore, qui irrepserat, si fieri id quidem potest, emaculetur. Eruditissimus Scriptor ille, ut ostenderet *Parasiti* nomen sequioribus quidem temporibus indecorum; sed olim tamen honestum, nobile,

(1) Athenae Attic. Lib. 1. c. 8. (2) Lib. c. 15. (3) In Attic. c. 5. (4) In Θόλος (5) Lib. VIII. c. 15. sect. 155. (6) In Θολος. Vid. Meursi. in Ceram. c. 7.

le, sacrumque fuisse, ait: Ἐν δὲ παλληνίδι τοῖς ἀναθήμασι ἐπιγέγραπται τάδε: Ἄρχοντες, καὶ Παράσιτοι ἀνέθησαν οἱ ἐπὶ Πυθοδώρου Ἄρχοντος στεφανωθέντες χρυσῷ στεφάνῳ. Ἐπὶ δὲ φυλῆς ἱερᾶς παράσιτοι ἐπὶ Λυκοστράτου Γαργήττιος Περικλῆς Περικλείτου Πιτθεὺς, Χαρῖνος Δημοχάρους Γαργήττιος [1]. *In Pallenide donariis haec inscripta sunt: Archontes, & Parasiti aurea corona sub Pythodoro Archonte coronati dedicarunt: Sub Lycostrato e sacra Tribu Parasiti* fuere *Pericles Gargettius, Pittheus Pericliti filius, Charinus Democharis Gargettius*. Casaubonus hic optime interpungendum, & legendum asserit Λυκοστράτου Γαργεττίου, Περικλῆς Περικλείτου Πιτθεὺς ... *sub Lycostrato Gargettio, Pericles Pericliti filius Pittheus*: subditque *non intelligo quod scriptum sic est* ἐπὶ δὴ ἱερᾶς φυλῆς.. *Ego nullam Athenis sacram Tribum novi; imo vero nulla fuit, non dicam ἱερὰ, sed neque ἱερατική, qualis apud Judaeos Leviticati*. Itaque rescribendum existimat ἐπὶ ἱερατευούσης, vel ἱερευούσης: ut nempe exprimatur, Tribu quadam, cuius hic nomen exciderit, sacris operante, cives mox recensendos Parasitos fuisse. Suspicatur etam ἐπὶ Φύλης ἱερέιας, *sub Phyle Sacerdote, sive* ἐπὶ δ' Ἐριφύλης ἱερείας, *sub Eriphyle Sacerdote* legi posse: quod nempe Phyle, vel Eriphyle tunc Sacerdotii munere fungeretur. At, quamvis eiusmodi Φιλης *Phyles* nomen in Marmoribus offendatur, & sacra quaedam a feminis Sacerdotio decoratis peragi Athenis consueverint, adeoque in Sponii Marmore [2], legatur ἐπὶ Ἱερείας Κλ. Θιμοθέας *Sacerdote Cl. Timothea*; nullibi tamen, si Marmor illud exceperis, quod opportunius alibi [3] exposui, Sacerdotis nomen, veluti perspicua temporis nota, monimentis inscribitur: ubi praesertim Archontis Eponymi nomine, veluti solemni, clariorique charactere, insignita illa fuerint. Hinc nullus, ut opinor locus feminae Sacerdotis nomini hic esse potest. Sed nullus hic etiam ἱερατευούσῃ Tribui locus effingi poterit: cum sacra non ab ulla Tribu, sed a ἱεροποίοις *sacrificis* peragerentur, qui cum ex variis subinde Tribubus eligerentur, neque Contribulibus, neque universae Tribui ἱερατευούσης *sacrificae* nomen comparabant: & quamvis etiam id nominis obtinerent, eiusmodi Tribus nomen publicis monimentis illis inscriptum esse non poterat. Itaque suspicor facili potius, levique mutatione rescribi posse ἐπὶ δὲ πύλης ἱερᾶς: *in sacra Porta*; ut

(1) Lib. VI. c. 6. (2) Pop. Attic. Artic. 32. (3) Differt. I. num. 36.

ta: ut nempe exprimatur in Pallenide quidem Porticu, ut interpretatur Casaubonus, Pythodori Archontis anno Parasitorum nomina donariis inscripta fuisse; in Sacra vero Porta, quæ Plutarcho [1] teste, Piræeo proxima fuerat, cumque Eleusinam *Via Sacra* duceret, ἱερὰ πύλη *Sacra Porta* dicebatur [2], Lycostrati, sive ut putavit Meursius, [3] Lysistrati Archontis anno Parasitos illos inscriptos esse, qui ab Athenæo recensentur: perinde quasi vel Portam ipam exstruxerint; vel donaria, sive ornamenta quaedam adiecerint [4].

X. Quum vero Prytanes omnes una convivari consueverint, mirari certe nunc subit, cur in plerisque Marmoribus non integer ille *quinquaginta* Prytanum, sed longe minor ipsorum numerus habeatur. Ita in Sponii Marmore [5], in quo Pandionidis Tribus *Prytanes* ordine recensentur, *triginta* solum ipsorum nomina occurrunt; quemadmodum in eximio, prolixiorique Marmore, quod Num. 28. proferetur, vix *quadraginta* Prytanum nomina memorantur: siquidem plurimi, qui mox in Marmore recensentur, non ad Prytanes ipsos referri; sed Officiales potius, aut Ministri censeri debent, quibus, Prytanum instar, publice victus in Tholo praeberetur; adeoque tanquam Ἄϊσιτοι *Aisiti* cum Prytanibus ipsis in Parasitorum numero publicis eiusmodi monimentis inscriberentur. Vt vero Marmoribus ipsis uberior lux aliqua accedat, eorumque Ministrorum varietas subtilius exploretur, e re futurum putaverim, si ipsorum singulos in varias veluti classes distribuam, illorumque munera brevissime exponam: quo fieri fortasse poterit, ut veterum Scriptorum testimonia confirmentur; quorundam error corrigatur; denique munera, ac officia quaedam hactenus incognita demonstrentur.

Ac initio qnidem varios *Sacrorum Ministros* memorasse iuverit, qui in his Marmoribus recensentur. Eiusmodi nimirum sunt:

Ἱεροφάντης	*Hierophanta*
Δαδοῦχος	*Daduchus; Facifer*
Κήρυξ	*Praeco*
Ἱεροκήρυξ	*Sacer Praeco*
Ἱεραύλης	*Sacer Tibicen*
Ἱερεὺς Φωσφ...	*Sacerdos Phosph...*
Ἐπὶ βωμῷ	*Minister ad aram*

Hie-

(1) In Sylla (2) Vid. Meurs. Ath. Attic. Lib. III. c. 12. (3) De Arch. Ath. Lib. IV. c. 3. (4) Vid. Thomas. de donar. c. 6. (5) Pop. Attic. Artic. 1.

Hierophantae munera, ac dignitatem uberrime, accurateque demonstravit Meursius [1]. Illud unum hic indicasse iuverit, Hierophantam in Eleusiniis Sacris, sive Mysteriis non *Mystas* solum, hoc est, qui primo initiabantur, atque ad solum sacrarii vestibulum admittebantur; sed *Epoptas* etiam, eos nimirum, qui mysteria revisebant, atque ad interiora usque adyta sacris, arcanisque ritibus penetrabant, introduxisse, eosque gravibus, horrendisque vocibus docuisse. Neque in Graecis modo, sed in Latinis quoque Marmoribus *Hierophantae*, aut *Hierofantae* nomen occurrit [2]: quemadmodum etiam mulier *Hierophantria*, ac *Hierofantria* memoratur [3]; sed ubique tamen *Hecatae* deae tribuuntur: quod nimirum, quamvis Eleusinia sacra nunquam Athenis Romam translata fuerint, ut contra Aur. Victoris testimonium demonstravit Salmasius [4]; sacra tamen quaedam Eleusiniis affinia Romae instituta, iisdemque fere ritibus, ac Ministrorum ordine celebrata videantur. Ceterum in Marmore mox [5] subiiciendo Ἱεροφάντης Πομ. *Hierophanta Pom*... legitur, simplex nimirum, mutilumque nomen occurrit; in alio [6] Ἰουλ. Ἱεροφάντης: *Iulius Hierophanta* legitur; in alio denique Marmore Ἱεροφάντης *Hierophanta*, omisso nomine, recensetur [7].

Daduchus, *Facifer* nimirum, aut *Taedifer* Hierophantae Mysteriis initianti, myrto & ipse coronatus aderat, sacramque facem praeferebat. Ac Hierophanta quidem castam, coelibemque vitam ducere cogebatur, Daducho tamen uxorem habere concedebatur, ut observavit Meursius: quod facile Eleusinio Marmore confirmari posse conspicio, in quo Κτησικλεια Απολλωνιυ Αχαρνεως Οργιαςης τον εαυτης ανδρα Σοφοκλην Ξενοκλευς Αχαρνεα Δαδυχησαντα Δημητρι κ Κορη δις ανεθηκεν [8]: *Ctesiclea Apollonii Acharnensis filia Orgiastis virum suum Sophoclem Xenoclis Acharnensem bis Daduchi munere Cereri filiaeque perfunctum consecravit*. At ex hoc ipso Marmore Meursii sententia refelli facile poterit, ubi Daduchos, Hierophantarum instar, perpetuo, quandiu nimirum viverent, eo munere defunctos esse putavit. Sophocles enim ille, qui in Marmore nominatur, Daduchi munus *bis* obivisse dicitur: quod certe a constantis, perpetuaeque dignitatis indole perspicue

(1) Eleusin. c. 13. (2) Gud. Pag. 23. n. 5. Pag. 31. n. 3. Gruter. Pag. 27. num. 4. 28. num. 2. 192. num. 3. 1102. n. 2. (3) Pag. 309. num. 2. & 3. (4) Ad Spartian. (5) Num. 28. (6) Num. 30. (7) Num. 31. (8) Spon. Top. Attic. Att. 24.

ſpicue abhorret. Nec quidpiam certe ex illuſtri Pauſaniae loco, quem Meurſius hic protulit, exſculpi poteſt. Siquidem ille Aceſtii fortunatiſſimae feminae patrem, avum, proavumque memorans, ait: τȣ́τȣς δὲ Δαδȣ́χȣς παντας υπῆρξε γενέσθαι παρὰ τὸν βίον τὸν ἀυτῆς. πρῶτον μὲν τὸν ἀδελφὸν Σοφοκλέα ἶιδε Δᾳδȣχȣ̃ντα, ἐπὶ δέ τȣ́τῳ τὸν ἄνδρα Θεμιςοκλέα τελευτήσαντος δὲ ϗ τȣ́τȣ, Θεόφραςον τὸν παῖδα (1). *hos autem omnes, dum illa viveret, Daduchos fuiſſe contigit*. Deinde vero *primum quidem Sophoclem fratrem Daduchum vidit, poſt illum* autem *Themiſtoclem virum, ipſoque mortuo, Theophraſtum filium*. Itaque ambiguum plane, obſcurumque ſupereſt, an illorum ſinguli perpetuum Daduchi munus obiverint; & quamvis etiam id illis contigerit, de ceteris tamen Daduchis omnibus hoc intelligi, vel inferri ſane non poterit. Nihil eſt autem, cur in ſupplendo Daduchi nomine hic immorer, quod in Marmore (2) occurrit. Cum enim Δαδȣ̃χος Παι... *Daduchus Pae*... exeſo nimirum, mutiloque nomine legatur, facile vel Παιων, vel quidpiam ſimile intelligi, ſupplerique poterit; in alio vero Marmore Α'ιλ. Δαδȣ̃χος *Aelius Daduchus* nominatur (3).

Proxime poſt Hierophantae, Daduchique nomen ſequitur *Hierocéryx*, & *Ceryx Senatus, ac Populi*. Siquidem varios diſtinctoſque *Cerycum*, aut *Praeconum* ordines Athenis fuiſſe ex Scriptoribus (4), ſimulque Marmoribus erudimur; quemadmadmodum certe in alio Marmore (5) Κήρυξ τῆς ἐξ Α'ρειοπάγȣ βȣλῆς: *Praeco Areopagitici Senatus*, & Κηρυξ Α'ρχοντι *Praeco Archontis* occurrit; itemque in alio (6), praeter Hierocerycem, Κήρυξ Ι'ουλ. Νε.... μȣ Ο'υοπίσκȣ *Praeco Iulius Ne.... mi Vopiſci* memoratur; in alio denique Κήρυξ βȣλῆς, ϗ δήμȣ Ερ..(7) Νεικαγόρȣ *Praeco Senatus, ac Populi* Heros filius *Nicagorae* recenſetur. Quamvis autem Ceryces, aut Praecones omnes ſacro propemodum munere decorati viderentur, *Hieroceryces* tamen aliqui, vel *ſacri Praecones* appellantur (8); eoque nomine Ceryces illos deſignari putaverim, qui Myſteriis, vel Eleuſiniis ſacris intererant, ſimulque cum Hierophanta, & Daducho Myſteriis illis operabantur. Hinc in Romanis quoque Marmoribus non Hierophantae ſolum, ſed etiam *Hieroceryces* Solis obſervantur (9): quod nimirum,

ut

(1) Att. c. 37. (2) Num. 28. (3) Vid. infra Num. 30. (4) Polluc. VIII. c. 11. ſect. 138. Vid. Caſaub. ad Athe. VI c. 6. (5) Nu. 12. (6) Nu. 13. (7) Nu. 28. (8) Nu. 28. & 31. (9) Gruter. Pag. 27. n. 4. & Inſcr. Donian. Claſ. 1. Num. 24. & Gudi. Pag. 23. n. 5. & Pag. 31. n. 3.

ut antea dixi, ſacra quaedam Romae inſtituta Eleuſiniis affinia viderentur.

Denique inter alios ſacrorum Praeſides, aut Miniſtros, qui Eleuſiniis ſacris intererant, ὁ ἐπὶ βωμῷ *Arae Praefectus* vel *ad Aram Miniſtrans* a Philoſtrato (1), atque Euſebio (2) recenſetur. Id vero facile Marmoris exemplo confirmatur, quod Num. 30. proferetur. Siquidem in illo diſerte legitur ΜΕΜ. ΕΠΙΒΩΜΟΙ *Mem. Arae Praefectus*; Cumque Euſebius ὁ ἐπὶ βωμῷ; Philoſtratus vero ὁ ἐπὶ βωμῷ Σῶσπις *Arae Praefectus Soſpis* nitide diſerteque dixerit; manifeſtiſſime inferri poterit, quod Miniſter ille non Ἐπίβωμος *Epibomus*, ſed Ἐπὶ βωμῷ vocari debet; adeoque in Sponii Marmore ΕΠΙΒΩ-ΜΩΙ ſcribendum fuerat; eodemque prorſus modo in alio Marmore (3) legendum erit, ubi Miniſter ille ſimpliciter ΕΠΙΒΟΜΟΙ, ſuppreſſo nomine recenſetur.

Hieraulis quidem, aut *Sacri Tibicinis* mentio ſemel iterumque in Marmoribus noſtris occurrit, cum in primo (4) Ἱεραύλης Ἀφροδείσιος *Hieraules Aphrodiſius*; in altero Ἱεραύλης.... ονος *Hieraules .... nus* habeatur. At incertum plane, an & ipſi quoque ad Eleuſinia, vel ad alia potius Athenienſium Feſta ſpectaverint: quemadmodum prorſus in Latinis etiam Marmoribus Sacri Tibicines ſubinde occurrunt. Quinetiam in hoc ipſo Marmore (5) Sacerdotes, ac Miniſtros alios inſcriptos eſſe conſpicio. Etenim verſu 25. diſerte legitur Ἱερεύς Φωσφ... ϗ Ἐπισκιάδος Ἑρμείας Ἀζηνιεύς; nulluſque dubito, quin Hermias ille Azenienſis *Phoſphoriorum*, vel *Phoſphori Sacerdos*, aut *Sacerdos Phoſphorus* haberi debeat. Phoſphori nimirum Feſta, ſive *Phoſphoria* Athenis celebrari conſueviſſe teſtatur Heſychius; Plutarchus vero non *Phoſphoria* ſolum, ſed *Phoſphoros* etiam veluti Feſtorum Praeſides, aut ſacrorum Miniſtros memoravit: πῶς δὲ Φωσφόρια, Βάκχεια ἄξωμεν, μὴ ἀπολιπόντες μηδὲ Βακχεῖς, ϗ Φωσφόρους (6): *quomodo autem Phoſphoria, & Bacchica celebrabimus, niſi Bacchantes, ac Phoſphoros relinquamus?* Itaque in Sponii Marmore Φωσφορίων, *Phoſphoriorum*, ſive Φωσφόρου *Phoſphori*; ſive denique Φωσφόρος *Phoſphorus* legendum erit. Quod ſi coniecturis iſtis coniecturas alias addere hic liceat, ſuſpicor, hic *Phoſphori* nomine Antinoum deſignari, cui

(1) Vitae Soph. Lib. II. (2) Praep. Orang. Lib. III. (3) Num. 31. (4) Num. 28. & 31. (5) Num. 31. (6) Adv. Colot.

cui divinos honores ab Hadriano, atque in Hadriani ipsius gratiam a variis Vrbibus decretos esse erudimur. Certe Antinous ipse subinde *Phosphorus* appellatur; atque in Marmore, quod eruditus *Romanarum Antiquitatum* Enarrator exhibet (1), diserte legitur *Deo. Amabili. Bono. Deo. Puero. Phosphoro.* quod de Antinoo intelligendum esse Cl. Scriptor ille demonstrat. Itaque nihil propemodum verisimilius effingi potest, quam Athenienses in amantissimi Caesaris gratiam Antinoo divinos honores, ac Sacerdotes etiam decrevisse; adeoque in Marmore, quod Hadriano non superstite solum; sed, ut opinor, Athenis etiam degente, positum fuit, *Phosphori* Sacerdotem, una cum aliis Sacrorum Ministris memorari.

Quid vero muneris sequenti voce ΕΠΙΣΚΙΑΔΟΣ (2) designatur? Si quidpiam in tanto veterum Scriptorum silentio coniicere, Atticamque vocem nusquam alibi usurpatam exponere liceat, Prytanaei Praefectum aliquem ab illa designatum esse putaverim. *Sciadis* enim nomine Prytaneum ipsum, aut Tholum, in quo convivabantur, ac sacrificabant Prytanes, vocatum esse conspicio, ut Ammonii, Suidaeque testimonio demonstravit Meursius (3). Itaque facile qui *Sciadi*, vel Sacris in *Sciade* faciendis praeerat, ὁ ἐπὶ Σκιάδος appellatus: adeoque in alio Sponii Marmore (4) integrum ΕΠΙΣΚΙΑΔΟΣ nomen supplendum erit. Addi postremo etiam poterit, quod hunc ipsum *Prytanei*, aut *Sciadis*, aut *Tholi* Praefectum, vel Curatorem in alio quoque Sponii Marmore (5) deprehendisse videor, in quo nominatur Θεοφιλος Διοδωρυ Αλαιευς Επιμελητης γενομενος Πρυτανευ . . *Theophilus Diodori* filius *Halaeus Curator Prytane* . . . quod alterutro fortasse nomine Curator ille designaretur; ut variis subinde nominibus Magistratus, aut Ministros alios appellatos esse conspicimus.

XI. Atque hactenus quidem Sacrorum Ministros in Marmoribus istis memoratos exposui. Ceteros modo brevissime complectar, qui publica, sed profana solum, aut politica munera obibant; cuiusmodi certe fuerunt, qui περί το βῆμα *ad Tribunal* sive *suggestum adstans*, & Γραμματεὺς *Scriba* nominatur. Varios Scribarum Atheniensium ordines, ipsorumque munera veterum Scriptorum testimoniis accuratissime demon-

(1) Praef. Pag. 40. (2) Num. 31. (3) Ceramic. c. 7. (4) Num. 28. (5) Pop. Attic. Attic. 9.

demonstravit Sigonius (1); illorumque singula Marmoribus istis illustrari, vel confirmari facile poterunt; in quibus accuratior alicubi, longeque subtilior Scribarum varietas, quam in Scriptoribus, observatur. Ita nimirum alicubi (2) Γραμματεὺς βȣλῆς *Scriba Senatus*; alibi (3) Γραμματεὺς τῶν βȣλευτῶν *Scriba Senatorum*; alibi (4) Γραμματεὺς βυλῆς, κ̀ δήμȣ *Scriba Senatus, & Populi* nominatur: quod nimirum praeter Prytaniae Scribam (5), qui singulis nempe Prytaniis electus erat, Scriba quidam in Populi Concione seligeretur, qui Senatui, Populoque recitaret: duo vero in Senatu eligebantur; quorum alter leges, alter Psephismata, publicasque literas custodiret. Additur etiam Προγραμματεὺς (6) *Pro-Scriba*, idemque prorsus nomen in alio quoque Marmore (7) supplendum esse putaverim, in quo lacinia superest . . . . ματεὺς . . . βȣλῆς cum nitide superius Γραμματεὺς βȣλῆς, moxque in postremo versu Ὑπογραμματεύς habeatur. Denique, praeter Ὑπογραμματέα *Sub-Scribam*, etiam Ἀντιγραφεὺς *Contra-Scriptor* in Marmore nominatur; ille nimirum, qui Prytania qualibet publicorum redditicuum rationes Populo subducebat (8); ipsasque cum calculis a Senatus Scriba subductis conferebat. Qui plura de Scribis ipsis desideret, uberrimos Sigonii fontes adire poterit. Illud unum hic addidisse iuverit, quod Scribarum munus, Vlpiano (9) teste, non liberis, vel Atheniensium civibus, sed servis solum, belloque captis concedebatur. At in Marmore, quod Num. 30. proferetur, *Senatorum Scriba Strato Olympii Melitensis*, adeoque Atheniensis civis, occurrit: quemadmodum Aeschinem, certe Atheniensis civitatis iure decoratum, Scribae munus obivisse testatur Demosthenes (10): quod facile exemplis etiam aliis ostendi posset. Itaque id optime, vereque Vlpianus, quod οἱ τȣ̃ δημοσίȣ Γραμματεῖς *publici Scribae* in Tholo convivabantur; illud etiam optime Demosthenes, quod humilioris solum, tenuiorisque fortunae viri eo munere fungebantur: id vero prorsus, ut opinor, Vlpianus, aliique plurimi, immerito, quod id muneris servis solum, captivisque concederetur. Quandiu vero Scribarum singuli in officio forent, definiri vix potest. In Marmore quidem, quod Num. 23. subiicietur, *Strato Cytheronis* filius *Acharnensis* διὰ

(1) De Rep. Athe. Lib. IV. c. 3. (2) Num. 28. (3) Num. 30. (4) Num. 31. (5) Lysias adv. Nicomach. (6) Num. 31. (7) Num. 28. (8) Aeschin. adv. Ctesiph. & Vlpia. in Androtion. (9) In Orat. de Falsa Legat. (10) De Falsa Legat.

βίϋ *Scriba perpetuus* appellatur; ſed illud, ut arbitror, Scribae genus non ad Senatum, aut Populum, ſed ad Gymnaſium potius referri debet; adeoque ceteris Scribarum generibus adiungendum erit.

XII.

Xenon, ſive Zeno, *Mennei* filius *Phlyeus*.

Montfauconius in Palaeogr. Libr. II. c. 4. Pag. 148. atque ex illo Cl Muratorius in Novo Inſcriptionum Theſauro Pag. 300. Num. 2. pulcherrimam Inſcriptionem hanc exhibet, quae prius Athenis, mox Conſtantinopoli, nunc Lutetiae reperitur.

ΑΡΧΩΝ
ΚΑΙ ΙΕΡΕΥΣ ΔΡΟΥΣΟΥ ΥΠΑΤΟΥ
ΞΕΝΩΝ ΜΕΝΝΕΟΥ ΦΛΥΕΥΣ
ΒΑΣΙΛΕΥΣ*   * deeſt in Sponio
ΗΡΑΚΛΙΤΟΣ ΑΡΙΣΤΟΚΛΕΟΥΣ ΣΦΗΤΤΙΟΣ
ΠΟΛΕΜΑΡΧΟΣ
ΑΛΚΕΤΗΣ ΑΛΚΕΤΟΥ ΠΕΡΙΘΟΙΔΗΣ
ΘΕΣΜΟΘΕΤΑΙ
ΛΕΥΚΙΟΣ ΣΕΠΠΙΟΣ ΚΗΦΕΙΣΙΕΥΣ
ΦΙΛΩΤΑΣ ΘΕΟΔΩΡΟΥ ΕΓ ΜΥΡΙΝΟΥΤΤΗΣ
ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ ΚΙΝΕΟΥ ΚΥΔΑΘΗΝΑΙΕΥΣ
ΣΕΞΣΤΟΣ ΛΕΥΚΙΟΥ ΔΙΡΑΔΙΩΤΗΣ
ΑΘΗΝΟΔΩΡΟΣ ΕΥΓΙΤΟΝΟΣ (ΦΡΕΑΡΡΙΟΣ) †
ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ (ΘΡΙΑΣΙΟΣ) †
ΚΗΡΥΞ ΤΗΣ ΕΞ ΑΡΕΙΟΠΑΓΟΥ ΒΟΥΛΗΣ
ΛΕΩΝΙΔΗΣ ΛΕΩΝΙΔΟΥ ΜΕΛΙΤΕΥΣ
ΚΗΡΥΞ ΑΡΧΟΝΤΙ
ΔΙΟΔΩΡΟΣ ΕΡΜΕΙΟΥ
ΑΥΛΗΤΗΣ
ΙΣΙΦΙΛΟΣ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΥ ΑΘΜΟΝΕΥΣ
ΛΙΤΟΥΡΓΟΣ*   * deeſt in Sponio
ΕΣΤΙΑΙΟΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΜΙΛΗΣΙΟΣ

Archon

† Montfauconius duas voces has in Marmore nunc extritas ex Sponio ſupplevit.

Archon	
& Sacerdos Drusi Consulis	
Zeno Menneae filius *Phlyeus*	Ptol. vel Cecrop.
Rex	
Heraclitus Aristoclis Sphettius	Acaman.
Polemarchus	
Alcetes Alcetae Perithoedes	Oeneid.
Thesmothetae	
Leucius Seppius Cephisiensis	Erechth.
Philotas Theodori ex Myrrhinunte	Pandion.
Demetrius Cineae Cydathenaeus	Pandion.
Sextus Leucii Diradiotes	Leontid.
Athenodorus Eugitonis Phrearrius	Leontid.
Alexander Alexandri Thriasius	Oenid.
Praeco Areopagitici Senatus	
Leonides Leonidis Melitensis	Cecr. vel Aeg.
Praeco Archontis	
Diodorus Hermiae	
Tibicen	
Isiphilus Asclepiadis Athmoneus	Cecrop.
Minister	
Hestiaeus Dionysii Milesius	Ignotae.

Haec eadem elegantissima Inscriptio a Sponio quoque profertur ad Pop. Atticae Artic. 34. sed mutila tamen, variisque in locis mirifice perturbata. Ita nimirum incipit

Constantinopoli apud Galliae Legatum
Athenis illuc *delata*

Αρκοντος
και ιερεως Δρουσου υπατου
Ζενων Μεννεου Φλυευς
Ηρακλ.τος Αριςοκλεους
Σφηττιος Πολεμαρχος
. . . . . ετηςα Αλκετου Περιθο
δης Θεσμοθετου
Λευκιος Σεππιος &c.

Itaque, ut leviores errores alios omittam, in Sponii exemplo duae voces illae Βασιλευς *Rex*, & Λιτουργος *Minister* exciderunt; vox alia Θεσμοθεται *Thesmothetae* depravata est; quodque gravius est, Archontis Eponymi dignitas non *Zenoni*, sed *Druso* Caesari, simulque Consuli tribuitur: quo plane fieret, ut non amplius *novem*; sed *decem* potius Archontes in eximio hoc Marmore recenserentur: quod a veteri, constantique Atheniensium more longissime abhorret. Hinc dubitari certe non poterit, quin Muratorii, vel Montfauconii exemplum nitidius, longeque accuratius haberi debeat; adeoque verum Archontis Eponymi nomen, quod Marmoris huius praesidio Fastis adiungi debet, non *Drusus*, ut perperam existimavit Sponius, sed *Zeno Menneae* filius *Phlyeus* censendum sit.

Quandoquidem vero Drusus Tiberii Caesaris filius semel iterumque Consularibus Fastis inscribitur, anno nimirum V. C. 768. & 774. hoc est, anno Chr. 15. & 21. sive 2. Olymp. CXCVIII. & 4. Olymp. CIC. & Eponymus Archon ille Zeno *Drusi Consulis Sacerdos* hic appellatur, si alterutro ex annis illis, quibus Drusus Consulatum gessit, Archontis dignitatem obtinuit Zeno, ipsius imperium ad alterutrum ex annis illis manifestissime referri debet. Sin vero Sacerdotis dignitatem, quam Druso Consule Zeno susceperat, in posterum conservavit, ut annis etiam pone sequentibus *Drusi Consulis Sacerdos* appellari potuerit, ambiguum plane, obscurumque iam foret, quo potius anno Zeno ille imperaverit; idque unum certissime constabit, ipsius principatum post primum Drusi Consulatum, sive Olymp. CXCVIII. incidisse. Neque enim facile intelligendum, latineque reddendum concesserim *Druso Consule*: perinde quasi *Drusi Consulis* anno, hoc est, ut opinatur Cl. Muratorius, anno Chr. 15. Zeno *Archontis*, simulque Atheniensis *Sacerdotis* munus obiverit. Itaque longe verisimilius existimo, Sacerdotium aliquod in Drusi Caesaris honorem Athenis institutum esse, idque muneris a Zenone susceptum fuisse. Certe in Inscriptionibus aliis occurrit Ἀρχιερεὺς Ἀντονίας Σεβάστης (1) *Sacerdos Maximus Antoniae Augustae*; atque Herodes ille Marathonius, quem Eponymorum Archontum Fastis, Zenonis huius instar, adiungendum esse

(1) Murat. Pag. 551. num. 1. Vide Differt. VI. num. 2.

esse demonstravi, Ἀρχιερεὺς τῶν Σεβάςων (1) *Pontifex Maximus Augustorum* vocatur: ut optimo proinde, maximoque iure defendi possit, etiam Druso Caesari honores illos, ac Sacerdotes institutos; quamvis id a nullo vel Graeco, vel Romano Scriptore, quod noverim, memoretur. Illud unum in aureo, atque immortali Spanhemii Opere observavi, quod Germanici, Drusique Numus a Morellio, ipsoque Spanhemio (2) exhibetur, in cuius antica areae parte legitur Δρουσος Γερμανικος Καισαρες Νεοι Θεοι Φιλαδελφοι *Drusus, & Germanicus Caesares, Novi*, vel iuniores *Dii, se mutuo amantes*: quod argumento esse poterit, utrumque Caesarem in Asia, ubi Numus ille cusus fuit, adeoque in Vrbibus etiam aliis, divinos honores, ac Sacerdotes adeptum esse.

Denique in eximio hoc marmore observari facile poterit, quod in illo integrum, ut ita dixerim, Archontum Collegium exhibetur; hoc est Novemvirorum singuli, ipsorumque nomina, dignitas, ac Populus hic ordine recensentur: cuius quidem rei exemplum aliud frustra in Scriptoribus, vel Marmoribus aliis inquiras.

XIII.

M. Vlpius Eubiotus;

Apud Muratorium in novo Inscriptionum Thesauro Pag. 566. Num. 2. sequens Inscriptio reperitur

Athenis in quadam Arca triumphali e Schedis meis

ΤΥΧΗ ΑΓΑΘΗ
ΤΟΝ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ ΥΠΑΤΙΚΟΝ ΚΑΙ ΕΠΩΝΥΜΟΝ ΑΡΧΟΝΤΑ
Μ. ΟΥΛΠ. ΕΥΒΙΟΤΟΝ ΛΕΥΡΟΝ ΓΑΓΗ . . . ΠΑΣΗΣ
ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΑ ΚΑΙ ΤΗΣ ΠΕΡΙ ΤΗΝ ΠΑΤΡΙΔΑ ΦΙΛΟ-
ΤΕΙΜΙΑΣ ΕΝ ΤΕ ΧΡΗΜΑΣΙ ΣΙΤΩΝΙΧΟΙΣ ΟΙΣ ΑΘΡΟΩΣ ΕΔΩΚΕΝ
ΜΥΡΙΑΣΙ ΠΕΝΤΕ ΚΑΙ ΕΙΚΟΣΙ ΚΑΙ ΤΡΟΦΑΙΣ ΑΙΣ
ΕΝ ΤΗ ΜΕΓΑΛΗ ΣΠΑΝΕΙ ΠΑΡΕΣΧΕ ΔΟΓΜΑΤΙ
ΤΩΝ ΚΡΑΤΙΣΤΩΝ ΑΡΕΟΠΑΓΕΙΤΩΝ ΙΕΡΕΥΣ
ΠΑΤΡΩΟΥ ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ ΠΟΠΛΙΟΣ ΑΙΛ. ΖΗΝΩΝ
ΒΕΡΕΝΙΚΙΔΗΣ ΤΟΝ ΚΟΙΝΟΝ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ ΚΑΙ
ΕΑΥΤΟΥ ΠΡΟΣΤΑΤΗΝ

Quod

(1) Spon. Pop. Attic. Pag. 220. (2) De Praest. Numis. Dissert. XI. Pag. 321. & 340.

Quod faustum sit
Splendidissimum Consularem Virum, *& Eponymum Archontem*,
M. Vlpium Eubiotum . . . . *omnis*
virtutis ergo, *& erga Patriam stu-*
dii tum in frumentariis copiis, *quas abundanter praebuit*
myriadibus vigintiquinque; *tum in cibis*, *quos*
in magna penuria suppeditavit: *ex decreto*
praestantissimorum Areopagitarum, *Sacerdos*
Patrii Apollinis Publius Ael. Zeno
Berenicida comunem benefactorem, *&*
suum Patronum honorat.

Cum M. Vlpius Eubiotus iste Eponymus Archon, simulque *Consularis* dicatur, facile adducor, ut illum non alium fuisse existimem a *M. Vlpio Crinito*, qui in Consularibus Fastis conspicitur anno V. C. 1012. Chr. 259. sive 2. Olympiad. CCLIX. Quamvis enim Pagius ipse depravatos Codices, Fastosque sequutus *M. Vlpium* veluti Consulem *Ordinarium* ad annum Chr. 238. Fastis inscripserit (1); alibi tamen accuratissime ostendit (2), ipsum veluti *Suffectum* ad annum Chr. 259. referendum esse. Itaque *M. Vlpius Eubiotus*, si cum *M. Vlpio Crinito* confundi possit, proxime post annum illum Athenis Archontis munere perfunctus erit.

Porro quid illa vocum compendia Λευρον γαγη... significent, facile coniici, at definiri certe non poterit. Cum tamen Eponymus Archon ille patria fuerit Atheniensis, fortasse ex Λευκοπυρα *Leucopyra* Atticae Populo esse potuit, qui sub Antiochide Tribu censebatur, ideoque Λευκοπυραιον. *Leucopyraeum* legendum erit: quod nimirum M. Vlpius Eubiotus Atheniensis civitatis iure donatus in Leucopyrae Populo inscriptus esset. Hinc etiam facile intelligi poterit, quod M. Vlpius hic Προςάτης *Patronus* Romano potius, quam veteri Atheniensi more vocetur. Siquidem, ut Harpocration ait, προςάτης inquilinis solum, iis nimirum, qui Atheniensium civitate minime donati fuerant, concedebatur; at in Marmore Publius Aelius Zeno *Berenicida*, adeoque Atheniensis civis, M. Vlpium veluti *Patronum* honorat. Quandoquidem vero P. Aelius *Patrii Apollinis* Sacerdos vocatur, quid-

(1) Differ. Hypat. (2) Critic. ad Baron. Vide Fastos Relandi.

quidquid ad *Patrium Apollinem* spectare poterit, ex Cl. Mersio [1] decerpi poterit. Illud hic obiter addidisse iuverit quod *Eubiotus* quidam, qui Plutarchi aetate floruit, ab ipso memoratur [2]; adeoque, licet *Eubioti* nomen frustra in Marmoribus inquiratur, alicubi tamen in Scriptoribus observatur; atque, ubi M. Vlpius Eubiotus cum M. Vlpio Crinito Consule confundi debeat, *Eubioti* nomen ceteris M. Vlpii Criniti nominibus in Consularibus etiam Fastis addendum erit. Quid vero si non modo hoc alterum M. Vlpii nomen, sed ipsius etiam patrem, Romanamque Tribum hic proferam, vitiatasque, & exesas Marmoris voces restituam? ΛΕΥΚΙΟΣ *Leucius* nomen in pluribus Marmoribus aliis occurrit, ut Num. XII. & XXII. observavi. Romanas etiam Tribus in Graecis Marmoribus reperiri, eodemque prorsus modo, ac in Latinis, efferri pluribus exemplis ostendi posset; ut interdum patris, ac Tribus nomen initiali solum litera, sive sigla exprimatur. Itaque pro ΛΕΥΡΟΝ ΓΑΓΗ... legendum arbitror ΛΕΥκιου ΤΟΝ ΓΑΛΗΡΙΑ: ut nempe exprimatur M. Vlpium *Lucii*, sive *Leucii*, *filium*, & ex *Galeria* Romana Tribu fuisse: quemadmodum prorsus in alio Marmore ubi legitur Π. ΛΙΚΙΝΙΟϹ Π. Υ. ΑΙΜ. ΠΡΕΙΣΚΟϹ Muratorius optime, feliciterque reddidit *Publius Licinius Publii filius Aemilia Priscus*. [3]

XIV.

.... fort. Themistocles *Besaensis*.

Inscriptionem hanc Athenis exscripsit Sponius, variisque in locis suppletam edidit ad Pop. Atticae Artic. 124.

Η ΒΟΥΛΗ Η ΕΞ ΑΡΕΙΟπαγου και η βουλη
ΤΩΝ ΕΞΑΚΟΣΙΩΝ και ο δημος Τιβεριον
ΚΛΑΥΔΙΟΝ ΚΑΙΣΑΡΑ σεβαστον
ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΥΠατον
ΤΟ ΔΕΥΤΕΡΟΝ ΑΡΧΙΕρεα μεγιστον δημαρχι-
ΚΗΣ ΕΞΟΥΣΙΑΣ .. επιμελητευτος
ΔΙΟΚΛΕΟΥΣ στρατηγησαντος
ΕΠΙ ΤΟΝ ΠΕΙΡΑΙΕΑ ΔΙΣ ..
... ΑΙΡΗΟΥ ΚΑΙ ΘΕΟΙΣ ΜΕΓ .... στρατηγησαντος
ΕΠΙ ΤΟΥΣ ΟΠΛΙΤΑΣ
... ΣΑΙΕΩΣ ΕΠΩΝΥΜ ...

Sena-

(1) Athen. Attic. Lib. II. c. 12. (2) Repugn. Stoic. (3) Pag. 137. Num. 1.

Senatus Areopagiticus, & Senatus
Sexcentorum, & Populus Athenienſis Tiberium
Claudium Caeſarem Auguſtum,
Imperatorem, *Conſulem*
Secundo, *Pontificem* Maximum Tribuni-
ciae Poteſtatis... honorant. curante
Diocle Praefecto
Pireaei *bis*
.... *Martis*, *ac Diis mag.* Praefecto
Armigerorum
.... *ſaeo Eponymo*

Nullus hic dubito quin Archontis Eponymi, cuius nomen exciderit, in poſtremis eiuſmodi verbis mentio fieret. Siquidem, ut Eponymus Archon exprimatur, ſaepiſſime apud veteres Scriptores, & in Inſcriptionibus aliis eadem phraſis uſurpata conſpicitur; ut inferius oſtendam Num. XXVIII. ubi de Archonte *Te...nio Pontico*, ac *Theopompo* agendum erit. Lacinia autem illa.... σαιεως ita ſuppleri fortaſſe poterit, ut legatur Βησαιεως *Beſaenſis*; ſicuti in altera Inſcriptione apud Sponium ipſum habetur Θεμιστοκλεους Βησαιεως *Themiſtoclis Beſaenſis*, ſive *Themiſtocle Beſaenſi*. Neque ſolum laciniam illam ſuppleri, ſed integrum quoque Archontis nomen reſtitui poſſe putaverim, ut Archon ille, qui in ſuperiori Inſcriptione Eponymus fuiſſe dicitur, Tiberio Claudio Coſ. II. anno nimirum Vrbis Conditae 771. ſive 2. Olympiadis CIC. non alius profecto fuerit, quam Themiſtocles ille Beſaenſis, qui in altera Inſcriptione memoratur, quam ex Sponio excerptam ſubiicio (1)

ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΚΛΑΥΔΙΟΣ	*Tiberius Claudius*
ΘΕΟΦΙΛΟΣ ΤΙΒΕΡΙΟΥ	*Theophilus Tiberii*
ΚΛΑΥΔΙΟΥ	*Claudii f.*
ΘΕΜΙΣΤΟΚΛΕΟΥΣ ΒΗΣΑΙΕΩΣ	*Themiſtocle Beſaenſi* Archonte

Itaque haec altera, atque breviſſima Inſcriptio perſpicue nobis oſtendit quod Themiſtocles iſte Beſaenſis Tiberii Caeſaris aetate vixit; ut facile proinde in prima quoque Inſcriptione, quae Tiberii ipſius temporibus poſita fuerat, tanquam Eponymus Athenis Archon memorari potuerit. Haec eadem ſecunda Inſcriptio non modo inter Graecas Inſcriptiones alias a Gronovio (2), ſed in novo quoque Inſcri-

(1) Pop. Attic. Artic. 39. (2) Theſ. Antiq. Graec. Tom. IV. Pag. 702. edit. Ven.

Inſcriptionum Theſauro a Muratorio (1) exhibetur. Suſpicor tamen aliquid in doctiſſimo viro in illa vertenda, atque illuſtranda optari poſſe. Siquidem illa Θεμιςοκλεους Βησσαιεως latine reddidit *Themiſtoclis Beſſaeei filius*; ac ſi *Beſſaeus* non Pagum, ſed Patrem potius Themiſtoclis ſignificaret. Deinde vero ſubdit: *Stephano teſte Beſſa Locrorum civitas fuit. Per unicum S. eius nomen ab Herodiano ſcriptum Stephanus ipſe fatetur, cui adſtipulatur hic lapis*. Sed Cl. Viri pace lapis iſte neque de Beſſa Locrorum civitate, neque de Beſſaeeo Themiſtoclis Patre; Sed de Beſſa ſolum Atticae Populo intelligi debet, qui ad Antiochidem Tribum ſpectabat.

XV.

Nicias Serapionis filius *Athmoneus*

In pulcherrimi Templi facie, quod Minervae *Archegetidi*, in Auguſti Caeſaris honorem Athenienſes excitarunt, ſequens Inſcriptio a Sponio, & Wheelero reperta fuit, quam Chiſullus etiam prioribus octo vocibus ſupplevit, atque inter *Aſiaticas Antiquitates* exhibuit Pag. 201.

Εἰς τιμὴν καὶ σωτηρίαν . . . . τῆς τε Ρωμαίων
Πόλεως ΚΑΙ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΥΙΟΥ ΣΕΒΑ
ΣΤΟΥ ΑΘΗΝΑΙ ΑΡΧΗΓΕΤΙΔΙ ΣΡΑΤΗΓΟΥΝΤΟΣ ΕΠΙ ΤΟΥΣ
ΟΠΛΙΤΑΣ ΕΥΚΛΕΟΥΣ ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΥ ΤΟΥ ΚΑΙ ΔΙΑΔΕΞΑΜΕΝΟΥ
ΤΗΝ ΕΠΙΜΕΛΕΙΑΝ ΥΠΕΡ ΤΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΗΡΩΔΟΥ ΤΟΥ ΚΑΙ
ΠΡΕΣΒΕΥΣΑΝΤΟΣ ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΝΙΚΙΟΥ ΤΟΥ ΣΑΡΑ
ΠΙΩΝΟΣ ΑΘΜΟΝΕΟΣ

Pro honore, & incolumitate tum Romanorum
Vrbis, *tum Imperatoris Caeſaris Divi* Iulii *filii Auguſti Minervae Archegetidi* dicatum. *Praetore Armigerorum Eucle Marathonio, qui & ſucepit* Templi
curam pro patre ſuo Herode, &
legationem obivit ſub Archonte Nicia Serapionis filio *Athmoneo*

(1) Pag. 1032. Num. 3.

Cum Inſcriptio poſita Athenis fuerit, poſtquam Octavianus Caeſar *Auguſti* nomen ſuſceperat, ut obſervavit Chiſullus, poſt Actiacam nimirum victoriam, quae contigit anno V C. DCCXXV. ſive 4. Olympiadis CLXXXVII. Archontis Niciae principatus circa eadem tempora conſtitui debet.

Illud autem hic obiter obſervaſſe iuverit, *Archegetidis* Minervae Statuam ab Ariſtophanis Scholiaſte memorari, cum ait τῆς δὲ Ἀρχηγετίδος Ἀθηνᾶς τὸ ἄγαλμα γλαῦκα εἶχεν ἐν τῇ χειρί. *Archegetidis Minervae Statua noctuam in manu tenet*; quamvis Ariſtophanes ab illo explicatus *Archegetidis* Minervae nomen omiſerit; noctuamque non Minervae manui, ſed capiti impoſitam dixerit:

Ἀετὸν ἕστηκ᾽ ὄρνιν ἔχων ἐπὶ τῆς κεφαλῆς,
βασιλεὺς ὤν,
Ἡ δ᾽ ἇ θυγάτηρ γλαῦκα (1)

Iupiter *aquilam avem gerit in capite*,
ut qui Rex ſit;
Eiuſque filia Minerva *noctuam*.

Itaque, quamvis Chiſullus *Archegetidis* vocem latine *Ductricem* reddiderit, quod nempe Pallas ipſa Auguſto ad victoriam praeiverit: fortaſſe tamen *Archegetidis* nomen antiquioribus etiam temporibus ipſi Palladi conceſſum fuit: quod illa nimirum Athenienſis Vrbis *Patrona*, *Cuſtos*, *Praeſes* diceretur: quemadmodum in alio Marmore Auguſti ipſius aetate poſito Ἀθῆνα Πόλιας *Minerva Vrbis Praeſes* nominatur; atque in Pſephiſmate Sigaeorum, quod Chiſullus ipſe illuſtravit (2). Apollo Ἀρχηγέτης *Auctor* Antiochi Regis vocatur: quod nempe Rex ille ad Apollinem, veluti *auctorem*, genus referret. Quod ſi *Archegetidis* Minervae nomen, Templum, ac Statua Auguſtum ipſum ex Chiſulli hypotheſi auctorem habuerit, *Archegetidis* Minervae Statua, eiuſque Deſcriptio ſuperius poſita ceteris Athenarum ornamentis adiungi debet, quae diligenter adeo, curioſeque Meurſius collegit.

XVI.

(1) Aveſ. ver. 515. (2) Antiqu Aſiat. Pag. 110.

XVI.

. . . . *Protus.*

Hasselius in Appendice Præfationis ad Inscriptiones Gudianas inter Marmora, vel Inscriptiones alias a Dukero collectas hanc quoque Num. 24. exponit.

In via ad arcem Magnesiae apud fontem,

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣΑΡΑ ΣΕΠΤΙΜΙΟΝ ΣΕΒΗΡΟΝ
ΠΕΡΤΙΝΑΚΑ
ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ Ο ΔΗΜΟΣ • ΑΘΗ
Ναιων . . . . . ΥΣΜΙΟΥ
ΟΠΤΑΤΟΝ . . . . ΥΟΣ
ΤΟΥ ΠΡΟΤΟΥ ΑΡΧΟΝΤΟΣ

Imperatorem Caesarem Septimium Severum Pertinacem
Augustum Germanicum Populus Atheniensis . . . . . .
Optatum . . . .
. . . . . . *Proti Archontis.*

Quamvis Inscriptio Magnesiae posita fuerit; cum tamen in ipsa *Atheniensis* Populus nitide diserteque memoretur, adeoque haec ab illo in Pertinacis honorem posita videatur, non immerito fortasse *Archon* ille, qui in ipso Marmore memoratur, Atheniensis Archon, & quidem Eponymus censeri poterit: cum praesertim incertum plane, obscurumque sit, an apud Magnetas ipsos *Archontes* eligi consueverint; atque in ipsorum Numis *Scribarum* nomina inscripta conspiciantur; quemadmodum certe Magnetes alii *ad Sypilum* dicti *Strategorum* nominibus Numos insignire consueverant. Quinetiam, Magnetes ipsi, illorumque Civitas inter alias Lacedaemoniorum Colonias a Meursio recensetur (1); adeoque supremus, ac Eponymus ipsorum Magistratus Marmoribus inscribendus, non *Archontis*, sed *Ephori* nomine vocari debuisset.

 Quod

(1) Miscella. Lacon. c. 9.

Quod si Atheniensium Fastis Archon ille inscribi debeat, viderint alii, quodnam verum, integrumque ipsius nomen esse potuerit; cum exesa, ac depravata fortasse Marmoris verba tenuem adeo, dubiamque lucem suppeditent. Fortasse *Protus*, vel *Proti* filius is fuit: quomadmodum certe in Marmoribus aliis (1) Ἀγαθήμερος Πρώτου *Agathemerus Proti*, & Γενέθλιος Πρώτου *Genethlius Proti* (2) *memoratur*.

Ceterum, licet Pertinax anno Chr. 193 imperium susceperit, in Graecia tamen *quinto* solum imperii anno victor fuit: adeoque tunc facile Marmora, & honores ipsi a Graecis Urbibus decerni ceperunt; ut alia certe Inscriptio superiori simillima eidem Caesari a Perinthiis posita exhibetur a Sponio (3). Itaque facile superior Inscriptio, & Archon etiam in illa memoratus, quicumque demum is fuerit, ad annum Christi 198. sive 1. Olymp. CCXLIV. referri poterit.

XVII.

Tiberius Iulius Macer

Cl. Muratorius in Inscriptionum Thesauro Pag. 1059. num. 2. Inscriptionem hanc exhibet

Athenis in Columna. E Schedis meis, & Cyriaci Anconitani

ΤΟΝ ΜΕΓΙΣΤΟΝ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ
ΤΡΑΙΑΝΟΝ ΑΔΡΙΑΝΟΝ
ΟΛΥΜΠΙΟΝ
Η ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ ΤΗΣ ΙΩΝΙΑΣ
ΜΙΛΗΣΙΩΝ ΠΟΛΙΣ
ΤΟΝ ΚΤΙΣΤΗΝ ΚΑΙ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ
ΕΠΙΜΕΛΗΘΕΝΤΩΝ ΤΗΣ ΑΝΑΣΤΑΣΕΩΣ
ΤΩΝ ΠΕΡΙ ΤΙ. ΙΟΥΛΙΟΝ ΜΑΚΕΡΑ ΓΕΝΟΜΕΝΩΝ
ΑΡΧΟΝΤΩΝ
ΑΝΔΡΙΑΝΤΟΠΟΙΟΣ ΑΥΛΟΣ ΠΑΝΤΟΥΛΕΙΟΣ ΓΑΙΟΣ
ΕΦΕΣΙΟΣ Ο ΚΑΙ ΜΕΙΛΗΣΙΟΣ ΕΠΟΙΕΙ

Maxi

(1) Spon Pop. Attic. Artic. 104. (2) Artic. 42. (3) Itiner. Tom. III. Pag. 97.

Maximum Imperatorem
Traianum Hadrianum
Olympium
Metropolis Ioniae
Milesiorum Civitas
Conditorem, & Benefactorem suum
Statua honorat.
Curantibus erectionem
iis, qui cum Tiberio Iulio Macro fuere
Archontes.
Statuae Artifex Aulus Pantuleius. Caius
Ephesius, simulque Milesius columnam fecit.

Eadem prorſus Inſcriptio inter editas Cyriaci ipſius Inſcriptiones alias occurrit Pag. 13. Num. 93. ſed cum hac epigraphe: *Athenis ad Aedem Antonii in magna Columna marmorea*. Itaque, cum Columna, Columnaeque, ut videtur, adiecta Statua Athenis excitata fuerit, Archon ille, qui in Inſcriptione memoratur, facile Athenienſis Archon, & quidem Eponymus cenſeri debet; quamvis Mileſii, quorum ſumptibus Monimentum illud excitatum fuit, Archontes eligere conſueverint [1]. Archontes autem γενομενοι περι Τι. Ιουλιου Μακερα, videntur eſſe octo Archontes illi, qui una cum Tiberio Iulio Macro Archonte Eponymo eodem anno imperaverint; ut proinde Tiberius Iulius Macer illorum Princeps, ac Eponymus intelligatur, ut Clariſſimo certe Muratorio videtur, qui graeca Inſcriptionis verba latine ſic reddidit, *iis, qui cum Tiberio Iulio Macro fuerunt Archontes*: etenim *Tiberium* non *Titum* legendum eſſe putaverim; ſicuti in alia Inſcriptione mox proferenda legitur *Tiberius Cl. Soſpides*; quemadmodum prorſus altera quoque Inſcriptio apud Sponium habet *Tiberium Claudium Atticum Herodem Marathonium* [2]. Ac certe, quod obſcurior illa, nec uſpiam alibi in Athenienſibus, ſive Mileſiis etiam, ſi mavis, Monimentis uſurpata formula Archontum principem, vel Eponymum deſignet, facile exemplis aliis oſtendi poſſet. Ita in Gruteriano Marmore [3], ut exprimatur Ephororum princeps, aut Ephorus

(1) Harduin. de Numis Colon Pag. 310 Haym. Theſau. Britan. Tom. 11. Pag. 279.
(2) Ad Pop. Attic. Pag. 220. (3) Pag. 216. Vid. Chishul Antiq. Aſia. Pag. 129.

rus anni Eponymus, dicitur Ἐπὶ Ἐφόρων τῶν σὺν Φοιβοτέλει . . . Ἐπὶ Ἐφόρων τῶν σὺν Ἱμέρτῳ *sub Ephoris cum Phoebotele Collegis . . . sub Ephoris cum Himerto Collegis*. Itaque Archontes οἱ περὶ τον Τι. Ἰουλιον Μακέρα γενόμενοι erunt Archontes illi, qui cum Ti. Iulio Macro, velut Eponymo, imperarunt. Quod vero Tiberius Iulius Macer Atheniensium potius, quam Milesiorum, Fastis inscribendus esse videatur, argumento esse poterit, quod, quamvis a Milesiis quoque *Archontes* eligi consuevisse dicatur, incertum, tamen obscurumque sit, an unicus, vel plures eligi consueverint. Certe Vaillantius, qui in Milesiorum Numis *Archontum* nomina inscripta censuit, quemadmodum etiam in aliis Atheniensium Coloniis Archontes institutos esse putavit, *duos* solum *fuisse* credidit, *qui per annum in Magistratu manebant*, ut *primus ab altero per vocem A, quam alter reticebat, distingueretur* (1). Itaque in hac hypothesi *Archontes* alii Titi Iulii Macri Collegae admitti, adeoque Macer ipse Milesiorum Archon censeri non posset; nec verisimilius ad alios, quam Atheniensium, Fastos referretur.

Quandoquidem vero in Marmore Hadrianus Caesar *Olympius* vocatur, idque nominis in alio Marmore (2), quod a Perinthiis eidem Caesari anno Imperii *decimo* positum fuerat, omissum conspicitur; facile Marmor istud proxime post annum illum excitatum esse putaverim, quo Hadrianus ipse *Olympieum* Athenis dedicavit, sibique non modo Statuam in Olympieo, sed *Olympii* quoque nomen obtinuit. Tunc enim singulae Atheniensium Coloniae beneficentissimi Caesaris amore excitatae, aereas illi Statuas ad Olympii Iovis Templi columnas excitarunt, ut testatur Pausanias: χαλκαῖ δὲ ἑςᾶσι πρὸ τῶν κιόνων, ἃς Ἀθηναῖοι καλᾶσιν ἀποίκυς, πόλεις . . . ἀπὸ γὰρ πόλεως ἑκάςης εἰκὼν Ἀδριανῦ βασιλέως ἀνάκειται (3) *ad Templi vero columnas Vrbium, quas Colonias Athenienses appellant, ex aere erecta sunt simulacra . . . . singulae enim Vrbes in eo Hadriano Statuam posuere*. Itaque superior Inscriptio *in Columna* posita ad Statuam illam spectaverit, quae tunc a Milesiis dedicata fuerat; quemadmodum a Spanhemio (4) Numi, atque Inscriptiones aliae partim a Sponio, partim a Muratorio proferuntur, in quibus Hadrianus *Olympii* nomine

(1) De Numis Colon. Pag. 210. (2) Spon. Itin. Tom. III. Pag. 95. (3) In Attic. c. 18. (4) Differ. XII. Pag. 498.

decoratur; adeoque a variis Vrbibus tunc Athenis dedicatae videntur, ut Sponius existimat, cum Hadrianus ipse magnifico, solemnique ritu Olympii Iovis Aedem Athenis dedicavit. Id vero anno 2. vel 3. Olymp CCXXVII., sive V.C. 885. & a Chr. nato 132. contigisse, perspicuo Eusebii, Dionis, aliorumque testimonio demonstravi: (1) ut proinde aereas illi Statuas anno proximo consecratas esse merito existimem. Certe in alio Marmore, quod Athenis Sponius (2) exscripsit, nitide diserteque legitur, Titulum, aut Statuam a Diestis excitatam esse *Hadriano. Aug. Trib. Pot. XVI. Cos. III. P. P. Olympio*. Ergo cum *decimus sextus* Tribuniciae Potestatis, vel Imperii annus Hadriani decima Sextilis mensis die incoeperit anno Chr. 132. manifestissime inferri poterit, quod hoc ipso anno exeunte, vel ineunte potius anno proximo 133. Statuae a Milesiis, ceterisque Vrbibus excitatae fuerint: quo plane fieret Tiberium Iulium Macrum proxime post Hadrianum ipsum Archontis Eponymi munere perfunctum esse; adeoque Atheniensium Fastis, siquidem Atheniensis Archon haberi ille debeat, inscribendum esse anno 4. Olimpiadis CCXXVII.

XVIII.

P. Herennius Dexippus Ptolemaei filius *Hermeius*.

Inscriptio Athenis posita prope Fontem, atque a Sponio relata in Pop. Attic. Artic. 49.

ΚΑΤΑ ΤΟ ΕΠΕΡΩΤΗΜΑ ΤΗΣ
ΕΞ ΑΡΕΙΟΠΑΓΟΥ ΒΟΥΛΗΣ
ΚΑΙ ΤΗΣ ΒΟΥΛΗΣ τῶν Χ, καὶ
ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ ΤΩΝ ΑΘΗΝΑΙ
ΩΝ ΤΟΝ ΑΡΞΑΝΤΑ ΤΗΝ ΤΟΥ
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΕΝ ΘΕΣΜΟΘΕΤΑΙΣ
ΑΡΧΗΝ ΚΑΙ ΑΡΞΑΝΤΑ ΤΗΝ
ΕΠΩΝΥΜΟΝ ΑΡΧΗΝ ΚΑΙΠΑ
ΝΗΓΥΡΙΑΡΧΗΣΑΝΤΑ ΚΑΙ ΑΓΩ
ΝΟΘΕΤΗΣΑΝΤΑ ΤΩΝ ΜΕΓΑ
ΛΩΝ ΠΑΝΑΘΕΝΑΙΩΝ ΟΙΚΟ
ΘΕΝ ΙΕΡΕΑ ΠΑΝΑΓΗ. Π. ΕΡΕΝ.

ΔΕ-

(1) Dissert. X. Num. 16. (2) Itiner. Tom. III. pag. 41.

ΔΕΞΙΠΠΟΝ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΕΡ
ΜΕΙΟΝ ΤΟΝ ΡΗΤΟΡΑ ΚΑΙ
ΣΥΝΓΡΑΦΕΑΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΑ
ΟΙ ΠΑΙΔΕΣ

Ex consulto
Areopagitici Senatus,
& Senatus Sexcentorum, *&*
Populi Athenien-
sis Patrem suum *Regis*
ac Thesmothetae, *& Archontis*
Eponymi magistratu,
In Sacro *Conventu Praesidis*, *& Ago-*
nothetae in ma-
gnis Panathenaeis
haereditario iure dignitate perfunctum
Sacerdotem Sanctissimum P. Heren-
Dexippum Ptolemaei filium *Her-*
meium Rhetorem, *&*
Historicum, *virtutis ergo*,
Filii honorant.

In tertio Inscriptionis versu legendum existimo τῶν Χ, καὶ, *Sexcentorum*, ut in Inscriptionibus aliis conspicitur (1). Cum vero P. Herennius ille & Βασιλεὺς, & Θεσμοθέτης, & Ἐπώνυμος, *Rex*, *Thesmotheta*, & *Eponymus* fuisse dicatur, manifestissime inferri debet, quod sequioribus iis temporibus unus, idemque Civis semel, iterumque inter Novemviros eligebatur; cum antiquioribus tamen Novemviri peracto annuo Magistratu in Areopagum cooptari solerent; ideoque, ut opinor, iterum Archontes esse non possent (2).

Observandum est etiam quod βασιλεὺς ἐν Θεσμοθέταις, *Rex inter Thesmothetas* fuisse dicitur, quamvis inter Novemviros *Rex* a *Thesmothetis* distinctus esset.

Nihil est autem, cur in *Herennii Dexippi* aetate definienda nunc immorer, cum Meursius (3), Vossius (4), ac Fabricius (5) perspicuis veterum testimoniis ostenderint, ipsum a Gallieni tem-

(1) Vid. Diss. VI. Num. 2. (2) Vid. Differt. I. Num. 30. & 31. (3) Biblioth. Attic. (4) Histor. Graec. Lib. II. c. 16. (5) Biblioth. Graec. Lib. IV. c. 26. num. 7.

temporibus ad Aureliani, Probique Caesarum aetatem floruisse; adeoque si natu grandior Archontis Eponymi dignitatem obtinuit, facile ipsius nomen Archontum Fastis circa annum Chr. 270. sive Olympiadem CCLX. inscribendum erit.

XIX.

Tiberius Claudius Sospides

Sponius Inscriptionem istam Eleusine repertam exhibet in Atticae Pop. Artic. 43.

ΑΡΞΑΝΤΟΣ ΤΗΝ ΕΠΩνυμον ἀρχὴν
ΤΙΒ. ΚΛ. ΣΩΣΠΙΔΟΣ ΔΑΔΟΥΧΟΥ.
ΤΙΒ. ΚΛ. ΛΥΣΙΛΛΟΥ ΔΑΔΟΥΧΟΥ
ΣΥΝΚΛΗΤΙΚΩΝ ΑΝΕΘ....
ΕΝΝΕΑ ΚΑΙ ΔΕΚΑΤΟ....
ΔΙΑ ΒΙΟΥ ΔΙΠΛΩ ΤΩ....
ΛΟΓΙΣΤΗΝ ΚΑΤΑΠΕ....
ΕΠΙΔΑΥΡΙΟΙΣ ΚΑΙΡΩ....
ΚΟΡΩΝΕΥΣΙ ΘΗΒΑ....
ΤΗΣ ΔΕ ΑΛΛΗΣ ΑΡΕΤΗΣ

Archonte Eponymo
Tiberio Claudio Sospide Facifero
Tiberii Claudii Lysilli itidem *Faciferi* filio
. . . .
. . . .

Nihil est certe, cur in laceris, exesisque Marmoris huius vocibus aut supplendis, aut explicandis immorer. Id unum observasse iuverit, quod Sospides ille *Daduchi*, atque Archontis *Eponymi* dignitatem obtinuit: quemadmodum fere Apollonius Sophista, qui Archontis Eponymi munere perfunctus erat, natu iam grandior *Hierophantae* munus obtinuit (1).

XX.

. . . . *carpus*

Haec altera quoque Inscriptio Eleusine reperta fuit, atque ab eodem Sponio exscripta in Atticae Pop. Art. 43.

(1) Philostr. Vit. Soph. Lib. II. c. 20.

ΟΙ ΠΑΝΕΛΛΗΝΕΣ
ΑΡΙΣΤΑ . . . .
. . . .
ΚΑΡΠΟΥ ΑΠ ΑΡΧΗΣ

Panellenii
Arista . . . .
. . . .
Carpi Ap. Magistratu.

Facile, ut opinor, eiusmodi Inscriptio ab iis posita fuit, qui Πανελλήνια *Panellenia* Athenienſium Ludos celebrarunt, aut in illis victoriam adepti sunt, ut argumento esse possunt plurimae id genus Inscriptiones aliae, quae apud Sponium occurrunt; cumque inter alios Atticae Populos etiam *Apollonia* in Attalide Tribu recenseatur, facile *Carpus* ille, vel *Polycarpus*, vel *Polycarpi*, vel *Eucarpi* filius *Apollonies* fuerit; ut in tertio proinde versu iam obliterato legendum sit ἐπὶ τῆς . . *sub*: nisi fortasse Α'πολλονίου *Apollonii* legendum esse putaveris.

Ceterum quocumque tandem modo brevissima haec Inscriptio suppleri debeat, ἀρχὴ *Magistratus* tamen ille, qui in ipsa memoratur, nonnisi ad Eponymum Archontem referri potest, ut longe clarius in alia Inscriptione conspicitur, quam inferius Num. XXI. subiiciam.

Denique *Panellenia* Festa, sive Certamina Athenis celebrari consuevisse, perspicue nobis ostendit Inscriptio, in qua inter Ludos, & Agones alios Πανελλήνια ἐν Α'θήναις (1) *Panellenia Athenis* recensentur. Eiusmodi vero Ludos tunc Athenis institutos, aut magnificentius celebratos esse putaverim, cum *Panellenii* Iovis Templum Athenis Hadriani Caesaris auspiciis, communique Graecarum Vrbium sumptu dedicatum fuit, ut Pausaniae, aliorumque Veterum testimonio opportunius alibi demonstravi (2);

XXI.

(1) Spon. Pop. Attic. Pag. 221. Vide Differt. X. Numer. 16. (2) Differt. X. Numer. 16.

XXI.

Caius Iulius Casius Stiriensis.

Pulcherrima, & eximia Inscriptio apud Sponium in Populis Atticae Artic. 4.

ΕΙΚΟΝΑ ΤΗΝ ΔΕ ΠΟΘΕΙΝΟΣ ΕΝ ΕΥΦΗΒΟΙΣΙ ΠΑΛΑΙΣΤΡΑ
ΤΕΥΞΑΣ ΚΟΣΜΗΤΟΥ ΘΗΚΑ ΤΟ ΝΥΜΦΟΔΟΤΟΥ

ΕΠΙ ΤΗΣ ΓΑΙΟΥ ΙΟΥΛΙΟΥ ΚΑ
ΣΙΟΥ ΣΤΕΙΡΙΕΩΣ ΑΡΧΗΣ

ΚΟΣΜΗΤΗΣ ΕΦΗΒΩΝ

ΩΛΟΣ ΠΟΝΤΙΟΣ ΝΥΜΦΟΔΟ
ΤΟΣ ΑΞΗΝΙΕΥΣ

ΚΑΙ ΥΠΟΚΟΣΜΗΤΑΙ ΩΛΟΣ
ΠΟΝΤΙΟΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ ΑΞΗ
ΝΙΕΥΣ ΚΑΙ ΧΑΡΙΤΩΝ ΙΑΤΡΟ
ΚΛΕΟΥΣ ΜΕΛΙΤΕΥΣ
ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΑΙ ΚΑΘΩΣ ΕΓΥΜ
ΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΝ
ΒΟΗΔΡΟΜΙΩΝΑ ΝΥΜΦΙΔΟ
ΤΟΣ ΑΞΗΝΙΕΥΣ
ΠΥΑΝΟΨΙΩΝΑ ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ
ΝΥΜΦΟΔΟΤΟΥ ΑΞΗΝΙΕΥΣ
ΜΑΙΜΑΚΤΗΡΙΩΝΑ ΣΥΜΦΕ
ΡΩΝ ΑΞΗΝΙΕΥΣ
ΠΟΣΕΙΔΕΩΝΑ Α. ΑΝΤΙΟΧΟΣ
ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ ΜΕΛΙΤΕΥΣ
ΠΟΣΕΙΔΕΩΝΑ Β. ΚΛ. ΝΙΚΩΝ
ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΣ

ΓΑΜΗΛΙΩΝΑ ΕΠΙΚΤΗΤΟΣ
ΞΟΣΙΜΟΥ ΛΑΜΠΤΡΕΥΣ

ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΩΝΑ ΜΑΚΡΕΙΝΟΣ
ΞΟΣΙΜΟΥ ΛΑΜΠΤΡΕΥΣ

ΜΟΥΝΥΧΙΩΝΑ ΤΙΤΟΣ
ΦΛΑΥ. ΑΛΥΠΟΣ ΜΑΡΑΘΩ
ΝΙΟΣ

ΘΑΡΓΗΛΙΩΝΑ ΤΙΤΟΣ ΦΛΑΥ
...ΙΑΝ... ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΣ

ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΩΝΑ ΑΝΘΟΣ ΚΑΙ
ΠΑΓΚΑΡΗΣ ΟΙ ΑΝΘΟΥ
ΛΑΜΠΤΡΕΙΣ

ΕΚΑΤΟΜΒΑΙΩΝΑ ΩΛΟΣ ΠΟΝ
ΤΙΟΣ ΝΥΝΦΟΔΟΤΟΣ ΑΞΗ
ΝΙΕΥΣ

*μεταγει*ΤΝΙΩΝΑ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ
ΗΡΩΝ ΣΟΣ..Γ..Ν..

Πο*θ*ΕΙΝΟΣ ΗΡΑΚΛΕΙΔΟΥ ΕΡΙ
ΚΑΙΕΥΣ.....ΡΜΗ...

ΑΡΧΕΛΑΟΣ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ
ΠΕΙΡΑΙΕΥΣ ΑΓΑΘΩΝ ΜΕΛΙ
ΤΕΥΣ

ΣΙΜ.... ΤΛΑΔΟΥ ΜΑΡΑΘΩ
ΝΙΟΣ ΣΕΜΝΟΣ ΥΓΙΝΟΥ
ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΣ

ΠΑΠΠΟΣ ΞΟΣΤΗΡΟΣ ΓΑΡ
ΓΗΤΤΙΟΣ ΠΟΜΠΩΝΙΟΣ
ΞΟΣΤΗΡΟΣ ΓΑΡΓΗΤ

ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΕΥΦΡΟΣΥΝΟΥ
ΛΕΥΚ ΤΙΤΟΣ ΞΟΣΙΜΟΥ
ΠΑΙΟΝΙ.

ΕΠΑΦΡΙΩΝ ΙΣΕΥΘΟΥ ΓΑΡ
ΓΗΤΤΙΟΣ

ΕΛΕΥΣΙΝΙΟΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ
ΠΕΙΡΑΙΕΣ.

ΠΟΜΠΩΝΙΟΣ ΣΩΤΗΡΟΣ
ΓΑΡΓΗ.

ΦΙΛΟΤΙΚΟΣ ΑΤΤΙΚΟΥ ΑΛΙ
ΜΟΥΣΙΟΣ

ΠΑΙΔΟΤΡΗΒΗΣ ΑΡΙΣΤΩΝ Α
ΦΡΟΔΙΣΙΟΥ ΡΑΜΝΟΥΣΙΟΣ

ΠΑΙ-

ΠΑΙΔΕΥΤΑΙ

ΑΙΚΙΝΝΙΟΣ ΠΟΛΥΑΙΝΟΣ ΚΟΛ.
ΗΓΕΜΩΝ ΕΠΙΚΤΗΤΟΣ ΠΡΟΣΑ.
ΓΡ. ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΜΕΛΙΤΕΥΣ
ΗΡΑΚΛΕΙΔΗΣ ΠΟΘΕΙΝΟΥ ΕΡΙ.
ΟΠΛΟΜΑΧΟΣ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗΣ
ΠΛΟΥΤΙΑΝΟΣ ΑΓΑΘΗΜΕ
ΡΟΥΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΑΦΡΟΔΙ
ΣΙΟΥ ΕΞ Ο.. ΠΑΙΩΝ ΔΙΟ
ΜΕΔΟΥΣ ΠΑΛΛΗ.... ΣΕΞΣ
ΤΙΟΣ ΝΙΚΑΝΩΡ ΣΦΗΤΤΙΟΣ
ΠΙΣΤΟΚΡΑΤΗΣ ΦΙΛΟΣΤΡΑ
ΤΟΥ Α.... ΑΒΑΣΚΑΝΤΟΣ ΕΥ
ΜΟΛΠΟΥ ΚΗ.... ΕΡΜΙΑΣ ΤΡΥ
ΦΩΝΟΣ ΜΑΡΑΘΩ... ΚΕΣΤΡΟ
ΦΥΛΑΞ ΠΥΘΙΚΟΣ ΕΥΔΟ... ΘΥ
ΡΩΡΟΣ ΑΙΣΧΙΝΗΣ Ο ΚΑΙ ΨΙΑ...

Imaginem hanc Pothinus inter Ephebos palaestra victoriam adeptus *cum parasset posuit Cosmeta Nymphodoto*
Sub Caii Iulii Ca-
sii Stiriensis Archontis Eponymi *magistratu*
Cosmeta Epheborum
Olus Pontius Nymphodo-
tus Azeniensis
Ac Hypocosmetae Olus
Pontius Demetrius Aze-
niensis, & Charito Iatro-
clis Melitensis
Gymnasiarchae iuxta seriem, qua
eo munere sunt perfuncti
Boedromione mense *Nymphodo-*
tus Azeniensis
Pyanepsione Demetrius
Nymphodoti Azeniensis
Maemacterione Symphe-
ron Azeniensis

Po-

Posideone I. Antiochus Menandri Melitensis
Posideone II. Cl. Nicon Marathonius
Gamelione Epictetus Zosimi Lamprensis
Anthesterione Macrinus Zosimi Lamprensis
Munychione Titus Flavius *Alypus Marathonius*
Thargelione Titus Flav... ian .... Marathonius
Scirophorione Anthus, & *Pancares* filii *Anthi Lamprenses*
Hecatombaeone Olus Pontius Nymphodotus Azeniensis
*Metagitnione Ptolemaeus Hero Sos*igenis
Pothinus Heraclidis Ericaeus ... rme ...
Archelaus Apollonii Piraeensis. Agatho Melitensis
Sim .... yladis Marathonius Semnus Hygini Marathonius
Pappus Zosteris Gargettius. Pomponius Zosteris Gargettius.
*Dionysius Euphrosyni Leucopy*raeus. *Titus Zosimi Paeonides.*
Epaphrion Iseuthis Gargettius
Eleusinius Demetrii

Pi-

Piraeensis
Pomponius Soteris
Gargettius
Philoticus Attici Hali
musius
Paedotriba Aristo A-
phrodisii Rhamnusius
In uno ex lateribus eiusdem Marmoris
Pueri
*Licinnius Poliaenus Colly*teus
Hegemon Epictetus Prosa-
gr. Dionysius Melitensis
*Heraclides Pothini Eri*caeus
Hoplomachus Asclepiades.
Plutianus Agatheme-
ri Dionysius Aphrodi
sii ex Oeo *Paeon Dio*
*medis Pall*enensis *Sex-*
stius Nicanor Sphettius
Pistocrates Philostra-
ti A. . . . Abascantus Eu-
molpi Ce . . . . . Hermias Try-
phonis Marathonius Cestro-
phylax Pythicus Eudo . . . Ia-
nitor Aeschines, qui & Psia . . .

Verbis illis, solemnique formula ἐπὶ τῆς ἀρχῆς *sub Archonte*, vel *Magistratu* Archontem, & quidem Eponymum significari, dubitari certe non poterit; cum praesertim *Cosmetae*, *Hypocosmetae*, & *Gymnasiarchae* inferius memorentur, qui singulis mensibus eiusdem anni praefuerunt; ut proinde ἀρχὴ *dignitas*, aut *magistratus* ille nonnisi ad Archontem Eponymum referri possit.

Aetas autem Archontis huius incerta esse debet, nisi quod ille sub Caesaribus imperasse videtur, cum in eiusmodi Inscriptione plurima subinde Romanorum nomina occurrant, iisdemque temporibus posita videatur, ac altera sequens Inscriptio, ut Num. XXII. inferius ostendam. Deinde vero, cum Posideon I. a Posideone II. distinguatur, an-

annus ille, quo *Caius Iulius Cassius*, vel *Cassii* filius Archon fuit, embolimaeus esse debuit; ideoque facile iuxta Canones a Dodvello traditos in Dissert. I. de Cyclis sect. 35. definiri poterit annus, quo Athenis ille imperaverit.

Observari quoque maxime velim, quod in pulcherrima hac Inscriptione menses omnes, initio tamen ducto a Boedromione, recensentur: ac Maemacterion post Pyanepsionem collocatur, quod in altera quoque Inscriptione factum conspicitur, ut Dissert. II. Num. 30. iam observavi. Illud etiam hic obiter addidisse iuverit, quod Ποθεινος *Pothinus* puer memoratur in alia quoque Inscriptione, quae exhibetur a Gudio num. 1121. pag. 264. Sic apud Sponium ipsum habetur Inscriptio (1), in qua legitur Γαιου Κασιου Σημαχιδου *Caius Cassius Semachides*; ut Oxoniense Marmor (2) superius allatum praeteream, in quo Κασσι Απολλωνιυ *Cassius Apollonii* filius memoratur. Quaecumque vero ad Cosmetas, Gymnasiarchas, ac Ministros alios in eximio hoc Marmore nominatos attinent, opportunius alibi exposui (3). Id unum addidisse nunc libet, quod *tresdecim* Cives illi, qui post Gymnasiarchas ante Paedotribam hic ordine recensentur, non alii fortasse fuerint, quam *Sophronistae*, qui Etymologo teste ex Tribu qualibet eligebantur; quamvis ipsorum singulos in Marmoribus aliis minime numeratos esse iam dixerim. Quinetiam in hoc ipso Marmore tresdecim Cives illi sic recensentur, ut quinque ex Aegeide Tribu, bini ex Leontide, Aeantide, ac Hippothoontide, unus denique tum ex Cecropide, tum ex Antiochide proferatur; quemadmodum prorsus in alio Marmore Sophronistae plures ex una eademque Tribu memorantur: quod argumento fortasse esse poterit, veterem illum Sophronistarum ex singulis Tribubus eligendorum morem sequioribus mox temporibus, sive Caesarum aetate, in desuetudinem abiisse. Ii vero, qui mox Παιδευται vocantur, atque in extrema Marmoris parte recensentur, certe Athenienses Cives haberi debent, quippequi proprio Atticae *Populo* decorentur; quibus Aeschines etiam veluti Gymnasii *Ianitor* Θυρωρος inscribitur.

Quandoquidem vero inter Παιδευτας *Pueros* alios Αβασκαντος Ευμολπου Κηφ . . . *Abascantus Eumolpi* filius *Cephisiensis* occurrit; atque in Oxoniensi Marmore superius exposito Αβασ-

(1) Pop. Attic. 141. (2) Num. 7. (3) Dissert. XI. Num. 8.

Αβασκαντος Ευμολπου Κηφεισιευς *Abascantus Eumolpi Cephisiensis* veluti *Paedotriba* memoratur, si unus, idemque Civis, ut videtur, in utroque Marmore designatur, facile Marmorum aetas, & Archontis annus ex sequenti, clarioríque Marmore deprehendetur, hoc est omnia Caesarum aetate posita fuisse ostendetur.

XXII.

Lucius Bulaei Equitum Magistri Filius

Inter Donianas Inscriptiones a Cl. Gorio editas, ac illustratas sequens Inscriptio reperitur Clas. IV. Num. 67. Pag. 154. quam etiam Cl. Muratorius in novo Inscriptionum Thesauro nuper edidit Tomo II. Pag. 629. Num. 1.

ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΝΕΙΚΗΣ
ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ

ΕΠΙ ΛΕΥΚΙΟΥ ΤΟΥ ΒΟΥΛΑΙΟΥ ΙΠΠΑΡΧΟΥ
ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΚΟΣΜΗΤΕΥΟΝΤΟΣ ΕΥΚΡΑΤΟΥ
ΤΟΥ ΕΡΜΙΟΥ ΦΥΛΑΣΙ ΠΑΙΔΟΤΡΙΒΟΥΝΤΟΣ
ΑΡΕΤΩΝΟΣ ΤΟΥ ΑΦΡΟΔΕΙΣΙΟΥ ΡΑΜΝΟΥΣΙΟΣ
ΔΙΑ ΒΙΟΥ ΕΠΙΓΟΝΟΣ ΦΙΛΗΜΟΝΟΣ . . . .
. . . . . ΤΟΥΣ ΣΥΝΕΦΗΒΟΥΣ ΚΑΙ ΣΥΝΤΡΙ
ΚΛΕΙΝΟΥΣ ΚΑΙ ΦΙΛΟΥΣ ΓΡΑΦΑΣ ΑΝΕΘΗΚΕΝ
ΕΥΟΔΟΣ ΑΦΡΟΔΕΙΣΙΟΥ ΝΕΙΚΗΤΗΣ ΑΡΙΣΤΟ
ΚΛΕΟΥΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΓΛΥΚΩΝΟΣ ΑΤΤΙ
ΚΙΩΝ ΕΡΑΣΤΟΥ . . . .
ΕΛΕΥΣΙΝΙΟΥ ΖΩΣΙΜΟΥ ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ. ΑΤ
ΤΙΚΙΩΝ ΔΗΜΥΛΑΣ ΗΡΑΣ. ΖΩΣΙΜΑΣ
ΕΙΡΕΝΑΙΣ. ΠΑΡΑΜΟΝΟΣ. ΝΥΝΦΑΣ ΣΜΑ
ΡΑΓΔΟΣ ΕΠΙΚΤΗΤΑΣ. ΦΙΛΟΚΡΑΤΕΣ ΚΑΙ
ΦΙΛΟΙ ΧΡΥΣΙΠΠΟΣ ΔΑΜΑΣΙΟΥ ΕΥΚΡΑΤΗΣ
ΠΡΙΜΟΣ ΕΥΚΡΑΤΟΥ ΛΕΥΚΙΟΣ ΔΙΟΝΙΣΙΟΥ
ΔΗΜΥΛΑΣ ΦΙΛΟΤΕΙΜΟΣ ΑΣΚΛΗΠΑΣ. ΝΕΙΚΟΣ
ΤΡΑΤΟΣ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ ΣΕΙΛΩΝΟΣ ΕΠΙΚΤΗΤΟΣ
ΕΥΚΑΡΠΟΥ ΘΡΑΣΥΒΟΥΛΟΣ ΜΥΡΙΩΝΙΔΗΣ
ΕΥΡΑΣ ΕΞΠΕΔΙΤΟΣ. ΚΕΣΤΟΦΥΛΑΞ
ΠΥΘΙΚΟΣ ΜΟΣΧΟΣ ΕΠΙΓΟΝΟΣ . . . . ,
. . . .

Caesaris Victoriae
Bono Eventui

Leucio Bulaei Equitum Magistri Filio
Archonte. Cosmeta Eucrate
Hermiae Phylasio. Paedotriba
Aretone Aphrodisii Rhamnusio
perpetuum Epigonus Philemonis ...
.... Ephebos socios, & coe-
pulonos, & amicos inscribens dedicavit.
Erodus Aphrodisii. Niceta Aristo-
clis. Alexander Glyconis. Atti-
cion Erasti . . . .
Eleusinii Zosimus. Dionysius. At-
ticion. Demylas. Heras. Zosimas
Irenais. Paramonos; Nymphas. Sma-
ragdus Epictetas. Philocrates. &
Amici Chrysippus Damasiae. Eucrates.
Primus Eucratis. Leucius Dionysii.
Demylas. Philotimus. Asclepas. Nico-
stratus. Apollonius Silonis. Epictetus
Eucarpi. Thrasybulus. Myrionides.
Euras Expeditus. Cestophylax.
Pythicus Moschus. Epigonus .....

Eximiam Inscriptionem istam proxime post superiorem collocandam esse putavi, quod illarum utraque iisdem prorsus temporibus Athenis posita videatur. Certe hic habetur Παιδοτριβουντος Αρετωνος του Αφροδισιου Ραμνουσιου δια βιου *Paedotriba perpetuum Aretone Aprodisii f. Rhamnusio*. & in superiori quoque nominatur Παιδοτριβης Αριστων Αφροδισιου Ραμνουσιος. *Paedotriba Aristo Aphrodisii* filius *Rhamnusius*. In illa inter Παιδευτας *Pueros* Κεστοφυλαξ, & Πυθικος *Cestophilax*, & *Pythicus* recensentur; eademque prorsus nomina hic inter Ephebos, aut Syntriclinos, aut Amicos occurrunt. Itaque, si unus idemque Civis, ut Paedotriba, iidemque iuvenes in utroque Marmore nominentur, dubitari certe non poterit, quin utrumque Marmor iisdem fere temporibus insculptum fuerit; cumque posterior haec Inscriptio sub *Caesaribus* posita fuerit,

rit, prior etiam illa ad Caesarum aetatem referri debet; cumque vicissim in illa tresdecim, ut videtur, Sophronistae, adeoque tresdecim etiam Tribus quodammodo memorentur, illa post Hadriani Caesaris aetatem excitata videtur; ut haec ipsa quoque post initum ab Hadriano imperium Athenis posita non immerito existimetur.

Quandoquidem vero plurima vel Scriptoris, vel quadratarii vitia in Marmore subinde occurrunt, quae sensum ipsum alicubi perturbent, vel obscuriorem certe, nimisque implexum efficiant, ipsorum pleraque hic obiter observasse iuverit, ut eximio Marmori splendor aliquis accedat; simulque ostendatur, cur ita voces aliquas latine reddendas esse putaverim.

Itaque in 1. versu pro Νεικες legendum arbitror Νεικηι; ut solemnis illa Graecorum, Latinorumque Marmorum formula conservetur. In 3. versu, simulque 18. pro Λευκιυ, & Λευκιος *Leucio* & *Leucius* facile Λουκιυ & Λουκιος *Lucio*, & *Lucius* rescribi posset, nisi in Gruterianis etiam Marmoribus haberetur Λευκιος Κορνηλιος (1) *Leucius Cornelius*; & Λευκιος Ποπιλιος (2) *Leucius Popilius*: quemadmodum etiam in Marmore, quod superiori Numero exhibui, bis Λευκιος *Leucius* observatur. Quamvis autem Ιππαρχυ proprium Viri nomen, vel Bulaei agnomen esse potuerit, adeoque commode *Hipparchi* reddi potuisset; malui tamen interpretari *Equitum Magistri*, quod saepissime in Marmoribus patris nomini ipsius etiam dignitas, aut munus adiiciatur, ut XIX. Numero conspicitur. In 4. versu Ευκρατυς. in 5. Ερμειυ, ac Φυλασιυ. in 6. Ραμνυσιυ scribendum fuerat.

In 13. facile Ελευσινιος Ζωσιμου rescribi posset; cum Ελευσινιος, ut proprium Viri nomen in Marmoribus aliis occurrat. (3) Sed nihil in Ελευσινιυ mutandum esse putavi, cum facile Eleusinius ille, veluti pater, ad Ephebum illum referri possit, cuius nomen in superiori versu prorsus evanuit; adeoque solum pro Ζωσιμων rescribendum arbitror Ζωσιμος, quod Epheborum nominibus non ubique certe, sed aliquando solum, patrum nomina adiecta videantur. In 14. & 19. nihil in Δημυλας nomine corrigendum existimo, quamvis id nominis insolitum, minusque rectum videatur. Διμυλος *Dimylus* qui-

(1) Pag. 503. (2) Pag. 227. (3) Num. XXIII. & XXIV.

quidem, veluti Athenienfis Archontis nomen, apud Laertium (1) occurrit: quis tamen locum illum mirifice depravatum, atque pulcherrima Scaligeri, Palmeriique coniectura (2) fanandum effe non viderit? Itaque fuus hic Marmori Δημυλας *Demyla* relinquatur; quemadmodum prorfus Ηρας *Heras*: cum praefertim in Sponiano Marmore fuperius expofito (3) Αυρ. Ηρας habeatur; atque inter Olympionicas ad Olymp. CCXXXIV. Ηρας a Scaligero recenfeatur. Ζωσιμας vero, Νυνφας, Επικτητας, Ευρας aliaque id genus infolita nomina Graecorum potius, quam quadratarii vitio tribuenda putaverim: quemadmodum certe, ut exemplis aliis abftineam, apud Gruterum (4) Ερενιος Διονυσας reperitur. In 15. verfu pro Ειρηναις proclive profecto fuerat Ειρηναιος refcribere. Nolim tamen hic etiam Marmor follicitare, cum plurima faeminarum nomina ad viros etiam translata in Gruterianis, aliifque Indicibus fubinde occurrant; atque in Sponiano Marmore (5) inter Ephebos Αθηναις *Athenais* memoretur. Poftremo, ne minutioribus aliis hic immorer, Ευοδος *Evhodus* retinendum effe putavi; quod nomen ipfum in tribus Marmoribus aliis offendatur, quae coronidis loco fubieciffe nunc iuverit, ut mirifice depravata, fi fieri id quidem poterit, emendentur, ac illuftrentur. Cl. Muratorius Pag. 132. num. 4. Infcriptionem hanc exhibet.

Athenis. E Schedis Cyriaci.

ΕΙΙΣΟΔΟΣ ΣΗΚΩΜΑ ΕΝ ΠΟΡΟΥ ΕΥΟΔΟΥ ΕΚ ΠΤΕΛΕ
ΑΞΙΩΝ. ΛΟΥΣΗ ΕΥΟΔΟΥ ΓΙΝΗ.

cumque ingeniofe fufpicaretur ille, *pondus hoc a Sacerdotibus Ifidis aut conftitutum*, *aut adhibitum* fuiffe, latine reddidit *Ifidis aequipondium in via Euhodi ex Pteleenfibus. Lufa Euhodi uxor*. fecit. Eiusdem prorfus, ut exiftimo, Infcriptionis exemplar aliud apud Muratorium ipfum occurrit Pag. 1074. num. 13.

Athe-

(1) Lib. II feg. 11. (2) Palmer. Exercit. Pag. 451. (3) Num. 8. (4) Pag. 680. num. 7. (5) Pop. Attic. Attic. 144.

Athenis. E Schedis meis.

ΕΙΣΙΔΟΣ ΣΗΚΩΜΗ
ΕΝ ΠΟΡΟΥ ΕΥΟΔΟΥ
ΕΚ ΠΤΕΛΕΑΣΙΩΝ
ΛΟΥΣΕΥΟΔΟΥ ΓΥΝΗ

ubi Cl. Vir obſervavit fortaſſe σηκωμα legendum eſſe; cumque ingenue, modeſteque intelligeret vix commodum ſenſum ullum ex verbis illis exſculpi poſſe, *haec*, inquit, *titubans ita verto*: *Iſidis Secoma. In maritima ora pervia ex Pteleaſis. Luſevodi uxor*. Si tamen doctiſſimi, ſimulque mihi, quod maximo honori vertendum arbitror, amiciſſimi Viri coniecturis coniecturas alias addere hic liceat, ſuſpicor, Ευοδος ut proprium Viri nomen habendum eſſe, prorſus ut in noſtri Lucii Archontis Marmore conſpicitur. Suſpicor etiam non εν πορου, ſed Ενπορου, ſive potius Εμπορου legendum eſſe: ut nempe exprimatur, *Euhodum* illum *Mercatorem* fuiſſe; quod optime intelligi, ac haerere poſſet, ſi Iſidis *Aequipondium* in Marmore memoraretur. Suſpicor tamen & *Iſidis*, & *Aequipondii* nomen hic temere irrepſiſſe; quamvis in editis etiam Cyriaci Inſcriptionibus Marmor ipſum eodem prorſus modo exhibeatur (1), quem Muratorius Pag. 1074. *e Schedis ſuis* expreſſit; niſi quod in Cyriaci Libro ſubditur *in Lapide deeſſe iconem*, quae pridem Marmori inſculpta fuerat. Sed haec aliis divinanda, vel explicanda fortaſſe fuerint, ſi implexis eiuſmodi vocibus lux aliqua aliunde affulgeat. Mihi certe, ne hic quidpiam diſſimulem, vehemens olim ſuſpicio ſuborta fuerat, quod ſingulae voces illae, quae in Cyriaci Marmore reperiuntur, vitiatae ſint; atque ex confuſis, perturbatiſque Marmoris alterius vocibus ortae fuerint, quod Athenis delatum Conſtantinopoli Sponius exſcripſit (2), longeque accuratius, meliorique vocum ordine Muratorius exhibuit Pag. 1070. Num. 3.

Pariſiis. In Muſeo Acad. Regiae Inſcriptionum

Μ. ΠΟΜΠΗΙΟϹ
ΕΥΟΔΟϹ

ΙϹΙΔΩΡΑ ΠΡΑΞΙΤΕΛΟΥϹ
ΕΚ ΦΥΛΑϹΙΩΝ

M. Pom-

(1) Num. 116. Pag. 16. (2) Pop. Attic. Artic. 68.

M. Pompeius Eubodus — *Isidora Praxitelis* filia *Phylasia*

Num ex Πομπηιος hic σηκωμη; Ισιδος ex Ισιδωρα; Λουσευοδου ex ... λους Ευοδος; num denique Πτελεασιων ex Φυλασιων ludicra quidem, ac immani, sed non insolita tamen exscriptorum oscitantia, in evanidis praesertim, extritis, perperamque dispositis Marmoris vocibus, erupit? Id acutiores alii diligentius inquirant. Certe quidem, quod huius est loci, sive Marmor istud cum superiori confundi; sive potius ab illo distingui debeat, dubitari certe non poterit, quin hic etiam Ευοδος *Eubodus* viri Atheniensis nomen habeatur; adeoque nihil in Goriano, sive Doniano Marmore mutandum sit.

XXIII.

Philotimus Arcesidemi filius *Eleusius*

Sequens elegantissima Inscriptio apud Sponium in Pop. Attic. Art. 104. reperitur.

Ο ΚΟΣΜΗΤΗΣ ΤΩΝ ΕΦΗΒΩΝ
ΜΑΡΚΟΣ ΙΟΥΛΙΟΣ ΞΗΝΩΝ
ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΣ ΚΑΙ Ο ΑΝΤΙ
ΚΟΣΜΗΤΗΣ ΟΦΙΛΛΙΟΣ ΑΡΙΣ
ΤΩΝ ΚΟΛΛΥΤΕΥΣ ΤΟΥΣ ΤΕ
ΣΥΝΑΡΧΟΝΤΑΣ ΚΑΙ ΤΟΥΣ
ΕΦΗΒΕΥΣΑΝΤΑΣ ΕΠΙ ΑΡΧΟΝ
ΤΟΣ ΦΙΛΟΤΕΙΜΟΥ ΤΟΥ ΑΡ
ΚΕΣΙΔΗΜΟΥ ΕΛΕΥΣΙΟΥ ΑΝΕ
ΓΡΑΨΑΝ ΠΑΙΔΟΤΡΙΒΟΥΝΤΟΣ
ΔΙΑ ΒΙΟΥ ΕΠΙΚΤΗΤΟΥ ΤΟΥ
ΦΙΛΕΡΩΤΟΣ ΣΦΗΤΤΙΟΥ ΕΤΟΣ
Ι ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΟΝΤΟΣ ΔΙΑ
ΒΙΟΥ ΣΤΡΑΤΩΝΟΣ ΤΟΥ ΚΙ
ΘΑΙΡΩΝΟΣ ΑΧΑΡΝΕΩΣ

ΣΩΦΡΟΝΙΣΤΑΙ

ΑΡΙΣΤΟΒΟΥΛΟΣ ΣΥΜΜΑΧΟΥ

ΜΑΡ.

ΜΑΡ.
ΠΑΙ. ΕΠΙΓΟΝΟΣ ΧΟΛΑΡ.
ΑΡΙΣΤΟΒΟΥΛΟΣ ΑΠΟΛΛΩ
ΝΙΟΥ ΠΕΙ.
ΣΥΜΦΕΡΩΝ ΕΞ ΟΙΟΥ
ΑΓΑΘΗΜΕΡΟΣ ΠΡΩΤΟΥ
ΠΑΛΛΗ.
ΕΛΕΥΣΕΙΝΙΟΣ ΜΗΝΟΔΩΡΟΥ
ΔΕΙΡ.

ΥΠΟΣΩΦΡΟΝΙΣΤΑΙ

ΣΕΡΑΠΙΩΝ ΙΣΟΦΙΛΟΥ ΓΑΡ
ΓΗΤΙ

. . . .
. . . .

ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΑΙ

ΒΟΗΔΡΟΜΙΩΝΑ ΙΟΥΛΙΟΣ ΕΥ
ΦΡΑΝΩΡ ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΣ ΣΤΡΑ
ΤΗΓΟΣ
ΠΥΑΝΟΨΙΩΝΑ ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ
ΜΑΡΚΟΥ ΒΗΣΑΙΕΥ.
ΜΑΙΜΑΚΤΗΡΙΩΝΑ ΣΥΜΜΑ
ΧΟΣ
ΑΡΙΣΤΟΒΟΥΛΟΣ ΜΑΡΑΘΩ
ΝΙΟΣ
ΠΟΣΕΙΔΕΩΝΑ ΑΡΤΕΜΩΝ
ΜΗΝΟΔΩΡΟΥ
. . . . ΤΙΟΣ

Hic diffractum est Marmor

ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΟΣ

ΔΙΟΔΩΡΟΣ ΣΥΜΜΑΧΟΥ
ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ ΣΥΜΜΑΧΟΥ
ΝΙΚΟΜΑΧΟΣ ΑΦΡΟΔΕΙΣΙΟΥ
ΣΩΤΗΡ ΚΑΛΛΙΤΥΧΟΥ
ΕΙΡΕΝΑΙΟΣ ΚΑΛΛΙΤΥΧΟΥ

ΑΣ-

ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗΣ ΚΑΛΛΙΤΥΧΟΥ

ΑΚΑΜΑΝΤΙΔΟΣ

ΣΩΤΑΣ
ΕΥΤΥΧΙΑΝΟΣ ΣΩΤΟΥ
ΠΑΙ. ΕΠΙΤΟΝΟΣ
ΠΑΙ. ΑΣΙΑΤΙΚΟΣ
ΦΙΛΙΣΤΟΣ ΕΠΑΓΑΘΟΥ
ΙΛΑΡΟΣ ΕΠΑΓΑΘΟΥ
ΑΡΙΣΤΟΒΟΥΛΟΣ

ΑΔΡΙΑΝΙΔΟΣ

ΕΡΜΕΙΑΣ ΕΙΣΙΔΩΡΟΥ
ΑΙΓΥΡΟΣ ΑΝΘΟΥ
. . . . . ΑΝΘΟΥ
. . . .
. . . .
. . . .

ΕΠΕΝΓΡΑΦΟΙ

ΙΟΥ. ΤΡΟΦΙΜΟΣ
ΦΙΛΗΤΟΣ
ΖΟΣΙΜΟΣ
ΜΑΞΙΜΟΣ
ΧΡΥΣΟΣ ΕΙΣΙΔΟΤΟΥ
ΝΕΩΝ ΤΡΟΦΙΜΟΥ
ΑΓΑΘΗΜΕΡΟΣ
ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΣ ΖΩΣΙΜΟΥ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΑΦΡΟΔΕΙΣΙΟΥ
ΣΩΣΙΜΟΣ Ο ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΕΟΔΩ.
ΚΛ. ΜΑΡΩΝ
ΣΤΕΦΑΝΟΣ
ΕΥΚΑΡΠΟΣ
ΦΛ. ΠΡΕΙΜΟΣ
ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΕΙΣΙΔΟΤΟΥ
ΜΥΡΙΣΜΟΣ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΥ

ΑΘΗ-

ΛΘΗΝΩΝ
ΣΩΤΑΣ
ΑΓΑΘΟΠΟΥΣ ΓΟΡΓΙΟΥ
. . . ΗΝΟΔΩΡΟΣ ΕΥΦΡΟΣΥΝΟΥ
. . . .
. . . .

Cosmeta Epheborum Marcus Iulius Zeno Marathonius, & Anticosmeta Ophilius Aristo Collyteus tum Collegas in Magistratu, tum eos, qui Ephebi fuere sub Archonte Philotimo filio *Arcesidemi Eleusio, inscripserunt. Paedotribae perpetui munus obeunte Epicteto Philerotis* filio *Sphettio anno* I. *Scriba perpetuo Stratone* filio *Cithaeronis Acharnensi.*

Sophronistae

Aristobulus Symmachi Marathonius
Pae. Epigoni Cholargeus
Aristobulus Apollonii Piraeeus
Symphero ex Oeo
Agathemerus Proti Palleneus
Eleusinius Menodori Diradiotes

Hyposophronistae

Serapion Isophili Gargettius
. . . .

Gymnasiarchae

Boedromione mense *Iulius Euphranor Marathonius Strategus*
Pyanepsione Demetrius Marci Bessaeus

*Maemacterione Symmachus Aristobu-
li Marathonius*
Posideone Artemon Menodori . . . . tius
. . . .

Gymnasiarchae reliqui in Marmore hic fracto desiderantur. Duae tamen columnae, sive nominum series ad latus inscriptae supersunt.

Ptolemaidis Tribus.

Diodorus Symmachi
Demetrius Symmachi
Nicomachus Aphrodisii
Soter Callitychi
Irenaeus Callytichi
Asclepiades Callitychi

Acamantidis

Sotas
Euthychianus Sotae
Pae. . . . Epigonus
Pae. . . Asiaticus
Philistus Epagathi
Hilarus Epagathi
Aristobulus

Hadrianidis

Hermias Isidori
Ligyrus Anthi
. . . . . Anthi
. . . .

Adlecti, sive *Adscriptitii*
Iul. Trophimus
Philetus
Zosimus
Maximus
Chrysus Isodoti
Neon Trophimi

Aga-

Agathemerus
Artemidorus Zosimi
Dionysius Aphrodisii
Sosimus, qui & Basileodo . . .
Cl. Maro
Stephanus
Eucarpus
Fl. Primus
Athenaeus Isodoti
Myrismus Asclepiadis
Athenion
Sotas
Agathopus Gorgiae
Athenodorus Euphrosyni
. . . .

Si pulcherrima haec Inscriptio variis in locis mutila, & exesa non foret, integrum Mensium, ac Tribuum Atheniensium ordinem in illa conspiceremus. At evanido, diffractoque Marmore, *Boedromion* solum omnium primus occurrit, tum *Pyanepsion*, inde *Maemacterion*, atque *Posideon* memorantur: prorsus, ut in alio Marmore, quod superius Num. XXI. exhibuimus.

Ex Tribubus autem ipsis *Ptolemais*, *Acamantis*, & *Hadrianis* occurrunt; ideoque circa Hadriani Caesaris aetatem Inscriptio posita, & *Philotimus* ille, quem perperam alibi Sponius ipse *Philodemum* appellat (1), Archon fuit.

XXIV.

. . . . *Palleneus*

Apud Sponium in Itinerario Tomo III. Pag. 45. reperitur Inscriptio, quam Sponius ipse Athenis exscripsit, moxque Wheelerus Sponii comes in Angliam deferendum curavit.

(1) Ad Pop. Attic. Artic. 42.

. . . .
. . . . . ΟΥ ΠΑΛΛΗΝΕΩΣ ΑΝΕΓΡΑ
ΨΕΝ τους υΠΑΥΤΩ ΕΦΗΒΕΥ
ΣΑΝΤΑΣ . . . . ΣΟΣ ΠΑΛΛΗΝΕΥΣ
ΕΡΕΧΘΕΙΔΟΣ
. . . . ΝΟΣ Ο ΚΑΙ ΕΛΕΙΣΕΙΝΙΟΣ
ΚΗΦ

. . . . Archonte
. . . . . . *o Palleneo*, *infcripfit eos*, *qui fub ipfo* Cofmeta *Ephebi fuerunt*, ... *fus Palleneus*.
Erechtheidis Tribus
. . . . . *nus*, *qui & Eleufineus Cephifienfis*.

Pulcherrimam Infcriptionem iftam, quam Sponius *XIII. Tribuum Marmor* appellat, Differtatione IV. Num. 7. opportunius exhibui; quod in illa XIII. Athenienfes Tribus omnes perfpicua, perpetuaque ferie numerentur; illarumque fingulis *Ephebi*, ipforumque *Populi* fubiiciantur, ut eximii proinde Marmoris huius praefidio vera Populorum Tribus, fimulque vera Tribuum Athenienfium feries, & ordo confirmetur. Quod fi Marmor ipfum cum ceteris conferatur, dubitari certe non poterit, quin in ipfius fronte Eponymi Archontis nomen infcriptum fuerit, ut optime Sponius ipfe iam viderat; quod tamen temporis iniuria prorfus evanuit, ut folus proinde Archontis Populus exprimatur. In 3 autem verfu refcribendum, five fupplendum putavi ὑπ' αὐτῷ *fub ipfo*, five potius τὺς ὑπ' αυτῷ *eos*, *qui fub ipfo*: ficuti in fequenti verfu legi fortaffe poterit Βασσος Παλληνευς *Baffus Palleneus*: quemadmodum in alio Marmore, quod fequenti Numero mox proferetur, occurrit Αυλος Βασσυ Παλληνευς *Aulus Baffi Palleneus*, & Βασσος Γαργηττιος *Baffus Gargettius*. Denique cum in Marmore *Hadrianidis* Tribus memoretur, perfpicuum fiet, Marmor ipfum circa Hadriani Caefaris aetatem Athenis excitatum effe, poftquam Tribus illa in Hadriani ipfius honorem inftituta, ceterifque veteribus adiuncta fuerat; adeoque Archon ille, qui in ipfa obfcurius indicatur, circa eadem tempora, five Olympiadem CCXXVII. Eponymorum Faftis infcribendus erit.

Quan-

Quandoquidem vero in extrema huius, ac superioris etiam Marmoris parte post Ephebos Επεγγραφοι *Adscriptitii* recensentur, illorumque series in Dissertatione IV. ommissa a me fuerat, quod illa nimirum ad Tribuum Atheniensium ordinem rite demonstrandum conferre minime videretur, hanc opportunius hic afferam: simulque coniecturis ostendere enitar, quid *Adscriptitiorum* nomine intelligi fortasse debeat, ut elegans haec Inscriptio, simulque Marmor etiam aliud (1) illustretur, in quo *Adscriptitios* istos recensitos esse conspicimus. Itaque in hoc Marmore post Tribuum, Populorum, ac Epheborum seriem repente subiicitur.

ΕΠΕΝΓΡΑΦΟΙ
ΑΙΛΙΩΝ ΑΦΡΟΔΕΙΣΙΟΥ
ΣΥΝΦΟΡΟΣ
ΣΧΟΛΟΣ ΣΩΣΙΠΑΤΡΟΥ
ΜΑΝΙΟΣ ΠΕΙΕΡΙΩΝ
ΕΡΜΕΙΑΣ
ΝΕΙΚΗΤΗΣ
. . ΤΙΚΟΣ ΜΗΤΡΟΔΟΡΟΥ
ΕΠΙΚΤΗΤΟΣ
ΤΥΧΙΑΝΟΣ ΠΕΙΣΕΥΣ
ΛΟΞΕΡΑΠΙΣ ΖΟΣΙΜΟΥ
ΑΡΙΣΤΟ ΛΕΙΔΗΣ
ΛΑΙΟΣ ΝΗΡΕΩΣ
ΕΠΙΧΑΡΗΣ ΙΣΙΔΩΡΟΣ
ΖΩΣΙΜΟΣ ΧΡΥΣΙΩΝΟΣ
ΝΕΙΚΗΦΟΡΟΣ ΖΩΣΙΜΟΥ
. . . ΕΛΩΣ
ΟΛΥΜΠΟΣ ΑΓΑΘΗΜΕΡΟΥ
ΕΥΤΥΧΟΣ ΟΝΗΣΙΜΟΥ
ΠΑΜΦΙΛΟΣ
ΕΦΗΒΟΣ
ΑΥΡ. ΣΟΤΗΡΙΧΟΣ
ΠΡΑΞΙΤΕΛΗΣ
ΔΟΜΕΤΙΑΝΟΣ ΜΑΡΚΕΛΛΟΥ
ΑΡΕΣΚΩΝ
ΜΗΝΟΦΙΛΟΣ ΣΩΤΥ

ΖΩΣΙ-

(1) Spon. Pop. Att. Artic. 104. Vide Num. 23.

ΖΩΣΙΜΟΣ ΑΥΓΑΙΟΥ
ΙΠΠΕΥΣ ΕΙΣΑ
ΠΑΡΑΜΟΝΟΣ
ΕΥΤΥΧΟΣ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΣ
ΞΩΣΙΜΟΣ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ
ΑΤΤΙΚΟΣ ΙΚΕΛΟΥ
ΑΝΤΙΠΑΣ ΝΕΙΚΩΝΟΣ
ΣΤΡΑΤΟΚΛΗΣ ΠΡΕΙΜΟΥ
ΔΑΦΝΟΣ
ΑΓΑΘΟΠΟΥΣ ΕΥΦΗΜΟΥ
ΕΠΑΦΡΟΔΕΙΤΟΣ ΕΥΦΗΜΟΥ
ΑΥΡ. ΗΡΑΣ
ΕΥΗΜΕΡΟΣ ΑΠΟΛΕΙΝΑΡΙΟΥ
ΝΕΙΚΗΦΟΡΟΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ
ΘΥΡΩΡΟΣ ΚΟΡΝΗΛΙΟΣ ΔΗ
ΜΗΤΡΙΟΣ
ΛΕΝΤΙΑΡΙΟΣ ΜΕΛΙΣΣΟΣ ΔΙΟ
ΦΑΝΤΟΥ

Adscriptitii
Aelion Aphrodisii
Symphorus
Scholus Sosipatri
Manius Pierion
Hermias
Niceta
. . ticus Metrodori
Epictetus
Tychianus Perseus
Loxerapis Zosimi
Aristoclides
Laeus Nerei
Epichares Isidori
Zosimus Chrysionis
Nicephorus Zosimi
. . . elus
Olympius Agathemeri
Eutychus Onesimi
Pamphilus

Ephe-

Ephebus
Aur. Sotericus
Praxiteles
Domitianus Marcelli
Arescon
Menophilus Sotae
Zosimus Augaei
Hippeus Isa
Paramonus
Eutychus Asclepiadis
Zosimus Antonini
Atticus Hiceli
Antipa Niconis
Stratocles Primi
Daphnus
Agathophus Euphemi
Epaphroditus Euphemi
Aur. Heras
Evhemerus Apollinarii
Nicephorus Dionysii
Ianitor Cornelius Demetrius
Lentiarius Melissus Diophanti.

Quid in praestantissimo hoc Marmore τῶν Ἐπενγραφῶν *Adlectorum*, vel *Adscriptitiorum* nomine intelligi hic debeat, definiri vix posse putaverim. Tantum enim abest, ut ex veteribus Scriptoribus aliqua fortasse lux hac in parte nobis affulgeat, ut ne ipsum quidem nomen in iis offendatur, atque illud in duplici solum Sponiano Marmore reperiatur. Itaque coniecturis hic solum locus supererit, quae clarioribus fortasse coniecturis aliis refelli, vel confirmari subinde possint. Ac Sponius quidem hic *Adscriptitios* non aliud esse putavit quam Ministros, qui incognito quodam munere in Gymnasio fungerentur; quod ille nimirum, ut arbitror, hic *Ianitorem*, simulque *Lentiarium* memoratos esse conspiceret; Lentiariique nomine cives illos hic indicari putaret, qui *perizomata* conficerent, cum Hesychius Λέντιον περίζωμα ἱερατικόν, *cincturam sacerdotalem*, *sacrumve perizoma* fuisse dixerit. At levior est certe Cl. Viri coniectura, quam ut facile admit-

admitti, probarique possit. Etenim, ut argumenta cetera ommittam, ipsum *Adscriptitii*, vel *Adlecti* nomen satis, ut opinor, ostendit in hac ipsa nominum serie non *Ministros*, sed *Ephebos* alios designari; ut quemadmodum nempe superiori serie Cives illi recensiti fuerant, qui simpliciter *Ephebi* dicebantur; ita prorsus in alia, quae repente subiicitur, alterius, ut ita dixerim, generis *Ephebi* memorentur, qui in Epheborum Album *Adlecti*, vel *Adscriptitii* vocarentur; quemadmodum prorsus in Latinis Marmoribus *Adlecti* nomen iis saepissime tributum esse conspicimus, qui in Ordinem aliquem adsciti, cooptati, ceterisque iam inscriptis, eoque munere iam decoratis adiuncti fuerant. Itaque, cum Epheborum tempus integro biennii spatio circumscriptum esse iam dixerim, initio suspicabar *Adlectos*, vel *Adscriptitios* Ephebos hic appellari, qui tunc primum inter Ephebos adlecti, vel inscripti fuerant; cumque veteres alii Ephebi, qui primum in eo munere iam annum exegerant, ita recenserentur, ut ipsorum quilibet in propria Tribu, addito Atticae Populo, ad quem spectaverant, collocarentur; Ephebi novi, recensque in album relati in extrema Marmoris parte promiscue, nulloque Tribuum, aut Populorum discrimine, veluti nuper in Ordinem illum *Adlecti*, vel *Adscriptitii* subiicerentur. Cum tamen in Marmoribus aliis, ac Scriptoribus omnibus Cives illi, qui in Epheborum album relati fuerant, eodem prorsus Ephebi iure fruerentur, eodemque prorsus *Ephebi* nomine designari consueverint; vereri certe quis poterit, ne subtilior ista novorum, veterumque Epheborum distinctio liberius hic instituta, sive proposita videatur. Accedit etiam quod si Ἐπένγραφοι sive *Adscriptitii* nihil aliud hic esse possent, quam Cives alii, qui in Epheborum ordinem recens *adlecti* fuerant, ipsi quoque suis in Tribubus, addito Populi nomine, aliorum instar, inscripti forent; at in eiusmodi Adlectorum serie sola plerumque ipsorum nomina recensentur, nullibi vero ipsorum Tribus, aut Populus, quamvis in Marmore locus supersit, exprimitur: quod argumento certe esse poterit *Adlectos* illos in Atticae Populis inscriptos, adeoque Atheniensis civitatis iure donatos, verosque proinde Ephebos esse non posse. Itaque suspicor, longeque verisimilius existimo, *Adlectorum* nomine Ephebos illos hic designari, qui non ex liberis,

vel

vel Athenienſium civibus, ſed ex inquilinis ipſis in Ephebo-rum ordinem adlecti forent; quibus nimirum aut pretio, aut alia de cauſſa id honoris conceſſum fuerit, ut cum Ephebis aliis Athenienſium civibus in Gymnaſio exercerentur. Ac certe quidem, quod Ephebi eſſe debeant, neque tamen Ephebi cives haberi illi poſſint, ſuperius oſtendi. Itaque id unum ſupererit, ut ex Μετοίκοις *Inquilinis* in Epheborum ordinem aſſumpti, vel adlecti illi fuerint. Nec mirari ſane quis poſſit, quod inquilinis etiam quibusdam in Gymnaſium aditus, idemque fere cum civibus honor concederetur; cum inquilinis ipſis, qui aut opibus, aut eximio in Cives ſtudio excellere viderentur, eadem prorſus *ἰσοτέλεια tributi ſolvendi paritas* cum civibus aliis, atque ab inquilinatu immunitas concedi conſueverit. Hinc Harpocration ait Ἰσοτέλης. *ἰσοτέλεια . . . τιμήτις διδομένη τοῖς ἀξίοις φανεῖσι τῶν Μετοίκων, καθ' ἣν καὶ ἡ τῦ μετοικίυ ἄφεσις ἀυτοῖς ἐγίγνετο. Par cum Civibus tributum ſolvens. In tributo ſolvendo aequalitas . . . . inquilinis, qui eo honore digni viſi fuiſſent, honor dabatur, per quem fiebat ipſis inquilinatus remiſſio*, hoc eſt tributum illud remittebatur, quod pro inquilinatu ſolvere tenebantur. Itaque, ſicuti in tributis praeſtandis inquilini quidam eodem prorſus ac ipſi cives iure, & honore fruebantur, ita non plurimum a vero fortaſſe diſſidet, quod praerogativis etiam aliis ornari potuerint; adeoque ipſorum filii veluti in Epheborum ordinem beneficio adlecti una cum Ephebis aliis in Gymnaſio exerceri, aliaque id genus civium Epheborum munera obire poſſent. Addi etiam poterit, quod ipſa quoque Demoſthenis (1), ac Dinarchi (2) aetate non inquilini ſolum, ſed infimae quoque conditionis homines Athenienſis civitatis iure pretio donari conſueverant; ut proinde Caeſar Auguſtus civitatis iura, ac honores pecunia concedi prohibuerit (3). Ergo ſequioribus fortaſſe poſt Auguſtum ipſum temporibus, quibus ſeverior illa, atque auguſta Athenienſis Reipublicae dignitas gravius adhuc exciderat, non integrum quidem, plenumque civitatis ius, ſed levior tamen honor alius, ac dignitas inquilinis ipſis conceſſa fuerit, ut cum Ephebis civibus certare, gymnaſticis exercitationibus intereſſe, in

 ipſum

(1) Orat. adverſ. Neaer. (2) Orat. adverſ. Demoſthen. (3) Dio Lib. 54. Vid. Meurſi. Fort. Athenar. c. 4. & 5.

ipſum denique Epheborum ordinem aſſumi , vel cooptari poſſent . At in re ſubobſcura , nullique Veterum teſtimonio innixa nihil hic temere definire velim , ſed coniecturas ſolum proponere , ut perſpicaciores alii veram *Adſcriptitiorum* Epheborum originem , ac munera diligentius inquirant .

XXV.

Rhoemetalces Rex

Inſcriptionem hanc Sponius exſcripſit in Pop. Atticae Art. 144.

ΟΙ ΕΦΗΒΕΥΣΑΝΤΕΣ ΕΝ ΡΩΕ..
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΑ....
ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΕΝΙΑΥΤΩΙ..ΠΑΙ
ΔΟΤΡΙΒΟΥΝΤΩΝ ΙΡΕΝΑΙΟΥ..
ΜΗΩΝ ΥΠΟΠΑΙΔΟΤΡΙΒΟΥΝ
ΤΟΣ
ΔΗΜΟΣΘΕΝΟΥΣ ΤΟΥ ΜΥ
ΡΩΝΟΣ
ΚΥΔΑΘΗΝΑΙΕΩΣ
ΑΥΛΟΣ ΒΑΣΣΟΥ ΠΑΛΛΗ
ΝΕΥΣ
ΛΕΟΝΤΙΣΚΟΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ
ΣΟΥΝΙΕΥΣ
ΒΑΣΣΟΣ ΓΑργηττΙΟΣ
ΛΗΝΑΙΟΣ ΕΞ ΟΙΟΥ
ΑΘΗΝΑΙΣ
ΦΙΛΗΜΩΝ ΤΕΜΥΡΙΝΟΥΝΤΙΟΣ
ΧΑΒΡΕΑΣ ΤΙΜΟΚΡΑΤΟΣ ΠΕΙ
ΡΑΙΕΥΣ
ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ ΤΙΜΟΚΡΑΤΟΣ
ΕΥΜΗΔΗΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ
ΝΑΥΚΥΔΗΣ ΙΣΙΔΟΤΟΥ
ΑΦΡΟΔΙΣΙΟΣ ΦΙΛΗΜΟΝος

Ii , qui Ephebi fuerunt in
Regis Rhoemetalcis

Archon-

Archontis anno. Paedotriba Irenaeo . . . .
meon. Sub-Paedotriba
Demosthene Myronis filio *Cydathenaeo*
Aulus Bassus Palleneus
Leontiscus Dionysii filius
Suniensis
Bassus Gargettius
Lenaeus ex Oeo
Athenais
Philemonque Myrrhinusius
Chabrias Timocratis Piraeeus
Aristoteles Timocratis
Eumedes Demetrii
Naucydes Isidoti
Aphrodisius Philemonis.

Rhoemetalcem Thraciae Regem Augusti Caesaris aetate vixisse; ipsumque ab Antonii partibus, in quibus initio fuerat, ad Augustum ipsum descivisse Plutarchus in *Romuli vita*; atque *in Apophthegmatis* testatur. Vaillantius (1) Augusti Caesaris Numum exhibet, in cuius adversa parte legitur ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΟΥ. Fabrettus (2) vero omnium primus ostendit, *Augustum Seniori Rhoemetalci Thracum regi amico, & socio civitatem, & cum ea nomen, praenomenque communicasse*, ut eruditissimus Gorius (3) observavit, ac sequenti Inscriptione mirifice confirmavit.

Iulia. Tyndaris
C. Iuli. Regis
Rhoemetalcis. L.
fecit. sibi. &. suis. &
libertis. libertabus
posterisque. eorum
in. fr p. XII. in. agro. p. XII.

 At

(1) Pag. 6. (2) Inscrip. Antiq. c. 6. Pag. 439. 440. (3) Tom. I. Pag. 211. num. 52.

At Rhoemetalcem ipsum Archontis etiam Eponymi dignitatem Athenis obtinuisse, ex hac Inscriptione erudimur.

In primo autem versu, ubi vel Sponii, vel fortasse potius quadratarii vitio legitur ΕΝ ΡΩΕ ..... legendum putaverim ΕΝ ΤΩ ΕΠΙ. Id innuere mihi videntur Inscriptiones aliae, in quibus eadem phrasis usurpata conspicitur. Sic apud Rheinesium Clas. I. num. 135. Ἐν τῷ ἐπὶ Ναυσίου Ἄρχοντος ἐνιαυτῷ *In Nausiae Archontis anno*. Apud Gruterum Ἐν τῷ ἐπὶ Διονυσίου Ἄρχοντος ἐνιαυτῷ *In Dionysii Archontis anno*. Denique in Oxon. Marm. 132. Pag. 270. Ἐν τῷ ἐπὶ Ζήνωνος Ἄρχοντος ἐνιαυτῷ *In Zenonis Archontis anno*.

In 4. versu pro παιδοτριβυντων rescribi velim παιδοτριβυντος; atque initio 5. fortasse legendum μεων, superiorisque versus lacuna ita supplenda, ut integrum ἐκ Κεραμέων nomen habeatur; adeoque exprimatur Irenaeum illum, qui Paedotribae munus obibat, *ex Ceramensibus*, sive *Ceramo* Atticae Populo fuisse.

In 18. pro Τιμοκρατος malim Τιμοκρατυς; eodemque prorsus modo in 20. versu.

XXVI.

Cl. Heraclides Melitensis

Sponius Inscriptionem istam Athenis olim positam, atque a Wheelero mox in Angliam translatam exhibet in Itinerario ad Pop. Attic. Artic. 106.

ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΚΛ ΗΡΑΚΛΕΙ
ΔΟΥ ΜΕΛΙΤΕΩΣ ΚΟΣΜΗΤΕΥ
ΟΝΤΟΣ ΑΤΤΙΚΟΥ ΤΟΥ......
ΤΟΣ ΓΑΡΓΗΤΤΙΟΣ
ΚΑΙ ΣΥΣΤΑΤΑΙ ΑΥΤΟΙΣ ΑΝΕ
ΓΡΑΨΑΝ
Τ. ΑΙΛΙΟΣ ΛΕΥΚΟΣ ΠΑΛΛΗ..
ΦΙΛΟΙΤΙΟΣ ΓΑΜΟΥ ΜΕΛΙΤ.
ΟΝΗΣΙΜΟΣ ΜΕΝΕΚΡΑΤΟΥΣ
ΣΩΣΙΜΟΣ ΙΣΙΓΕΝΟΥΣ ΠΗλεξ
ΤΕΛΕΣΦΟΡΟΣ ΜΕΝΕΚΡ.....

Sub

Sub Archonte Cl. Heracli-
de Melitensi. Cosme-
ta Attico filio ....
tus Gargettius ,
& Sodales ipsorum in-
scripserunt.
T. Aelius Leucus Palleneus
Philoetius Gami Melitensis
Onesimus Menecratis
Zosimus Isigenis Pelex
Telesphorus Menecratis.

XXVII.

Metrodorus

Haec alia quoque Inscriptio Athenis olim posita, ac deinde in Angliam a Wheelero translata a Sponio exhibetur in Populis Atticae Artic. 101.

ΤΙΒΕΡΙΟΥ ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΚΑΙΣ.
ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ ΕΠΙ ΜΗΤΡΟ
ΔΩΡΟΥ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΚΟΣ
ΜΗτευοντος
ΔΙΟΝΥΣΟΔΩΡΟΥ ΦΛΥΕΩΣ Η
ΓΕΜΟΝΟΣ ΦΙΛΟΣΤΡΑΤΟΥ
ΑΦΙΔΝΑΙΟΥ ΠΑΙΔΟΤΡΙΒΟΥΝ
ΤΟΣ ΕΥΦΡΟΣΥΝΟΥ ΦΑΛΗ
ΡΕΩΣ ΟΠΑ...
ΤΟΥ ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ ΠΑΛΛΗ
ΝΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΑΖΗ
ΝΙΕΥΣ ΦΙΛΟυς
ΚΑΙ ΣΥΝΕΦΗΒΟΥΣ

ΑΙΟΛΙΩΝΑ	ΗΡΑΚΛΙΩΝ
ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ	ΗΡΑΚΛ....
ΦΛΥΕΑ	ΜΑΡΑΘ...
ΘΕΟΓΕΝΗΝ	ΧΑΡΟΠΕΙΝΟ..
ΚΗΦΙΣΙΕΑ	ΤΡΥΦΩΝΑ
	ΕΥΔΗΜΩΝ
	ΛΗΝΑΙΟΣ

ΔΙΟΝΥΣΟΔΩΡΟΝ	ΣΚΑΜΑΝ
ΔΡΟΝ ΣΥΜΦΕ	....
ΣΩΤΑΝ	ΑΠΟΛΛΟΔΩ
ΑΡΙΣΤΩΝΑ	ΡΟΝ ΑΘΗΝαιου
ΑΙΣΙΔΩΡΑΝ	ΣΥΜΜΑΧΟΝ
ΖΩΙΛΟΝ	Θ ....
ΜΕΝΑΝΔΡΟΝ	ΣΤΕΦΑΝου
ΑΝΤΙΓΟΝΟΝ	ΔΙΟΝΥσιου

Tiberii Claudii Caesaris Bonae Fortunae. Sub Metrodoro Archonte. Cosmeta Dionysodoro Phlyeo. Duce Philostrato Aphidnaeo. Paedotriba Euphrosyno Phalereo. Sub-Paedotriba *Antigono Pallenensi. Alexander Azeniensis* Amicos, *Et Ephebos Socios* inscripsit.

Aeolionem	*Heraclium*
Antipatri	*Heraclidis*
Phlyeum	*Marathonium*
Theogenem	*Charopinum*
Cephisiensem	*Tryphonem*
	Eudemum
	Lenaeum
Dionysodorum	*Scaman.*
drum Symphe	*.....*
Sotam	*Apollodo-*
Aristonem	*rum Athenaei*
Isidorum	*Symmachum*
Zoilum	*Th. ....*
Menandrum	*Stephanum*
Antigonum	*Dionysii.*

Metrodori huius Archontis nomen Tiberii Caesaris aetate Fastis inscribendum esse iam constat; iis nimirum temporibus, quibus Themistoclem quoque Fastis ipsis adiungendum esse iam diximus. Praeter Cosmetam, ac Paedotribam, Ηγεμονος *Ducis* etiam nomen, ac dignitas in hoc Marmore, in ceteris omnibus omissa, nobis occurrit.

In 9 versu, ac 10. pro ΟΠΑ ..... ΤΟΥ libentius legerem ΥΠΟΠΑΙΔΟΤΡΙΒΟΥΝΤΟΣ *Sub-Paedotriba*; ut quemadmodum nempe in superiori versu *Paedotribae* nomen, eiusque Populus exprimitur, ita quoque simplex *Sub-Paedotribae* nomen, ac Populus hic indicetur. In 12. versu supplendum putaverim Φιλους *Amicos*; quemadmodum prorsus in alio Marmore (1) Φιλους *Amicos* recensitos esse conspicio. In 14. Ηρακλιον. in 17 Χαροπινον. In 19. Ευδημον. In 20. rescribendum arbitror Ληναιον, sive Ληναιου: cum Ληναιος virile nomen in alio quoque Marmore reperiatur (2). Itaque levior est certe Sponii coniectura, qui ex hoc ipso Marmore *Lenaei* Populi nomen afferi, ac illustrari posse putavit. Quemadmodum enim pleraque Civium nomina, omisso *Populo*, hic recensentur, ita quoque facile Ληναιος *Lenaeus* non ut *Populi*, sed ut Viri, nomen inscribitur.

XXVIII.

Te .... nius Ponticus Bessaeus



Theopompus Thalami f. Paeaniensis

Athenis in Templo Thesei sequens Inscriptio posita, atque a Sponio exscripta fuit in Populis Atticae Art. 146.

ΑΓΑΘΗΙ

ΤΥΧΗΙ

ΕΠΙ ΤΟΥ ΜΕΤΑ ΤΕ....ΙΟΝ
ΠΟΝΤΙΚΟΝ ΑΡΧΟΝΤΑ ΕΝΙ
ΑΥΤΟΥ Η ΠΡΥΤΑΝΕΙΑΣ ΟΙ

ΠΡΥ-

(1) Num. 22. (2) Num. 25. vers. 15.

ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ ΤΗΣ ΠΑΝΔΕΙΟ
ΝΙΔΟΣ ΦΥΛΗΣ ΤΕΙΜΗΣΑΝ
ΤΕΣ ΑΥΤΟΥΣ ΑΙΣΕΙΤΟΥΣΑ
ΝΕΓΡΑΨΑΝ ΕΠΩΝΥΜΟΣΘΕΟ
ΠΟΜΠΟΣ ΘΑΛΑΜΟΥ ΠΑΙΑ

ΠΑΙΑΝΙΕΙΣ	ΣΤΕΙΡΙΕΙΣ
ΦΛ. ΑΡΡΙΑΝΟΣ	ΓΕΛΛ. ΤΕΙΜΟ
ΦΛ· ΠΥΡΦΟΡΟΣ	ΘΕΟΣ
ΦΛ. ΦΙΛΟΤΕΙ	ΦΛ. ΝΕΙΚΟΜΑ
ΜΟΣ	ΧΟΣ
ΑΙΛ. ΚΑΛΛΙΑΣ	ΘΕΟΔΩΡΟΣ
ϹΤΑ. ΦΙΛΩΝ	ΠΡΕ
ΚΛ. ΘΕΥΔΙΑ	ΘΕΟΔΩΡΟΣ
ΝΟΣ	ΝΡ.
ΚΛ. ΑΠΟΛΛΩ	ΠΡΑΣΙΕΙΣ
ΝΙΟΣ	
ΑΝΤΙΔΟΧΟΣ	ΗΡΩΔΗΣ ΛΕΩ
ΔΕΙΟΣ ΠΥΤΟΥ	ΝΙ
ΙΩΝΙΚΟΣ ΑΒΡ	
ΩΝΟΣ	ΑΓΓΕΛΗΘΕΝ
...ΙΜΟΣ ΑΘΗ	ΕΙΣΙΔΟΤΟΣ
ΝΑΙΟΥ	ΦΗΛΙ.
ΕΠΑΦΡΟΔΕΙ	ΜΟΥΣΑΙΟΣ
ΤΟΣ ΑΘΗΝΑΙ	ΔΙΟΝ.
ΘΕΩΝ ΔΙΟΝΥ	
ΣΙΟΥ	ΜΥΡΡΙΝΟΥ
ΦΟΙΒΟΣ ΚΤΗ	ΣΙΟΙ
ΣΙΟΥ	ΑΡΤΕΜΩΝ ΕΥ
ΕΥΠΟΡΟΣ ΕΡ	ΧΑ.
ΜΟΝΑΚΤΟΣ	ΤΑΧΙΔΙΟΣ
ΣΑΡΠΗΔΩΝ	ΦΑΡΝΑ
ΑΝΤΙΟΧΟΥ	ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ
ΑΦΡΟΔΕΠΙΟΣ	ΒΟΥΛΗΣ
ΠΟΛΥΜΝΗ	ΔΙΟΝΥΣΟΔΩ
ΚΟΡΥΜΒΟΣ	ΡΟΣ
ΤΡΥΦΩΝ ΕΠΑ	ΙΟΥ. ΙΕΡΟΦΑ
ΦΡΟΔΕΙΤΟΥ	ΝΤΗΣ
ΘΕΟΦΙΛΟΣ	ΠΟΜ. ΔΑΔΟΥ
ΚΥΔΑΘΗΝΑΙΕΙΣ	ΧΟΣ

45. ΦΛ.

ΦΛ. ΑΜΒΑΚ
ΧΙΟΣ ΕΥΠΟ
ΡΟΣ

ΙΠΟΚΛΕΙΔΗΣ
ΜΗΤΡΟΔ.
ΗΛΙΟΔΩΡΟΣ
ΑΡΤΕΜΩΝΟΣ
ΑΡΤΕΜΩΝ

ΠΑΙ..ΕΡΟ...Ξ..
ΜΕ....ΜΩΝ
....ΗΡΥΞ ΒΟ..
ΚΑΙ ΔΗΜΟΥ
ΕΡ.... ΝΕΙΚΑΓΟ
ΡΟΥ
...... ΜΑΤΕΥΣ
... ΒΟΥΛΗΣ
ΜΗΝΟΔΟ.....
ΙΟΥΛ. ΖΗΝΟ
ΒΙΟΣ

ΠΡΕΙΜΟΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ
ΑΝΤΙΓΟΝΟΣ ΝΟΥΜΗΝΙΟΥ
ΑΦΡΟΔΕΙΣΙΟΣ ΕΙΣΙΔΟΤΟΥ
ΖΩΣΙΜΟΣ ΕΙΣΙΔΟΤΟΥ
ΠΕΙΝΑΡΙΟΣ ΦΙΛΗΜΟΝ.
ΑΝΤΙΓΡΑΦΕΥΣ ΠΑ..ΧΟΣ
ΠΕΡΙ ΤΟ ΒΗΜΑ ΚΟΡΜΕΝΕΣΘΕ
ΙΕΡΑΥΛΗΣ ..ΟΝΟΣ ΕΠΙΣΚΙ . . .
ΥΠΟΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ ΜΥΡΩ...

Bonae Fortunae

Proximo *post Te . . . . ium Ponticum Archontem anno . IX. Prytania . Prytanes Pandionidis Tribus honorantes seipsos , & Parasitos inscripserunt . Eponymus* Archon erat *Theopompus Thalami Paea*niensis

Paeanienses
Fl. Arrianus
Fl. Pyrphorus
Fl. Philotimus
Ael. Callias
Sta. Philo
Cl. Theudianus
Cl. Apollo-

Stirienses
Gell. Timotheus
Fl. Nicomachus
Theodorus senior
Theodorus iunior
Prasiei

nius
Antidochus
Dius Pyti
Ionicus Abro-
nis
. . . *imus Athe-*
naei
Epaphrodi-
tus Athenaei
Theon Diony-
sii
Phoebus Cte-
siae
Euporus Her-
monactis
Sarpedon
Antiochi
Aphrodisius
Polymne
Corymbus
Trybon Epa-
phroditi
Theophilus
Cydathenaei
Fl. Ambac-
chius Eupo-
rus
Hiroclides
Metrodori
Heliodorus
Artemonis
Artemon

Herodes Leo-
nidis
Angelei
Isidotus
Felicis
Musaeus
Dion . . . .
Myrrhinu
sii
Artemon Eu-
cha . . .
Tachidius
Pharna
Scriba
Senatus
Dionysodorus
Iulii Hierophan-
ta
Pom. Taedi-
fer
Pae . . . *Sacer Praeco*
Me . . . *mon*
Praeco Senatus
& Populi
Her . . . *Nicago-*
rae
Scriba
Senatus
Menodorus
Iul Zeno-
bius

Primus Alexandri
Antigonus Numenii
Aphrodisius Isidoti
Zosimus Isidoti
Pinarius Philemonis

Con-

Contra-Scriba Pa. . . chus
Assistens ad Tribunal Cormenesthe . .
Sacer Tibicen . . . onus Episci
Sub-Scriba Myron.

Archontis huius Eponymi nomen, quod maxima ex parte hic exesum conspicitur, ex altera Inscriptionis parte, quae in eodem ipso Marmore reperitur, supplevi; cum ibi Sponio teste legatur.. νιον Ποντικον Βησ. . . Eiusmodi vero Inscriptionum, in quibus duorum Archontum nomina exprimuntur, quorum unus proxime post alium imperaverit, exempla varia apud Gruterum, & Meursium (1) occurrunt.

Pleraque ex nominibus, aut dignitatibus, quae in eximio hoc Marmore memorantur, opportunius alibi exposui, ubi de *Parasitis*, ipsorumque numero, ac varietate disserui. (2) Exinde vero facile deprehendi etiam poterit quod hic in 8. Marmoris versu ἀυτὲς, ϗ Α'ισίτυς *seipsos, ac Parasitos* scribendum fuerat; non modo quod haec ipsa phrasis, solemnisque formula in Marmoribus aliis mox proferendis usurpetur; verum etiam quod in hoc ipso Marmore post *Prytanes* etiam *Parasiti* recenseantur. In 17. versu Πρεσβύτερος *Senior*; atque in 19. Νεώτερος *Iunior* legendum esse demonstrant exempla plurima, quibus aperte erudimur in Graecis etiam Marmoribus, Latinorum instar, voces illas apponi consuevisse ut duo cognomines cives intersese distinguerentur. Ita apud Sponium Α'υρήλιος Ε'υέλπιςος Μαραθώνιος πρεσβύτερος (3) *Aurelius Evelpistus Marathonius senior* occurrit; atque in alio Marmore apud Sponium ipsum (4) legitur Π. Ουηδιου Αβασκαντου Νεωτερου Ουηδιος Αβασκαντος Νεωτερος; latinisque literis mox scriptum, vel explicatum conspicitur *P. Vedius Abascantus Iunior*. In 38. pro Αφροδεπιος legendum Αφροδεισιος, prorsus ut in 57. versu reperitur.

Denique Πομ . . . *Pompeii*, sive *Pomponii* nomen non ad *Daduchum*, qui sequitur; sed ad *Hierophantam* potius, qui praecesserat, revocavi, ut dignitatum, simulque nominum series apte cohaereret; hoc est ubique *dignitatis* nomen *Civis* istius nomen praecederet, qui dignitatem illam obtinuit.

 XXIX. *M.*

(1) De Arch. Ath. Lib. IV. c. 10. (2) Num. 10. & 11. (3) Pop. Attic. Art. 104, (4) Itiner. Tom. III. Pag. 133.

XXIX.

M. Valerius Mamertinus Marathonius

Inter Inſcriptiones a Cyriaco Anconitano collectas, Romaeque editas anno 1637. ſequens Inſcriptio reperitur Pag. 13. Num. 96.

In agro Athenarum
ad marmoream Aedem Martis.

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ
ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟΣ Μ. ΒΑΛΕΡΙΟΥ ΜΑΜΕΡΤΙΝΟΥ ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΥ
ΠΡΥΤΑΝΕΙΑΣ ΙΓ ΟΙ ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ ΤΗΣ ΠΑΝΔΕΙΟΝΙΔΟΣ
ΦΥΛΗΣ ΤΗΜΗ. ΠΑΝΤΕΣ ΕΑΥΤΟΥΣ ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΑΙΣΙΜΟΥΣ
ΑΝΑΓΡΑΨΑΝ. ΜΝΥΜΟΣ ΦΛΕΥΘΥΚΟΜΑΣ ΠΑΙΑΝΙΕΙΣ
ΚΥΔΑΘΗΝΑΙΕΙΣ ΣΑΚΤΟΣ ΒΑΚΧΙΟΣ ΔΑΣΟΥ Μ. ΘΑΛΗΣ
ΠΡ ΔΑΣΟΥ Μ. ΘΑΛΗΣ. ΝΕ ΔΑΣΟΥ. Μ. ΝΙΚΟΚΡΑΤΗΣ ΗΛΙΟ-
ΔΩΡΟΣ * *
ΑΡΤΕΜΩΝΟΣ. ΑΡΤΕΜΩΝ ΑΡΤΕΜΩΝΟΣ ΚΕΛΑΔΟΣ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΤΡΥΦΩΝ ΚΕΛΑΔΟΥ ΔΗΜΕΤΡΙΟΣ ΚΕΛΑΔΟΥ
ΦΛ. ΔΙΟΤΙΜΟΣ ΚΛ. ΖΗΘΩΣ ΖΩΠΥΡΟΣ
ΕΙΣΙΔΟΤΟΥ. ΕΙΣΙΔΟΤΟΣ. ΣΤΕΙΡΙΕΙΣ

ΤΑΜΙΑΣ	ΕΥΤΑΞΙΑΣ	ΕΥΤΑΞΙΑΣ
ΕΠΕΡΑΣΤΟΣ	ΑΜΦΙΩΝ	ΔΗΜΕΤΡΙΟΣ
ΜΕΝΑΝ	ΣΟΣΙΒΙΟΥ	ΔΗΜΕΤΡΙΟΣ
ΔΡΟΥ	ΕΡΩΙΑΔΗΣ	ΚΗΦΕΙΣΙΕΥΣ

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΕΔΟΙΟΥ.

Quod fauſtum ſit
Sub Archonte M. Valerio Mamertino Marathonio
Prytania XIII. Prytanes Pandionidis
Tribus honorantes ſeipſos, ac Paraſitos
inſcripſerunt. Mnymus Phleutycomas Paeanienſes.
Cydathenaei Sactus Bacchius Daſi filius *M. Thales*
ſenior *Daſi f. M. Thales* iunior *Daſi f. M. Nicocrates. Helio-dorus*
Artemonis, Artemon Artemonis. Celadus

Dio-

* Deſunt in Murat.

Dionysii, Tryphon Celadi, Demetrius Celadi,
Fl. Diotimus, Cl. Zethus Zopyrus
Isidoti, Isidotus. Stirienses

Quaestor	*Disciplinae* Praef.	*Disciplinae*
Eperastus	*Amphion*	*Demetrius*
Menan-	*Sosibii*	*Demetrii*
dri	*Eroiades*	*Cephisiensis*
Alexander	*Alexandri*	*ex Oeo*

Haec eadem Inscriptio apud Cl. Muratorium occurrit Pag. 571. Num. 1. cum hac epigraphe

Athenis
In agro ad marmoream Martis Aedem
E Schedis meis, & Cyriaci Anconitani.

At in Schedis illis, quas Muratorius exscripsit, non modo voces aliquae in versu 8. exciderunt, quae in edito, meliorique Cyriaci exemplari reperiuntur; verum etiam quatuor integri postremi versus omnino desiderantur. Quandoquidem vero tum in Cyriaci, tum in Muratorii exemplo legitur ΦΥΛΗΣ ΤΗΜΗΠΑΝΤΕΣ ΑΥΤΟΥΣ ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΑΙΣΙΜΟΥΣ hoc quadratarii, vel exscriptoris vitium in caussa fuit, ut doctissimus vir voces illas latine redderet *ad honorem Tribus omnes seipsos, & Aesimos scripserunt*. Etenim, ut accurate in subiectis adnotationibus observavit, Αισυμων *nomine* (*decens graece id sonat*) *fortassis Officiales designantur*. Ex pluribus tamen Inscriptionibus aliis, atque praesertim ex illa, quam superiori loco iam protuli, perspicuum fiet non ΤΗΜΗΠΑΝΤΕΣ, & ΑΙΣΥΜΟΥΣ, sed hic etiam ΤΕΙΜΗΣΑΝΤΕΣ vel ΤΙΜΗΣΑΝΤΕΣ, & ΑΙΣΙΤΟΥΣ legendum esse, adeoque latine reddendum *honorantes seipsos*, & *Parasitos*, ut in superiori interpretatione conspicitur.

Illud hic etiam observari maxime velim quod in superiori quidem Marmore Pandionis Tribus in Prytaniarum ordine *nona*; in hoc autem *tertia decima* fuisse dicitur; quod mirifice hypothesim illam confirmat, quam argumentis aliis Dissert. IV. Num. 16. contra Dodvellum exposui.

In 7 versu ubi ΠΡ. simulque ΝΕ. scriptum conspicitur; Πρεσβύτερος, ac Νεώτερος *senior*, ac *iunior* intelligi, sup-

pleri-

plerique debet; ut in ſuperiori quoque Marmore verſu 17. & 19. legendum eſſe iam docui. Quandoquidem vero in Cyriaci exemplo, quod Cl. Muratorius exhibuit, eiuſmodi vocum compendia ita efformantur, ut ſecunda litera P ſupra Π; itemque E ſupra N collocetur, id argumento eſſe poterit in aliis etiam vocum compendiis, nexibuſque, qui ſubinde occurrunt, integras voces ita efferendas, ſive legendas eſſe, ut ab inferiori ſubiectaque litera initium ducatur. Itaque, cum in Hadriani Caeſaris lege, quam Sponius ex-

E O E

ſcripſit (1), initio legatur: Κ Ν Θ ΑΔΡΙΑΝΟΥ non Εκ Νομοθεσιας Αδριανυ *ex Conſtitutione Hadriani* legendum erit, ut Sponius ipſe putaverat; ſed longe veriſimilius, ut opinor, Κελευσμα Νομιμον Θεου Αδριανου *Sanctio inſtar legis Divi Hadriani*.

In 14. verſu pro Δημετριος reſcribendum erit Δημητριου; atque in 16. ſive poſtremo non Εδοιου, ſed Εξ Οιου legendum.

Denique, ne minutioribus aliis hic immorer, cum inter *Cydathenaeos* verſu 7. & 8. *Heliodorus Artemonis* filius, & *Artemon* veluti *Prytanes* memorentur; eademque prorſus nomina in ſuperiori etiam Marmore veluti *Prytanum* inter *Cydathenaeos* habeantur, ſuſpicari certe, nec immerito fortaſſe, quis poterit utrumque Marmor iisdem fere temporibus inſculptum eſſe; adeoque tres Archontes illos, qui in his Marmoribus memorantur, iisdem fere temporibus imperaſſe. Itaque cum in hoc Marmore XIII. *Prytania*, adeoque XIII. Tribus perſpicue memoretur, perſpicuum fiet *M. Valerium Mamertinum* poſt Hadriani Caeſaris imperium Archontis munere perfunctum fuiſſe; adeoque iisdem fere temporibus duos etiam Archontes alios Eponymorum Faſtis inſcribendos eſſe.

XXX.

M. Munatius Maximianus Vopiſcus.

Inſcriptio apud Sponium in Pop. Atticae Artic. 42.

... ΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ
.. Σ... Μ. ΜΟΥΝΑΤΙΟΥ ΜΑΞΙ

MIA-

(1) Itiner. Tom. III. Pag. 24.

ΜΙΑΝΟΥ ΟΥΟΠΙΣΚΟΥ
... ΠΡΥΤΑΝΕΙΑΣ ΟΙ ΠΡΥΤΑ
ΝΕΙΣ ΤΗΣ ΚΕΚΡΟπιδος Φυλης
ΤΙΜΗΣΑΝΤΕΣ ΑΥΤΟΥΣ ΚΑΙ
ΤΟΥΣ ΑΙΣΙΤΟΥΣ ΑΝΕΓΡΑ
ΨΑΝ

ΑΛΑΙΕΙΣ	ΑΙΣΙΤΟΙ
ΑΝΝΙΟΣ ΠΙΣ	ΙΟΥΛ. ΙΕΡΟ
ΤΟΚΡΑΤΗΣ	ΦΑΝΤΗΣ
ΙΕΡΕΥΣ ΔΗΜΗ	ΑΙΛ. ΔΑΔΟΥ
ΤΡΙΟΣ	ΧΟΣ
ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ	ΕΡΕΝΝΙΟΣ ΙΕ
ΣΚΡΙΤΟ...ΚΟΣ.	ΡΟΚΗΡΥΞ
ΝΙΚΩΝ .... ΔΩ	ΜΕΜ. ΕΠΙΒΩ
ΡΟΥ	ΜΟΙ

ΑΙΞΟΝΕΙΣ

ΣΤΕΦΗΦΟΡΟΥ
ΑΓΝΟΣ ΣΤΕΦΗΦΟΡΟΥ
ΟΝΗΣΙΜΟΣ ΣΤΕΦΗ
ΦΟΡΟΥ

ΕΡΜΕΙΑΣ
ΕΡΜΕΙΑΣ
ΕΡΜΟΓΕΝΗΣ ΕΡΜΕΙΟΥ

ΠΙΘΕΙΣ

ΗΛΙΟΔΩΡ.. ΗΜΟ
ΔΩΡΟΥ
ΕΠΙ ΚΛ. . . . .
ΕΥΧΑΡΙΣΤΟΣ
ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ ΒΟΥ
ΛΕΥΤΩΝ ΣΤΡΑ
ΤΩΝ ΟΛΥΜΠΙΟΥ ΜΕΛΙΤΕΥΣ.

Quod faustum sit.
Archonte M. Munatio Maxi-
miano Vopisco
. . . Prytania . Pryta-

nes Cecropidis Tribus
honorantes ſeipſos, &
Paraſitos inſcripſerunt.

Halaei	*Paraſiti*
Annius Piſtocrates	*Iul. Hierophanta*
Sacerdos Demetrius	*Ae- Taedifer*
Demetrius	*Perennius Sacer*
Scrito.... cus	*Praeco*
Nicon.... dori	*Mem. aſſiſtens Altari.*

Aexonenſes
Stephephorus
Agnus Stephephori
Oneſimus Stephephori
Hermias
Hermias
Hermogenes Hermiae
Pythei
Heliodorus... emodori
Epicl....
Euchariſtus
Scriba Senatorum Strato Olympii Melitenſis

Nullus hic dubito quin Inſcriptionis huius initio ſupplendum ſit Ἄρχοντος *Archonte*, ſive ἐπὶ Ἄρχοντος *Sub Archonte*. Ἁλαὶ *Halae* vero, quae hic ſub Cecropide Tribu collocantur, ſunt Ἁλαὶ Αἰξωνίδες *Halae Aexonenſes*; nam Ἁλαὶ Ἀραφηνίδες *Halae Araphenides* ad Aegeidem Tribum ſpectabant. Et certe mox Αἰξονεῖς *Aexonenſes*, & Πυθεῖς *Pythei* etiam inter Cecropidis Tribus Populos hic memorantur; in quo Marmor ipſum cum Scriptoribus omnibus mire conſentit.

In

In recenſendis autem *Paraſitorum*, ſive Miniſtrorum nominibus ita Marmor iſtud ab alio Marmore, quod ſuperius (1), exhibui, differre conſpicitur, ut in illo quidem prius *dignitatum*, tum *civium* nomina memorentur; in hoc vero prius Athenienſis *civis* nomen, mox *dignitas* exponatur. In 19. verſu pro Στεφηφορου legendum arbitror Στεφηφορος; niſi fortaſſe nomen aliud praeceſſerit, quod diligentiſſimi Sponii oculos effugerit.

XXXI.

Demoſtratus Marathonius

Haec ipſa quoque Inſcriptio Athenis a Sponio inventa in Atticae Populis exhibetur Artic. 42.

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ

... ΔΗΜΟΣΤΡΑ	*Notae Sponii*
ΤΟΥ ΜΑ....	i. e.
....ΟΙ ΠΑΙΑΝΙ	ἀδριανίδοσ
ΕΙΣ ΤΗΣ ΑΔ..	i. e.
....ΑΝΤΕΣ ΕΑΥ	τειμήσαντες
ΤΟΥΣ....	... ΑΙΕΣ
.... ΑΥΤΟΚΡΑ	ΙΕΡΟΦΑΝΤΗΣ
ΤΩΡ...	ΙΕΡΟΚΗΡΥΞ
...ΟΣ ΑΔΡΙΑ	ΕΠΙΒΩΜΟΙ
ΝΟΣ	ΚΗΡΥΞ ΙΟΥΛ.
....	ΝΕ..
ΕΛΕΟΥΣιοι	ΜΟΥ ΟΥΟΠΙ
ΕΥΠΑΙΔΕΙΟΣ	ΣΚΟΥ
	ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ
ΟΑΘΕΝ	βουΛΗΣ ΚΑΙ
..ΟΣ ΕΡΜΕΙΟΥ	ΔΗΜΟΥ
ΦΙΛΕΡΩΣ ΚΑΛ	ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ
ΛΙΣΤΟΥ	ΠΕΡΙ ΤΟ ΒΗΜΑ
ΓΕΝΕΘΛΙΟΣ	ΟΝΗΣΙΜΟΣ
ΠΡΩΤΟΥ	ΕΥΤΥΧΙΔΟΥ
ΣΥΜΦΕΡΩΝ	ΑΝΤΙΓΡΑΦΕΥΣ

(1) Num. 28.

ΑΛ...
...ΜΙΑΝΟΣ
ΠΛ... ΗΩΝ...
ΩΤΟΥ
ΦΙΛΩΝ ΕΛΕΥ
ΣΙΝΙΟΥ
ΑΓΝΕΑΝΔΡΟΣ
ΕΛΕΥΣΙΕΥ
Κ.. Δ.. Ν
ΦΙΛΟΚΛΗΣ
....
....
....

ΕΥΠΟΡΙΣΤΟΣ
ΙΕΡΑΥΛΗΣ
ΑΦΡΟΔΕΙΣΙΟΣ
ΙΕΡΕΥΣ ΦΩΣΦ..
ΚΑΙ ΕΠΙΣΚΙΑ
ΔΟΣ
ΕΡΜΕΙΑΣ
ΑΞΗΝΙΕΥΣ
ΠΡΟΓΡΑΜΜΑ
ΤΕΥΣ
ΜΥΡΩΝ

Quod faustum felixque sit.

Archonte *Demostra-*
*to Mara*thonio
... Prytania *Pryta-*
*nes Hadri*anidis Tribus
honorantes seipsos, &
Parasitos inscripserunt.
. . . . . *Impera-*
tor Titus
Aelius Hadria-
nus . . . .
. . . .
Eleusii
Eupaedius
Ex Oa
. . . *us Hermiae*
Philerus Cal-
listi
Genethlius
Proti
Sympheron
Al. . . . .
. . . *mianus*

Parasiti
Hierophanta
Sacer Praeco
Assistens Altari
Praeco Iul.
Ne. . .
mi Vopisci
Scriba
Senatus, &
Populi
Alexander
Adstans Tribunali
Onesimus
Eutychidis
Contra-scriptor
Euporistus
Sacer Tibicen

Pl.

Pl. . . . eon. . .	*Aphrodisius*
oti	*Sacerdos Phosphori*
Philo Eleusi-	*& Episcia-*
nii	*des*
Agneander	*Hermias*
Eleusi . . .	*Azeniensis*
C. . d. . . n.	*Sub-Scriba*
Philocles	*Myron*

. . . .

. . . .

. . . .

In lacerae, mutilaeque huius Inscriptionis initio legendum, sive supplendum existimo Ἐπὶ Δημοςράτου *Sub Demostrato*, vel Ἄρχοντος Δημοςράτου Μαραθωνίου οἱ Πρυτάνεις τῆς Ἁδριανίδος φυλῆς τιμήσαντες ἑαυτοὺς καὶ τοὺς Ἀεισίτους ἀνέγραψαν. Αὐτοκράτωρ Τ. Αἴλιος Ἁδρίανος &c. *Archonte Demostrato Marathonio Prytanes Hadrianidis Tribus honorantes seipsos & Parasitos inscripserunt. Imperator T. Aelius Hadrianus &c.* Ceteros autem errores illos, aut lacunas hic nihil moror, quae in eiusmodi Inscriptione frequentes occurrunt, cum facile ex Inscriptionibus aliis corrigi, sive suppleri possint.

Ita in 7. versu pro ΑΙΕΣ legendum arbitror ΑΕΙΣΙΤΟΙ *Aisiti*, vel Parasiti, quod ita prorsus in alio Marmore (1) scriptum conspiciatur. In 30. pro Ελευσιευ libentius legerem Ελευσινιου; adeoque *Agneandrum*, Philonis instar, *Eleusinii* filium fuisse dicerem. Denique de *Phosphori*, sive *Phosphoriorum* Sacerdote, atque *Episciade* opportunius alibi differui (2) quid facile obscuris eiusmodi vocibus exprimatur.

XXXII.

M. Aurelius Lithophorus Prosdectus
&
Thraso Thrasigenis

Vltimo tandem loco duas etiam Inscriptiones alias, aut Marmora subiecisse iuverit; quamvis ambiguum plane, ob-

(1) Num. 30. (2) Num. 10.

scurumque existimem an Eponymus Atheniensis Archon in ipsarum alterutra memoretur; adeoque *M. Aurelius*, & *Thraso* Atheniensium Archontum Fastis inscribi debeat. Itaque, ut a prima exordiar, Sponius in Pop. Attic. Art. 74. hoc Marmor exhibuit, quod a Cl. quoque Muratorio Pag. 549. sive Classe VIII. num. 2. profertur.

ΔΗΜΗΤΡΙ ΚΑΙ ΚΟΡΗΙ
Η ΙΕΡΑ ΓΕΡΟΥΣΙΑ Μ. ΑΥ
ΡΗΛΙΟΝ ΛΙΘΟΦΟΡΟΝ ΠΡΟ
ΣΔΕΚΤΟΝ ΠΙΣΤΟΚΡΑ
ΤΟΥΣ * ΚΕΦΑΛΗΘΕΝ ΠΡΕΣ * Mur. ΠΙΣΤΟΚΡΑΤΟΥ
ΒΕΥΣΑΝΤΑ ΠΡΟΙΚΑ ΤΙΜΗ
ΘΕΝΤΑ ΔΕ ΥΠΟ ΘΕΟΥ
ΚΟΜΜΟΔΟΥ ΤΗ ΡΩΜΑ
ΙΩΝ ΠΟΛΕΙΤΕΙΑ ΑΡΞΑΝ
ΤΑ ΤΟΥ ΚΗΡΥΚΩΝ ΓΕ
ΝΟΥΣ ΑΡΞΑΝΤΑ ΤΗΣ ΙΕ
ΡΑΣ ΓΕΡΟΥΣΙΑΣ ΕΥΣΕΒΕ
ΙΑΣ ΕΝΕΚΑ
ΑΤΤΙΚΟΣ ΕΥΔΟΞΟΥ ΣΦΗΤ
ΤΙΟΣ ΕΠΟΙΗΣΕ * * Mur. ΕΠΟΙΗΣΕΝ

Cereri, & *Puellae* Proserpinae.
Sacer Senatus M. Aurelium Lithophorum Prosdectum filium *Pistocratis Cephalensem*, *qui Legationem sine mercede obivit*, *atque honoratus est a Divo Commodo Romanorum Civitate*;
Praeconis, atque *in sacro Senatu Senatoris munere perfunctus fuit*,
Pietatis ergo honorat statua.
Atticus Eudoxi filius *Sphettius fecit*.

Eximio huic Marmori illustrando observari poterit quod in alia Inscriptione (1) Athenis Hadriani Caesaris aetate posita

(1) Spon. Itin. Tom. III. Pag. 50. Vid. Differt. IV. Num. 6.

sita nominatur . . . . μας Προσδεκτȣ Κεφ. . . . *ma Prosdecti* filius *Cephalensis*: quemadmodum apud Rheinesium Class. III. num. 86. *M. Aurelius Nicephorus Prosdectus* Ephorus Bytiles in Messenia memoratur. Illud etiam inter alia *M. Aurelii* nostri decora, ac merita recensetur quod Patriae nomine Legationem *sine mercede* obiverit: quod nimirum Legatis aliis drachmae duae in singulos dies solvi solerent, ut perspicuo Aristophanis(1), aliorumque testimonio facile ostendi posset. Cum a Divo Commodo Romanae civitatis iure donatus dicatur, perspicue apparet M. Aurelium istum sub Commodo, eiusque successore Pertinace, hoc est circa annum Chr. 190. sive Olympiadem CCXLII. floruisse. Quandoquidem vero mox M Aurelius ipse fuisse dicitur ἄρξας τȣ̃ Κηρύκων γένȣς, ἄρξας τῆς ἱερᾶς γερȣσίας, non facile profecto ego dixerim quid obscurioribus, insuetisque eiusmodi vocibus exprimatur. Sponius quidem verbis illis intelligi, vel declarari putavit quod M. Aurelius *Praeconum munus*, *sacrumque Senatum instituit*: sed antiquior est certe vel Praeconum, vel Senatus origo, ut ipsius institutio ad M. Aurelii, vel Commodi Caesaris tempora referri illa possit. Longe verisimilius, & accuratius eadem Marmoris verba explicavit, latineque reddidit Muratorius: *primas egit tum in Cerycum genere*, *tum in Sacro Senatu*: cum praesertim varios Athenis Cerycum, vel Praeconum ordines fuisse opportunius alibi demonstraverim (2). Neque tamen hinc fieri, vel inferri posse crediderim ut M. Aurelius ille, qui ἄρξας τῆς ἱερᾶς γερȣσίας *principem in Sacro Senatu locum obtinens* in Marmore appellatur, Eponymus Atheniensis Archon haberi, ac Eponymorum proinde Fastis inscribi possit. Etenim, sive *Areopagiticus*, sive *Sexcentorum* Senatus in Marmore indicetur (uterque nimirum *Sacri* nomine in Marmoribus decoratur) Eponymus Atheniensis Archon neque in Areopagitico, neque in Sexcentorum Senatu *Princeps* esse, vel appellari consueverat; ut ex Atheniensis Reipublicae forma perspicue colligitur, quam Dissert. VI. fusius exposui. Itaque, nisi plurimum fallor, quamvis magnificis verbis illis suprema quaedam dignitas, vel magistratus aliquis designari videatur, quem M. Aurelius ille susceperit, nihil tamen aliud expressum, vel intelligendum esse

puta-

(1) Acharn. init. (2) Num. 10.

putaverim, nisi quod ille *Praeconis*, & *Senatoris* munere perfunctus fuit. Siquidem nitide, diserteque testatur Suidas (1) quod Attici κοινότερον κ) τὰς μικρὰς ἐπιςασίας, κ) λειτουργίας Α'ρχὰς ἔλεγον. κ) τὸ βουλεῦσαι Α'ρξαι. Φυλὴ γὰρ ἐπιςασία. *communiter parvas etiam praefecturas, & ministeria publica Magistratus vocabant. &* βουλεῦσαι, idest *consultare*, vel Senatoris munere fungi, vocabatur ἄρξαι, idest *Magistratum gerere. Erat enim* hoc quoque *tenuis praefectura*. Ergo nec Eponymus Atheniensis Archon, neque Sacri Senatus Princeps, neque Senatus auctor, ac institutor ex Marmore exsculpi poterit; sed, detractis verborum phaleris, Atheniensis solum civis supererit, qui solo *Praeconis*, ac *Senatoris*, hoc est *Prytanis* munere perfunctus fuerit, quod omnibus omnino civibus concessum esse iam diximus. Ne tamen liberius coniecturam hanc meam proponere hic videar, Marmor ipsum exhibui; ut, si fortasse perspicaciores alii clariores alios Eponymi Archontis characteres in illo deprehenderint, *M. Aurelium* istum Eponymorum Fastis inscribant.

Nunc ad Archontem alium digrediar, qui in alio Marmore apud Gruterum Pag. 1159. Num. 11. memoratur.

In Insula Paro

Η.ΒΟΥΛΗ.ΚΑΙ.Ο.ΔΗΜΟΣ.ΕΤΙΜΗΣΕΝ.ΘΡΑΣΩΝΑ.ΘΡΑΣΙΓΕΝΟΥ
ΧΡΥΣΩΙ.ΣΤΕΦΑΝΩΙ.ΚΑΙ.ΕΙΚΟΝΙ.ΜΑΡΜΑΡΙΝΗΙ.ΚΑΙ.ΠΡΟΕΔΡΙΑΙ
ΕΝ.ΤΟΙΣ.ΑΓΩΣΙΝ.ΚΑΙ.ΣΙΤΗΣΙΝ.ΕΝ.ΠΡΥΤΑΝΕΙΩΙ.ΑΡΞΑΝΤΑ
ΤΗΝ.ΤΟΥ.ΑΡΧΟΝΤΟΣ.ΑΡΧΗΝ.ΚΑΛΩΣ.ΚΑΙ.ΔΙΚΑΙΩΣ.ΚΑΙ
ΣΥΜΦΕΡΟΝΤΩΣ ΤΗΙ.ΠΑΤΡΙΔΙ.ΑΡΕΤΗΣ.ΕΝΕΚΕΝ.ΚΑΙ
ΕΥΝΟΙΑΣ ΗΣ ΕΧΩΝ.ΔΙΑΤΕΛΕΙ.ΠΡΟΣ.ΤΗΝ.ΠΟΛΙΝ.ΚΑΙ ΕΠΙ.
ΤΗΙ.ΠΡΟΣ.ΤΟΥΣ.ΘΕΟΥΣ.ΕΥΣΕΒΕΙΑΙ.

Senatus, ac Populus honoravit Thrasonem Thrasigenis f.
aurea corona, & statua marmorea, primaque sede
in Certaminibus, & victu in Prytaneo; qui functus est
Archontis Magistratu decore, & iuste, &
cum Patriae utilitate: virtutis ergo, ac
benevolentiae, quam constanter habet erga Civitatem, &
propter ipsius *in deos pietatem.*

Ar-

(1) In Α'ρχειν.

Archontem illum, qui ἄρξας τὴν τῦ Ἄρχοντος ἀρχὴν *Archontis* munere, vel *Magiſtratu functus* dicitur, omnium principem, adeoque Eponymum, fuiſſe perſpicuum eſt; adeoque Thraſo ille Eponymorum Archontum Faſtis inſcribi debet. Cumque Paros Inſula, Deli, aliarumque plurimarum inſtar, Athenienſium imperio ſubiecta foret, ſuſpicari certe quis poterit ipſis Athenienſium Archontibus publica Pariorum decreta inſigniri conſueviſſe; quemadmodum ſane Archontes illos, qui Deliorum Marmoribus inſcribuntur, Athenienſes eſſe putavit Meurſius, adeoque ipſorum ſingulos Athenienſium Eponymorum Faſtis inſcripſit. Quandoquidem tamen opportunius alibi (1) demonſtravi quod, quamvis Delos, ac Paros Athenienſibus parerent, ſuos Archontes eligere, ipſorumque nomina decretis praeſcribere conſueverant; idque praeſertim de Pariis ipſis Oxonienſis Marmoris præſidio, atque exemplo oſtendi, longe veriſimilius exiſtimo quod Thraſo non Athenienſis, ſed Parius Archon habendus ſit; ideoque non Athenienſium, ſed Pariorum Faſtis adiungi ille debeat. Eius tamen nomen, ipſumque Marmor hic protuli, ut ſi fortaſſe clarioribus argumentis aliis oſtendi poſſit Pariorum decretis non alia, quam Athenienſium Eponymorum, nomina iis temporibus inſcribi conſueviſſe, Thraſonis nomen Eponymorum Athenienſium Faſtis inſeratur.



DIS-

(1) Diſſert. VIII. Num. 32.

DISSERTATIO XII.

SYNOPSIS.

I. *Illustrandis Atheniensium ritibus, festis, historiae, monimentis longe uberiorem, clarioremque lucem ex ipsorum Marmoribus, quam Numis, haberi posse observatur.* II. *Atheniensium Numos a ceteris etiam aliarum Vrbium Numis superari demonstratur; in quibus Vrbium ipsarum origo, foedera, societates, epochae, victoriae, Caesarum aut illustrium civium imagines reperiuntur; quae nullis Atheniensium Numis inesse probatur.* III. *Supremam Vrbium aliarum dignitatem, vel Magistratum Eponymum in ipsarum Numis exprimi consuevisse ostenditur; idque de Atheniensium Numis asseri, vel definiri non posse indicatur.* IV. *Varios Atheniensium Numos ex auro, argento, atque aere cudi consuevisse probatur. Quo primum tempore aerei Numi ab Aristophane memorati cusi fuerint ostenditur. Mutilus Aristophanici Scholiastae locus exponitur; Spanhemiique error, & inconstantia notatur.* V. *Tempus ipsum, quo aerei Numi tunc Athenis usurpati, & aboliti fuerint, accuratius demonstratur. Aereos tamen Numos antiquius etiam signatos Athenis fuisse ostenditur; ac Dionysii Chalci Rhetoris aetas inquiritur, ac definitur.* VI. *Variae Numorum Atheniensium species ordine recensentur, ac singulorum valor exponitur, simulque cum veteris, recentiorisque monetae Romanae pretio, ac valore comparatur.* VII. *Symbola, quae variis Atheniensium Numis impressa subinde fuerint, exponuntur. Pollux ab erroris, & inconstantiae nota contra Hemsterhuisium defenditur, ac illustratur. Scholiastae Aristophanici error de Laurioticis fodinis ostenditur.* VIII. *Noctuae effigiem omnibus Atheniensium Numis impressam esse, simulque varietatem aliquam in Noctuae situ reperiri indicatur. Noctuam ipsam ab Vrbibus etiam, quae Atheniensium Coloniae fuerant, usurpatam esse variis exemplis ostenditur.*

ditur. Calactinorum Numus profertur, ipsumque Euboicae potius, quam Siculae, Calacte tribuendum esse contra Begerum asseritur. Sponii error notatur; ac Hesychius emendatur, & illustratur. IX. *Noctuam ipsam in aliarum quoque Vrbium Numis, quae Atheniensium Coloniae non erant, impressam esse variis exemplis ostenditur. Eximium quendam Numum non ab Argivis, sed ab Atheniensibus, cusum fuisse contra Haymum suadetur; ac literae ipsi inscriptae coniectura explicantur. Plutarchi error indicatur, aut ipsius textus restituitur, ac illustratur.* X. *Amphoram quoque singulis Atheniensium Numis insculptam esse observatur. Varius eiusdem situs exponitur; veriorque huius symboli caussa, & origo demonstratur.* XI. *Symbola, sive figurae in adversa Numorum area impressae recensentur; ac verisimilior ipsarum significatio proponitur.* XII. *Athenarum, sive potius Atheniensium nomen Numis omnibus inscriptum observatur. Nonnii, aliorumque error ostenditur. Antiquior characterum Atheniensium forma indicatur, ac illustratur.* XIII. *Quid literis Amphorae inscriptis expressum fortasse fuerit, inquiritur. Verisimilior opinio proponitur, ac illustratur: atque numericus literarum Atticarum valor ex Aristophanis Scholiaste demonstratur.* XIV. *Literae subtus Amphoram Numis impressae recensentur. Verior ipsarum significatio eligitur, & confirmatur. Obscuriores literae Numis quibusdam inscriptae explicantur, ac emendantur.* XV. *Atheniensium Civium nomina Numis ipsis insculpta observantur. Opinionum varietas in explicandis illis exponitur; & Haymi sententia de Aristotelis, & Apellicontis nomine Numis inscripto refellitur.* XVI. *Insignis Atheniensium Numus contra Haymi sententiam explicatur: ipsius aetas, symbola, & nomina declarantur.* XVII. *Rationes, & exempla quoque afferuntur, quibus altera opinio defendi possit, quae non Archontum Eponymorum nomina, sed Magistratus alios, praesertim vero Monetae Praefectos, Numis inscriptos esse contendit.* XVIII *Altera tamen opinio veluti clarior ac verisimilior proponitur, quod nimirum in Numis ipsis Archontum Eponymorum nomina impressa sint.* XIX. *Id ex veteri constantique Graecarum Vrbium more probatur, quae Archontas, vel supremos alios Magistratus suos Numis inscribere consueverunt: quod variis exemplis ostenditur; atque illarum praesertim Vrbium, quae ab Atheniensibus originem, aut leges acceperant, adeoque illo-*

illorum Coloniae censebantur. XX. *Chion Atheniensium Coloniam fuisse, simulque Archontum Eponymorum nomina Numis inscribere consuevisse Veterum testimoniis, & Numis ipsis ostenditur. Id facile Atheniensium ipsorum more, & exemplo factum innuitur.* XXI. *In nonnullis etiam Atheniensium ipsorum Numis Archontis titulum expressum esse demonstratur. Vrsini, & Harduini error in definienda Numorum illorum aetate ostenditur. Cognomines Archontes aliqui, qui in Numis, simulque Fastis occurrerent, recensentur.* XXII. *Cur non unicum Archontis Eponymi nomen, sed duo interdum, plerumque tria Civium nomina Atheniensium Numis impressa fuerint coniecturis, aliarumque Vrbium exemplis explicatur.* XXIII. *Primum nomen Atheniensium Numis insculptum non alterius fortasse, quam Archontis Eponymi, censendum esse variis Numorum exemplis innuitur; iisdemque Numis invicem collatis vera nominum series, & ordo demonstratur.* XXIV. *Quamvis Eponymi Archontis nomen singulis Numis inscriptum esse dicatur, facile tamen Archontis titulum in iis ommitti potuisse probatur; idque in pluribus etiam Graecarum Vrbium Numis factum ostenditur.* XXV. *Archontum Eponymorum nomina Numis impressa cum Fastis conferri, aut in Fastis ipsis inquiri non posse observatur. Integra Nummorum series, quibus Archontum nomina inscripta fuerint, ex variis Scriptoribus exhibetur; simulque XII. Numi hactenus inediti ex Stoschiano, & Corazziano Museo proferuntur.*



DIS-

DISSERTATIO XII.

De Atheniensium Numis, et Archontum nominibus, quae ipsis inscripta conspiciuntur.

I. Si gravis, ac celeberrima quaestio de maiori Numismatum, Marmorumve praestantia, quae superiori seculo inter doctissimos, atque immortales Viros Spanhemium, & Gudium exarserat; ac nostris etiam temporibus fervere conspicitur, solis Atheniensium Marmoribus, ac Numis dirimenda foret, dubitari certe vix posset quin Marmoribus ipsis princeps locus tribuendus, adeoque Gudio, ceterisque, qui ipsius vestigiis institere, victoriae palma concedenda fuerit. Etenim, si plurimas Inscriptiones illas spectaveris, quas in variis Atticae regionis partibus Cyriacus, Sponius, aliique plurimi exscripsere, uberrimus exinde splendor in explicandis Atheniensium ritibus, Festis, Numinibus, Ludis, Magistratibus, rebusque domi, forisque praeclare gestis exoritur; ut nihil de Atticae Populis, ac Tribubus, ipsorumque serie, vel numero hic dicam, quem ex Marmoribus ipsis eleganter adeo, accurateque constitui posse opportunius alibi demonstravi (1). Itaque, ut uno omnia verbo complectar, nihil propemodum ex veteribus Atticae Scriptoribus de rebus eiusmodi proferri poterit, quod alicuius etiam Marmoris praesidio facile confirmari, vel illustrari non possit; quemadmodum certe plurima ad Atheniensis Urbis historiam, regimen, ac magistratus spectantia superioribus Dissertationibus, prout rerum, ac loci opportunitas tulerat, ex Marmoribus ipsis ostendi. Sin vero Atheniensium Numos, qui plurimi sane supersunt, inspexeris, tenuis adeo, dubiusque splendor ipsorum historiae, ritibusque explicandis hinc affulgere con-

(1) Differt. IV. & V.

ſpicitur, atque obſcuros adeo characteres illi praeſeferunt, ut ipſorum cognitio aliis ex fontibus, vel monimentis aliis expectanda propemodum videatur; nec immerito plurimi exiſtiment Athenienſium Numos a ceterarum Vrbium Numis hac in parte mirifice ſuperari.

II. Etenim, ut exemplis etiam id clarius fiat, nulla propemodum vel Graeca, vel Latina civitas oſtendi poterit, quae peculiares quosdam ritus, Ludos, victorias, aut Feſta, praeſertim vero foedera, vel ὁμόνοιαν *ſocietatem* cum Vrbibus aliis initam Numis ſuis non expreſſerit. In Athenienſium vero Numis nihil eiuſmodi expreſſum, vel memoratum eſſe conſpicitur; ſi fortaſſe Numum illum inferius (1) proferendum excipias, in quo *Marathonia*, vel *Salaminia* pugna, licet obſcurius, indicatur. Siquidem Numos alios, quibus Athenienſium cum Smyrnaeis ſocietas expreſſa fuit, non ad Athenienſes ipſos, ut Vaillantius coniecerat, ſed ad Smyrnaeos potius referendos eſſe iam diximus (2). Innumeri aliarum Gentium Numi Caeſarum effigiem inſculptam exhibent; adeoque non modo Caeſarum ipſorum nomina, victorias, adventus, aliaque id genus plurima exponunt; ſed perſpicuos etiam temporis characteres praeſeferunt, quo cuſi illi fuerint; ſimulque terminum, aut aeram, qua Vrbes illae annos ſuos numerare conſueverant, ut immortalis Noriſius de Syro-Macedonum Numis oſtendit. Athenienſes vero, ſive quod veteri religione quadam prohiberentur; ſive quod ſemper αὐτονόμοι videri, propriiſque legibus, ac antiquis ritibus uti vellent, nuſpiam auguſta Caeſarum imagine Numos ſuos exornarunt; ut unicus proinde ipſorum Numus occurrat (3), in quo *Veſpaſiani* Caeſaris imago conſpicitur: quod ille nimirum, ut arbitror, Athenienſibus ipſis libertatem ademſerit, ipſoſque non ſuis, ſed Romanorum legibus uti iuſſerit (4). Cumque priſtina libertas illa mox a Domitiano Caeſare reſtituta foret (5), veterem repente morem inſtaurarunt, ut in antica Numorum area non Caeſarum effigiem, ſed galeatum, ut antea, Palladis caput exprimerent; adeoque in tanta Numorum varietate unius *Hadria-*

(1) Numus 53. (2) Differt. I. Numer. 39. (3) Vaillant. Numi Graec. Imperat. Pag. 20. & 325. (4) Sueton. in Veſpaſ. & Pauſan. Achaic. c. 17. (5) Plini. Epiſt. 24. Lib. VIII. Plutar. de Solertia Anim. Vide Vaillant. Pag. 222.

ni, amantiſſimi ſcilicet, ac beneficentiſſimi Caeſaris, vultus in Athenienſium Numis obſervatur [1]; quamvis Numus ille non ab Athenienſi quidem Republica, ſed a ſolo potius, ut videtur, *Scambonidarum* Populo percuſſus fuerit, cum in illo legatur Κοιν.ν Σκαμβονιδῶν *Commune Scambonidarum*. Denique, ne exemplis aliis hic immorer, in aliarum Vrbium Numis illuſtrium virorum vultus, aut nomina, qui in iis aut bellicae virtutis gloria, aut poeticae, vel alterius artis laude floruerant, ſubinde occurrunt. Quamvis tamen Athenienſium civitas praeſtantiſſimorum eiuſmodi virorum numero, & gloria nulli unquam alteri vel Graecae, vel Latinae Vrbi conceſſerit, nunquam ipſorum effigie Numos inſignivit. Etenim clariſſimos viros illos [2], qui Themiſtoclis vultum, vel Ariſtotelis, & Apellicontis nomina ſe in Numis ipſis deprehendiſſe coniecerant, perſpicue falli putaverim, ut inferius oſtendetur [3]. Itaque ſola Cecropis bifrontis imago ſupererit, quae in antiquioribus Athenienſium Numis obſervari poſſit [4]; ſicuti in Numis aliis Iovis facies inſculpta fuit, ut Pollucis teſtimonio, ſimulque Numiſmatum aliquot, adhuc ſuperſtitum, exemplo erudimur. In ceteris autem omnibus ubique galeatum Palladis caput in principe, vel antica ipſorum area conſpicitur. Quod ſi fortaſſe vel Theſei, vel Martis [5], vel Cereris [6], vel Neptuni [7], imago in Numis aliis occurrit, id in adverſa ſolum ipſorum area obſervatur; cum anterior, nobiliorque pars Palladis effigie conſtantiſſime decoretur. Haec, aliaque id genus plura, quae facile adiungi poſſent, ſatis, opinor, argumento eſſe poterunt Athenienſium Numos aliarum urbium Numis concedere; ſimulque Athenienſia Marmora plurimum Numis ipſis praeſtare; cum in explicandis Athenienſium ritibus, feſtis, victoriis, rebuſque praeclare geſtis ex Marmoribus quidem plurima, ex Numis vero exigua, ac nulla propemodum lux accedere, vel oriri poſſe videatur.

III. Nihil eſt tamen, in quo Athenienſium Numos non ab Atticis ſolum Marmoribus, ſed ab aliarum quoque Gentium Numis ſuperari merito exiſtimentur, quam ſi Magiſtra-

(1) Goltz. (2) Vid. Haym. Tomo I. pag. 216. & 193. (3) Numero 15. & 16. (4) Haym. Tom. I. pag. 156. 161. (5) Hiſt. Acad. Inſcript. Tomo I. (6) Vide infer. ad Num. 35. (7) Haym. Tomo II. pag. 82.

ſtratus ille, vel ſuprema Vrbium dignitas, quae plerumque Numis inſcribi conſueverat, obſervetur. Etenim vix ulla aut Graeca, aut Latina Civitas afferri unquam poterit, quae Magiſtratus ſuos, ipſorumve nomina Numis inſcribere non conſueverit; ipſiſque veluti characteribus imperii formam, aut annum exprimere, quo Numus ille prodierat. Ita Vaillantius (1), Harduinus (2), Spanhemius (3), aliique plurimi, qui varios Populorum Numos accuratiſſime deſcripſerunt, in ipſorum aliis Ἄρχοντος *Archontis*, in aliis Στρατηγοῦ *Strategi*, in aliis Πρυτανέως *Prytanis*, in aliis Ἀρχιερέως *Sacerdotis Maximi*, in aliis Ἐπιςάτου *Praeſidis*, in aliis Ἡγέμονος *Ducis*, *Praefecti*, in aliis Γραμματέως *Scribae*, in aliis Ἐπιμελήτου *Curatoris*, in aliis Πολιάρχου *Vrbis Praefecti* inſcripta nomina obſervarunt; ut ſi proinde Gentium illarum Faſti ſupereſſent, exinde quoque facile inferri, oſtendique poſſet quo tempore Numus ille cuſus eſſet. Qui vero plurimos Athenienſium Numos inſpexerit, varia quidem in ipſis, ac tria plerumque, Civium nomina inſcripta conſpiciet; ſed dubiis tamen, & obſcuris adeo characteribus, vel indiciis expreſſa, ut aegre coniici, vel divinari vix poſſit, quid eiuſmodi nominibus exprimatur. Itaque mirari plane non poſſumus ſi doctiſſimis etiam Viris, qui Numos illos illuſtrandos ſuſceperant, aqua hic haerere videatur; cumque in varias illi, ac diſſidentes opiniones abierint, ipſorum tamen quilibet ingenue fateatur ambiguum ſibi prorſus, & obſcurum eſſe an in Athenienſium Numis Eponymorum Archontum nomina inſcripta ſint, aut potius Archontes alii, vel Magiſtratus exprimantur, qui auro, & argento flando, feriendoque praeſederint. Atque haec ipſa certe opinionum varietas, Athenienſium Numorum perplexitas, praeſertim vero graviſſima doctiſſimorum hominum autoritas, & opinio, qui Numis ipſis Archontes Eponymos inſcriptos eſſe putarunt, unice in cauſſa fuit, ut in contexenda Eponymorum ſerie, vel *Faſtis Atticis* adornandis de Athenienſium quoque Numis mihi diſſerendum eſſe putaverim. Etenim, ſi perſpicuis fortaſſe, certiſque characteribus oſtendi poſſet Archontum ipſorum nomina Athenienſium Numis inſcribi conſueviſſe, iam facile Archontum iſtorum ſe-

(1) Numi Imper. Pag. 310. &c. (2) Numi Popul. Illuſtrati. (3) Differt. IX Pagin. 698.

ſeries exinde uberior, pleniorque fieret; & quemadmodum Diſſertatione X. Archontes illos exhibui, qui in Graecis, Latiniſque Scriptoribus mihi omnium primo ſunt obſervati; ſuperiorique Diſſertatione plures Archontes alios expoſui, qui mihi ex Graecis Marmoribus affulſere; ita quoque in hac ipſa Diſſertatione plurimos Archontes alios complecterer, qui aliorum inſtar Eponymorum Faſtis inſeri, vel adiungi deberent. Antequam tamen accuratius, paulloque ſubtilius inquiram an eiuſmodi nomina Athenienſium Numis inſcripta Archontes Eponymos exprimere, vel deſignare fortaſſe poſſint, in ipſo veluti limine quaedam de Numorum ipſorum origine, materia, varietate, ſymbolis opportune differenda putavi; ut exinde ceteris mox explicandis praeſidium, ac ſplendor accedat.

IV. Atque, ut ab ipſa Numorum Athenienſium materia exordiar, illos ex quolibet metalli genere, aureos nimirum, argenteos, aereoſque cudi conſueviſſe non modo pluribus Veterum teſtimoniis, ſed ex ipſorum quoque Numorum plurimis erudimur, qui adhuc ſuperſunt, atque in Cimeliarchiis conſpiciuntur. Certe Spanhemius (1), ut Scriptores alios mox recenſendos ommittam, varios Athenienſium Numos exhibet, *drachmam* nimirum, *tetrobolum*, *triobolum diobolum*, *obolum*, ac *ſemiobolum*, quorum quilibet argenteus eſt; quemadmodum teſtatur (2) ſe aureos etiam, atque argenteos Athenienſium Numos ante Ariſtophanis aetatem cuſos conſpexiſſe, qui, quamvis ab Ariſtophane pulcherrimi, optimeque cuſi dicantur, rudes tamen, atque inconcinni merito videantur, neque cum plurimis Siculorum, aut Magnae Graeciae Numis elegantia, vel pulcritudine ſint conferendi. Quod vero ad Scriptores attinet, ſingula Athenienſium Numorum genera ex metallo quolibet conflata Pollux enumerat (3). Sed clarius haec tamen, longeque uberius ex Ariſtophane deprehendi poterunt; qui aureos quidem, argenteoſque Numos prioribus temporibus Athenis uſurpatos eſſe, moxque aereos etiam, ſed inelegantes admodum, peſſimaeque notae cudi coepiſſe conqueritur *in Ranis*.

Πολ-

(1) Ad Ariſtoph. Aves verſ. 861. (2) Ad Ranas verſ. 732. (3) Libr. IX. c. 6. ſegm. 60. & ſeq.

Πολλάκις γ' ἡμῖν ἔδοξεν ἡ πόλις πεπονθέναι
Ταυτὸν ἔστε τῶν πολιτῶν τὰς καλάς τε, κἀγαθὰς
Ε'ις ε τ' ἀρχαῖον νόμισμα, κ τὸ καινὸν χρυσίον.
Οὔτε γὰρ τούτοισιν οὖσιν ἐ κεκιβδηλευμένοις,
Α'λλὰ καλλίςοις ἁπάντων, ὡς δοκεῖ, νομισμάτων,
Καὶ μόνοις ὀρθῶς κοπεῖσι, κ κεκωδωνισμένοις
Χρώμεθ' οὐδὲν, ἀλλὰ τούτοις τοῖς πονηροῖς χαλκίοις.
Χθέστε κ πρώην κοπεῖσι τῷ κακίςῳ κόμματι

Saepe nobis visa est Civitas affecta esse
Eodem modo erga Civium aequos, ac bonos,
Quo erga Numum veterem, novumque aureum Numum.
Neque enim his, qui scoria mixti non sunt,
Sed omnium pulcherrimi, ut videtur, Numi;
Solique probe cusi, ac tinnientes,
Ullo pacto utimur; sed his improbis aereis
Heri, nuperque cusis, nota pessima.

Itaque, cum *Ranae* anno 3. Olymp. XCIII. in scenam prodierint, ut accuratissime demonstravit Palmerius, manifestissime inferri debet quod paullo ante praeter argenteos Numos, quos Hippiae Pisistrati filii temporibus, hoc est circa Olympiadem LX. Athenis cudi consuevisse testatur Aristoteles (1), aurei quoque Numi percussi fuerant; moxque nuperrime deterioribus etiam aereis Athenienses ipsi Peloponnesiaco fortasse bello, aliisque calamitatibus impulsi uti caeperunt, ut Gronovius (2) observavit: quemadmodum circa Olymp. CIV. a Timotheo dum Olynthios obsideret, aereos Numos cusos esse conspicio (3). Hinc optime ad illas Comici voces καινὸν χρυσίον *novum aureum* Scholiastes adnotavit: τῷ προτέρῳ ἔτει ἐπὶ Α'ντιγένους. Α'λλα νικῷ, φησὶ, χρυσοῦν νόμισμα κοπῆναι. κ Φιλόχορος ὁμοίως, τὸ ἐκ τῶν χρυσῶν Νικῶν. Quem sane difficilem obscurumque Scholiastae locum, in quo verba quaedam exciderunt, ut notavit Kusterus, ita facile reddi, vel explicari posse putaverim: *primo* ante annum hunc, quo Aristophanes Ranas edidit, *anno sub Antigene* Archonte... *ait aureum Numum cusum fuisse. Philochorus etiam* aureum Numum *ex aureis Victoriolis* cusum esse testatur. Etenim, quod ad

(1) Oecon. Lib. II. c. 20. (2) De Pecun Veteri Lib. II. c. 8. (3) Arist. Oecon. Lib. II.

ad Antigenem Archontem attinet, is anno 2. Olymp. XCIII. Eponymorum Fastis inscribitur; adeoque annus ille, qui hic πρότερος *primus* vocatur, proxime superior intelligi debet. Quod vero ad χρυσᾶς Νίκας *aureas Victoriolas* spectat, ex quibus aureus Numus ille conflatus dicitur, non aliud ipsas esse coniecerim, quam votiva quaedam anathemata, seu Victoriae simulacra, quae ab Atheniensibus, victoria parta, in Palladis Aede suspendi, aut in ipsis Deorum manibus collocari consueverant, atque a Cicerone (1) *Victoriolae* appellantur, ubi illas ex Graecorum Templis a Dionysio sublatas esse memorat, ut est a Valesio observatum (2), qui plura de Victoriis illis accuratissime disputavit. Suspicor etiam illas Minervae ipsius imagines esse posse, cum Pallas ipsa Νίκης *Victoriae* nomine appellari consueverit (3); ut quemadmodum nempe in Acropoli Ἀθηνᾶς Νίκης *Minervae Victoriae*, sive *Victricis* statua cum alis aureis dicata fuerat (4), ita quoque statuae aliae ex auro confectae, consecrataeque illi fuerint, ex quibus deinde Numus aureus conflatus sit. Quandoquidem vero mox Athenienses τοῖς πονήροις χαλκίοις *pessimis aereis* usos fuisse dicit Aristophanes, Scholiastes ipse adnotavit ἐπὶ γὰρ Καλλίε χαλκῦν νόμισμα ἐκόπη *etenim sub Callia Archonte Numus aereus cusus fuit*; hoc est eodem ipso anno 3. Olymp. XCIII. quo Callias Archon fuit, atque Aristophanes Ranas edidit; ut optime proinde dixerit Numos illos χθὲς, καὶ πρώην *heri, ac nuper* usurpari coepisse. Itaque doctissimi Spanhemii calculus admitti certe non poterit; qui, quamvis καινὸν χρυσίον *novum aureum Numum* Antigenis Archontis anno percussum concesserit, adeoque Kusteri coniecturam, qua καινὸν χαλκέιον *novum aereum* rescribendum putaverat, accurate reiecerit (5); alibi tamen (6), cum Calliae Archontis nomen etiam anno 1. Olymp. LXXXI. in Fastis offendisset, aereos tunc primum Numos Athenis usurpatos esse defendit. Meursius (7) vero, cum ex Suida observasset aereum Numum sub Archonte Callia cudi caepisse, idemque Calliae nomen etiam Olympiadis XCII. anno 1. in Fastis occurrere deprehendisset, incertum esse putavit cuinam po-

(1) De Natu. Deor. Lib. III. c. 34. (2) In Notis ad Ammian. (3) Harpocr. in Νίκη & Suidas. (4) Vlpian. ad Orat. in Timocr. Vid. Meurs. Lect. Attic Libr. I. c. 20. (5) Ad Ranas ver. 732. (6) Differt. II. Pag. 89. (7) De Arch. Athen. Lib. II. c. 19.

potius ex tribus Archontibus, aut annis illis aerei Numi origo adscribi debeat. Sed clarior est certe Aristophanis, eiusque Scholiastae locus, quam ut aerei Numi ab Aristophane memorati origo ad Olympiadem aliam, quam XCIII., referri possit.

V. Ac ne scrupulus adhuc ullus haerere possit, perspicuum alium Aristophanis eiusdem locum addidisse iuverit, ubi tempus illud exprimitur, quo aerei Numi usurpari, simulque mox aboleri coeperunt. Itaque Comicus in *Ecclesiazusis* Pheidolum quendam inducit interrogantem

. . . . τὰς χαλκᾶς δ' ἐκείνας ἡνίκα
Ἐψηφισάμεσθα, οὐκ οἶσθα;

. . . . . . aereos autem Numos illos quando
sententia confirmavimus non scis?

alter vero respondet decretum illud sibi male cessisse: quod, cum aereos eiusmodi Numos plurimos comparasset, farinamque empturus in foro versaretur

Ἀνέκραγ' ὁ Κήρυξ μὴ δέχεσθαι μηδένα
Χαλκοῦν τὸ λοιπόν. ἀργύρῳ γὰρ χρώμεθα

Clamavit Praeco ne quis recipiat
Aereum Numum *in posterum. argento enim utimur.*

Ergo anno 4. Olymp. XCVI. quo *Ecclesiazusae* sunt actae, aereus ille Numus abolitus fuerat; cumque idem ille Civis, qui aereos Numos iacturae sibi fuisse conqueritur, aereos ipsos cudendos esse decreverit, manifeste colligitur aereorum istorum originem ad Olymp. LXXXI. referri non posse. Neque tamen exinde fieri, vel inferri posse putaverim quod aerei Numi Olympiade solum XCIII. Athenis cudi, vel usurpari coeperint, quamvis superior Aristophanis, eiusque Scholiastae locus id innuere videatur. Siquidem ante Olympiadem illam aereos ipsos Athenis usurpatos esse conspicio. Certe Athenaeus (1) asserit aereos Numos Dionysii cuiusdam Rhetoris, Poetaeque consilio institutos fuisse, qui propterea χαλκοῦς *Aereus* est appellatus. At Dionysius ille anno 4. Olymp.

(1) Libr. XV. c. 3. Vid. & Libr. II. c. 12.

Olymp. LXXXIV. eius coloniae dux fuit, quae Athenis in Italiam migravit, Thuriosque, vel Sybarim condidit, ut testatur Plutarchus (1), ergo ipsius de cudendis aereis consilium ad Olympiadem XCIII. referri non poterit; cumque Plutarchus ipse memoret Hieronem quendam Niciae familiarem sese Dionysii Chalci filium credi voluisse, tacite profecto subindicat Dionysium ipsum tunc temporis, quo Nicias nondum ad Rempublicam accesserat, hoc est circa Olympiadem LXXXVII. obiisse; adeoque aereos Numos, qui ipsius hortatu cusi fuerant, ad antiquiora tempora referri debent.

VI. Quandoquidem vero varias Athenis Numorum species extitisse diximus, haec ipsa Numorum varietas exponenda nobis occurrit, ut exinde cetera facilius veluti e fonte dimanent. Atque, ut ab argenteis exordiar, qui frequentius cudi, vel adhiberi consueverant, septem illorum species enumerat Pollux, quae ad drachmam ipsam veluti partes, aut multiplices referri facile possunt; nimirum *tetradrachmam*, *didrachmam*, *tetrobolum*, *triobolum*, *diobolum*, *obolum*, ac *semiobolum*. Drachma ipsa *sex* argenteis obolis constabat (2), obolusque quilibet, ut Cleopatra, & Pollux asserit, *octo*; vel, ut Suidas, *sex*, vel, ut Plinius, *decem* aereis componebatur: ex quo facile aliorum valor iuxta varias hypotheses intelligi, constituique poterit. Ad haec ex *centum* drachmis argenteis Atticis Attica *mina* componebatur (3); atque ex *sexaginta* eiusmodi minis argenti *talentum* constabat; ut proinde talentum ipsum sex drachmarum millia, atque trigintasex millia obolorum complecteretur. Quod vero ad aureos Numos attinet, ipsi vel simpliciter χρυσεῖς *aurei*, vel ςατῆρες *stateres*, vel δαρεικοί *darici* dicebantur (4); atque ipsorum quilibet *viginti* drachmis argenteis aequalis erat; adeoque talentum argenteum *tercentis* aureis Numis constabat. Cumque aureus ipse, Hesychio teste, aureis drachmis *duabus* componeretur, drachma quaelibet aurea *decem* argenteis drachmis aequalis erat: ut optime proinde dixerit Pollux (5) quod aurum *decuplo* argentum pretio, ac valore superabat;

 quam-

(1) In Nicia. Vide Aristot. Rhetor. Lib. III. c. 2. (2) Pollux seg. 60. & Plin. Lib. XXI. c. ult. & Plutar. in Lysand. (3. Poll. seg. 59. (4) Harpocr. in Δαρεικος. (5) Segm. 76.

quamvis id non ubique vel constanter obtinuerit. Quemadmodum vero ex minis, drachmisque argenteis argenteum, ita quoque ex drachmis aureis aureum talentum efficiebatur; ipsumque *tribus* aureis (1), hoc est *sex* aureis drachmis, sive *sexaginta* argenteis drachmis constabat; adeoque talentum auri *centesima* solum argentei talenti pars erat, quod frequentius exprimi vel usurpari consueverat: ut cum in Atticis Scriptoribus simplex *talenti* nomen occurrat, id non de *aureo*, sed *argenteo* solum intelligi debeat; quemadmodum Etymologi, aliorumque testimonio erudimur *argenti* nomine Numos omnes, quicumque demum illi fuerint, designari. Quod si Atheniensis monetae valor cum Romanae pretio conferatur, asserit Plinius quod *drachma Attica denarii argentei pondus habet* (2), adeoque, cum denarius ille *nonagesima sexta* Romanae librae pars foret, in qualibet argenti libra nonaginta sex Atticae drachmae continebantur; quamvis centum in illa communiter supputari, adeoque denarius drachmae prorsus pondere, & pretio aequalis censeri soleret. Denique, cum argenteus ipse Romanorum denarius cum moneta, qua nunc utimur, comparatus Romano iulio prorsus aequalis a doctissimis Viris (3) ostendatur, inito calculo facile deprehendi poterit quod Attica drachma eidem Romano iulio prorsus aequalis erat; adeoque Talentum Atticum argenteum 6000 iuliis, sive 600. Philippeis Numis constabat.

VII. Atque eiusmodi quidem Atheniensium Numorum varietas non ex pondere solum inferri poterit, quod Spanhemius, Haymus, aliique plurimi demonstrarunt; sed ex variis quoque symbolis, aut imaginibus, quibus insigniti illi fuerant. Ita Pollux observat τό μὲν διώβολον ἐντετυπωμένην ἔχον γλαῦκα. κὴ ἐκ θατέρȣ πρόσωπον Διός. τό δέ τετρώβολον τὸ μὲν πρόσωπον ὁμοίως, δύο δὲ τὰς γλαῦκας (4) *ac Diobolus quidem Noctuam insculptam habet; ex alia vero parte Iovis faciem. tetrobolus vero Iovis similiter faciem, sed Noctuas duas.* Quo quidem loco Pollucem falli, sibique non constare Hemsterhuisius existimat, ubi Numis illis *Iovis*, non *Palladis* effigiem insculptam fuisse dicit; laudatoque Pollucis (5) ipsius, atque

(1) Poll. segm. 53 & Gronov. de Pecun. vete. Lib III. c. 7. (2) Libr. XXI. c. ult. (3) Bud. de Asse Gronov. de Pecun. veter. Beverin. Syntag. de Pond. (4) Segm. 63. (5) Segm. 75.

atque Aristophanici Scholiastae [1] loco, quo perspicue erudimur in tetradrachmis Palladis vultum inscribi consuevisse, idem quoque de diobolo, ac tetrobolo censendum esse contendit. Facile tamen Pollucem ipsum ab inconstantiae, vel erroris nota liberari posse putaverim. Quamvis enim in tetradrachmis non Iovis, sed Palladis vultum insculptum esse mox dixerit, non inde tamen inferri potest quod in diobolis etiam, ac tetrobolis eadem illa Palladis effigies semper insculpi consueverit; nec aliquando potius in Numis aliis, quos facile Pollux inspexerat, Iovis facies expressa foret. Certe in regia Galliarum Gaza inter alios Atheniensium Numos, qui ab Oudineto sunt observati, Numus conspicitur [2], in cuius antica parte Iovis effigies; in adversa vero Pallas oleae ramum dextra, Noctuamque sinistra manu tenens exprimitur: quod argumento esse poterit non in postica solum, ut inferius ostendam, sed in antica quoque Numorum parte varietatem aliquam subinde usurpatam esse; ut proinde Pollucis locus temere sollicitari, vel Pollux ipse erroris argui non debeat. Perspicuum est tamen frequentius in Numis omnibus Palladis effigiem exprimi consuevisse; ut ex Numis illis aperte colligitur, quos Spanhemius exhibuit [3]. Siquidem in iis Palladis vultus ubique insculptus conspicitur; nisi quod in anteriori *oboli* parte Cecropis bifrontis facies occurrit; in adversa vero *tetroboli* area Noctuae duae seiunctae; in *diobolo* Noctuae duae, sed in caput unum superne coalescentes conspiciuntur; in drachma denique, triobolo, obolo, semiobolo, atque etiam aereo unica Noctua reperitur [4]. Quinetiam in aureo quoque Numo Noctuae ipsius imaginem expressam fuisse testatur Aristophanis Scholiastes *ἐντετύπωτο δὲ τῷ Αττικῷ χρύσῳ νομίσματι ἡ Γλαὺξ* [5] *aureo Numo Attico insculpebatur Noctua*: quamvis Scholiastes ille eodem ipso in loco aberraverit ubi in Laurio Atticae monte aurea metalla fuisse dicit. Etenim Thucydides [6], Plutarchus [7], aliique plurimi [8], qui de Laurioticis fodinis illis accurate disserunt, nunquam aurum, sed argentum solum exinde ab Atheniensibus effossum afferunt; nec de aureis proinde,

(1) Ad Nubes ver. 861. (2) Hist. Acad Inscr. Tom. I. (3) Ad Aristoph. Aves ver. 1106. (4) Spanh Diss. IV Pag 177 (5) Ad Equit. ver. 1091. (6) Libr. II. c. 55. & VI. c. 91. (7) In Nicia. (8) Vid. Meurs. Fort. Athen. c. 7.

inde, sed argenteis solum Numis intelligi debeat Aristophanes (1) cum ait Γλαῦκες ὑμεῖς ὅποτ' ἐπιλείψουσι Λαυριωτικαὶ *Noctuae*, hoc est Numi Noctuis insigniti, *vos nunquam destituent Laurioticae*; quemadmodum sane de argenteis solum Numis haec intelligenda fore Scholiastes ipse iam viderat cum ait ἡ γὰρ Γλαὺξ ὄρνεον ἐστιν Ἀθηνᾶς, ὅπερ πάνυ τιμῶντες Ἀθηναῖοι διὰ τὴν Θεὸν ἐν τοῖς τετραδράχμοις ἐνεχάραξαν νομίσμασιν. *Noctua enim Minervae sacra avis est; quam proinde Athenienses maxime honorantes propter Deam ipsam, tetradrachmis Numis insculpsere*. Vnde factum ut id Numi genus non *tetradrachma* solum, sed etiam *Noctua* vocaretur; quod nimirum constanter Palladis vultu, Noctuaeque imagine insignitum esset; quemadmodum prius didrachma bovis effigiem, idque Theseo, ut Plutarchus (2) existimat, auctore, insculptam habuit (3): ἐκλήθη δὲ τὸ νόμισμα τὸ τετράδραχμον τότε ἡ Γλαὺξ, ἦν γὰρ γλαὺξ ἐπίσημον καὶ πρόσωπον Ἀθηνᾶς, τῶν προτέρων διδράχμων ὄντων, ἐπισημόντε βοῦν ἐχόντων. (4) *Tetradrachma vero aliquando Noctuae nomine vocabatur; Noctua enim, ac Palladis vultus* ipsius *nota erat; cum prius Didrachmae forent, bovisque notam insculptam haberent*; quemadmodum etiam Didymus antiquiorem Atheniensium Numum bovis imagine insignitum esse testatur.

VIII. Exinde vero iam facile intelligi, ostendique potest cur constanter adeo in Atheniensium Numis Noctuae effigies impressa fuerit; ut si paucos illos excipias, quibus vittatum bovis caput insculptum conspicitur, in ceteris omnibus Noctua, non uno quidem eodemque, sed variis prorsus modis expressa deprehendatur. Quamvis enim plerumque in media adversae areae parte Noctua transversae Amphorae veluti imposita, vel insistens videatur; aliquando tamen in area ipsa oleae arbor in medio, hinc Amphora erecta, inde Noctua reperitur (5); aliquando Noctua non Amphorae, sed epistylio insidet (6); aliquando quadratae basi insistit (7); aliquando in navis prora (8); aliquando super oleae arborem; aliquando denique in ipsa Palladis manu conspicitur: perinde quasi Athenienses ipsi Noctuae imagine, veluti per-

(1) Aves ver. 1106. (2) In Theseo. (3) Pollux seg. 60. (4) Schol. Aristoph. ad Aves 1106. (5) Haym. Tom. I. pag. 163. (6) Ibi pag. 210. (7) In Museo Arigon. (8) Hist. Acad. Inscr. Tomo I.

perſpicuo charactere, Numos ſuos, aliarum Gentium inſtar, inſignire voluerint; ut quemadmodum nempe Corinthii *Pegaſum* (1), Cyrenenſes *ſilphium* apud illos praeſtantiſſimum, *Homerum* Chii, Mytilenaei *Sapphonem*, Rhegini *Leporem*, Cephalenii *Equum*, Lacedaemonii denique dimidiatum *Lupum* Numis inſcripſere (2), ita quoque Athenienſes Noctuam veluti tutelaris Numinis ſymbolum, Vrbiſque teſſeram uſurpaverint. Neque ipſa ſolum Athenienſium Civitas Noctuae imaginem in Numis omnibus characteris inſtar adhibuit; ſed in illarum quoque Vrbium Numis, quae Athenienſibus ſubditae, vel ipſorum Coloniae fuerant, eadem illa Noctuae facies impreſſa conſpicitur: perinde quaſi Vrbes illae ſuam ex Athenienſi Populo originem publico hoc monumento teſtari voluerint. Sic *Megara*, & *Camarina* Siciliae urbes, atque Athenienſium coloniae Noctuam Numis ſuis inſculptam habent (3). In Lebediorum Numis galeatum Palladis caput, ſimulque in adverſa parte Noctua reperitur cum hac epigraphe Λεβεδιων. Αθηναιος. *Lebediorum. Athenienſis*, vel *Athenaeus. qua poſtrema voce*, inquit Spanhemius, *vel Vrbis Praetor, vel Athenienſis illius origo deſignatur* (4). At veriſimilius hic certe non Vrbis originem, ſed ſolum potius Archontis, vel Praetoris nomen expreſſum eſſe putaverim; quod nempe cuſi Numi tempore *Athenaeus* Lebediorum Vrbi praeſideret. Ita Begerus (5) Numum exhibet, in cuius anteriori parte galeatum Palladis caput, in poſteriori Noctua Amphorae diotae inſiſtens conſpicitur cum literis hinc inde circa Noctuam inſculptis ΚΑΛΑΚΤΙΝ; riteque obſervat *caput Palladis, imo & Noctua Amphorae inſiſtens non ad Calactem Oppidum Siciliae, ſed ad Athenas videtur referenda*. Quamvis autem Calactem, Diodoro teſte, a Ducetio conditam eſſe fateatur Begerus; ad Calactem tamen, non Athenas eiuſmodi Numum referendum eſſe arbitratur; ſive quod incolae, qui Ducetio duce Calen migrarunt, non Samum, ex qua proxime advenerant, ſed Athenas potius, antiquiorem nempe ſui originem, expreſſerint; ſive quod incolae, colonique alii poſt Ducetium Athenis Calen conceſſerint; ſive denique quod maxima Siculae Cales, atque Atticae regionis, quae

(1) Poll. ſeg. 84. (2) Pollux. ſeg. 84. (3) Spanhem. Diſſer. IX. Pag. 570. (4) Ibi Pag. 573. (5) Theſaur. Brandeburg. Tomo III. pag. 39.

quae & ipsa quoque Α'κτὴ, vel Καλὴ Α'κτὴ vocabatur, similitudo in caussa fuerit, ut Calactini eodem, quo Athenienses, Noctuae symbolo in Numis uti voluerint. Sed, quamvis haec ille subtiliter, ingenioseque coniecerit, Numum tamen ipsum ad Calacten potius illam referendum esse putaverim, quae in Euboea reperiebatur. Etenim Calen Acten non in Creta solum, ac Sicilia, sed in Euboea quoque extitisse Herodotus (1), Stephanus (2), aliique memorant; ac, licet illa inter varias Atheniensium Colonias a Meursio (3) minime enumeretur, verisimilius est tamen ipsam Eretriae, Histieae, aliarumque Euboicarum Vrbium instar, ab Atheniensibus conditam, vel habitatam esse; quod de Calacte Sicula ostendi certe non poterit. Etenim Ducetius, Diodoro teste (4), non Samo, ut Begerus coniecerat, sed Corintho solum homines novarum sedium cupidos Calacten advexit; Vrbemque illam anno 1. Olymp. LXXXV. condidit, cum superiori anno Pericles Atheniensium classe Samios violenter subegisset; ut a vero proinde maxime abhorreat quod Samii, si qui Calacten cum Ducetio migrarunt, Atheniensium tesseram Numis suis inscribere voluerint. Quod si in ipsa quoque Atticae regione Calacte quaedam cum Sponio (5) admitti posset, atque Καλη Ακτη *Calacte*, quae ab Athenaeo (6) memoratur, de Cale Atticae Populo intelligi posset, Numum ipsum ad Calacten hanc Atticam libentius revocarem; ut quemadmodum nempe Numos aliquos a Megarensibus (7) Atticae, a Scambonidis (8), a Marathoniis (9), ab Anaphlystiis (10) cusos esse conspicimus, ut mox ostendetur, ita quoque superior Begeri Numus a Calactinis Atticis percussus fuerit. At doctissimo Casaubono (11) observatum esse iam video Calacten illam, ex qua Caecilius Rhetor Athenaeo memoratus prodierat, non Καλὴν *Calem* Atticae Populum, sed Calacten Siciliae Vrbem fuisse; ut proinde Sponius hac in parte aberraverit, atque ipse quoque Sponii vestigiis insistens immerito dixerim (12) Athenaei verba de *Cale* Atticae Populo *fortasse* intelligi posse. Etenim Atticae Populus non Α'κτὴ

Καλὴ

(1) Lib. VI. c. 23. Ptol. III. c. 15. (2) In Καλή. (3) Fortun. Athen. c. 6. (4) Lib. XII. c. 8. & 29. (5) Popul. Attic. Artic. 70. (6) Libr. VII. c. 21. (7) Harduin. Numi Illustr. (8) Goltz. in Hadrian. (9) Haym. Tom. I. Pag. 193. (10) Ioubert Scien. des Medail. Pag. 177. (11) Ad Athenae. loc. cit. (12) Dissert. V. in Καλή.

Καλὴ *Acte-Cale*, sed Καλή *Cale* vocabatur [1]; sicuti vicissim Ἀκτή *Acte* non peculiarem Vrbem, aut Populum, sed universam illam Atticae partem significat [2], quae litori proxima erat, ut proinde Ἀκτίτυ *Actitis* nomine *Atticus* intelligatur: quod universa fere Atticae regio litori proxima, vel litoralis esset. Itaque suspicor Hesychii locum emendandum esse, in quo de *Actite* lapide disserens ait Ἀκτίτης λίθος ἀπὸ τῆς ἐν Πελοποννήσῳ Ἀκτῆς. Σοφοκλῆς Ἀκρισίῳ. *Actites lapis ab Acte* illa, *quae est in Peloponneso. Sophocles in Acrisio*. Siquidem, quamvis Peloponnesiacam Acten a Thucydide [3] memoratam Stephanus esse dicat, ipsamque inter alias plures enumeret, Stephanus tamen ipse eundem illum Tragici locum innuens nitide, diserteque testatur Actitem lapidem ab Attica solum Acte nomen obtinuisse Ἀκτὴ. ὕτως ἡ Ἀττικὴ ἐκαλεῖτο . . . . ἐξ ὗ τὸ Ἀκτίτυ πέτρα ἐν τῇ Τραγῳδίᾳ ἀντὶ τῦ Ἀττικῦ. *Acte. sic Attica vocabatur . . . . ex quo Actites lapis in Tragoedia pro Atticus*.

IX. Illud hic tamen observari merito poterit quod quamvis in Atheniensium Numis constanter Noctuae effigies insculpi consueverit, atque in Vrbium illarum, quae Atheniensium Coloniae fuerant, Numis eadem illa Noctuae facies saepissime occurrat; exinde tamen veluti perspicuo certoque charactere deduci non poterit quod Vrbs illa, quae Numis suis Noctuam inscripsisse conspicitur, ad Athenienses ipsos spectaverit, aut illorum Colonia censeri debeat. Etenim, ut exempla plurima omittam, quae facile proferri possent, in *Theatinorum* Numis galeatum Palladis caput, simulque in adversa area Noctua reperitur [4]; non quod Theate ipsa Atheniensium Colonia foret; sed quod ibi Pallas eximio honore coleretur, ac universa regio olivetis abundaret, ut optime existimavit Begerus. Ita prorsus in Synnadeorum Numis Noctua amphorae insistens reperitur [5] cum epigraphe Cυνναδεων *Synnadeorum*; neque tamen Synnadei Atheniensium Colonia esse possunt. Vicissim *Thurii* ab Atheniensibus incolas, atque originem acceperunt; neque tamen in ipsorum Numis aut Noctua, aut Palladis vultus conspici-

 tur.

(1) Stephanus in Ἀγγελή. (2) Harpocr. in Ακτη Strabo Libr. I pag. 59. & IX. Pag. 139. (3) Lib. IV. c. 109. (4) Beger. Tom. I. pag. 316. (5) Haym. Tom. II. Pag. 147.

tur. Prienenses etiam Atheniensium Colonia fuerant, ipsorumque Numus Palladis vultu, Noctuaeque imagine insignis occurrit [1]; at Numus tamen alius reperitur, in quo neque Pallas, neque Noctua expressa conspicitur. Denique Numus alter ab Haymo profertur [2], in cuius antica area mulieris facies, in postica vero Noctua expansis alis cum literis hoc ordine P Λ Γ dispositis observatur; ipsumque Numum ab Argivis cusum esse concedit Haymus; ut nimirum Iunonem apud ipsos cultam in principe Numi area, in posteriori Vrbis nomen exprimerent. At, nisi plurimum fallor, literarum ordo vix patitur, ut exinde *Argûs* nomen exculpi possit. Accedit etiam quod Argivorum Numis, qui plures supersunt, *Apollo Lycaeus*, vel anterior *Lupi* pars ubique impressa conspicitur: quemadmodum Sophoclis Scholiastes asserit Argivos ipsos in Apollinis Λυκοκτόνυ *Lupicidae* honorem Lupi imagine Numos suos veluti charactere exornasse ὅθεν καὶ νομίσματι τῶν Ἀργείων ἐνχαράττεσθαί φασι Λύκυς, ὡς τὰς γλαῦκας Ἀθήνησι [3] *unde Argivorum Numo Lupos insculptos fuisse dicitur, ut Atheniensium Noctuas.* ut immerito proinde dixerit Pollux [4] Argivorum Numis *murem* insculpi consuevisse. Itaque Numus ille, qui non *Apolline*, non *lupo*, non *mure*, si id quoque libeat, sed *Noctua* solum insignis conspicitur, non ad Argivos ipsos, opinor, sed ad Athenienses potius spectaverit; qui non Iunonis, sed Palladis vultum in ipso, aliorum instar, expresserint. Quis vero facile dixerit quid tribus literis in ipso expressis indicetur? Fortasse non integri nominis pars, sed temporis characteres, aut numerales notae illae fuerint. Fortasse tribus illis veluti initialibus literis integra Magistratuum, vel Praefectorum nomina in Numis a iis inscripta, designantur. Fortasse denique victoriam aliquam ex Argivis partam, si Argûs nomen perturbato literarum ordine sit exsculpendum, exprimere voluerint; cum Noctua volitans, vel expansis alis insistens victoriam portendere, vel indicare videatur [5]. At in re subobscura nihil hic temere definire velim; cum praesertim vel in Argivorum, vel in Atheniensium, vel in aliarum quoque Vr-

(1) Harduin. Numi Illustr. (2) Tomo I. Pag. 231. (3) Ad Electr. ver. 6. (4) Seg. 14. (5) Vid. Plutar. in Themist.

Vrbium Numis, aut ipſorum notis aliqua ſubinde varietas irrepſiſſe potuerit; ut nimirum characteres illos, aut notas, quae Athenienſium peculiares fuerant, ſuis aliquando Numis impreſſerint. Niſi tamen perſpicuis fortaſſe, certiſque rationibus oſtendatur Numos Noctuae imagine inſignes ad Vrbium Graecarum aliquam ſpectaſſe, libentius illos ad Athenienſium Vrbem revocaverim: ubi praeſertim Numi pondus, magnitudo, & characteres alii conſpirent. Itaque Plutarchum graviſſimum alioquin virum facile deceptum eſſe putaverim, dum Lyſandri aetate, ſive Olymp. XCIV. anno 1., quo Lyſander ipſe Athenas occupavit, non Athenienſium modo, ſed aliarum quoque Gentium Numos Noctuae imagine, in Athenienſium gratiam, plerumque inſignitos eſſe coniecit. Etenim cum Gylippo numorum ſacculos Athenis Spartam deferendos a Lyſandro traditos eſſe memoraſſet [1], ipſorumque plures a Gylippo furto ſurreptos, idque ſervi indicio deprehenſum eſſe, qui dixerat ὑπὸ τῷ κεραμικῷ κοιτάζεσθαι πολλὰς τὰς γλαῦκας *ſub tegulis Noctuas plures cubare*, repente ſubdit ἦν γαρ, ὡς ἔοικε, τὸ χάραγμα τȣ̃ πλέιςȣ τότε νομίσματος διὰ τȣ̀ς Ἀθηναίȣς γλαῦκες *nam eo tempore plerumque Numiſma ſignabatur Noctua propter Athenienſes*. At ibi perſpicue non de exterarum Vrbium, ſed de Athenienſium potius Numis, qui Lyſandro ſupererant, agitur, quibus Noctuae inſcribi, quique *Noctuae* nomine deſignari conſueverant; ut immerito proinde Plutarchus ad alios, quam Athenienſium, Numos id referendum eſſe coniecerit. Itaque levior, ac falſa Plutarchi coniectura cenſeri debet; ſive, quod veriſimilius exiſtimo, in ipſius textu παρὰ τȣ̀ς Ἀθηναίȣς γλαῦκες reſcribi debet; ut nempe exprimatur, tunc temporis pleriſque Numis *apud Athenienſes* Noctuam inſcribi conſueviſſe: quod nimirum antea *Bovis* etiam imago in iis impreſſa foret.

X. Quemadmodum vero Athenienſium Numos Noctuae imagine, veluti perſpicuo, conſtantique charactere, diſtingui poſſe iam diximus, quod illa conſtanter in ipſorum ſingulis obſervetur; ita quoque Amphora in Numis ipſis conſpicitur, atque ita quidem ut in paucis, fortaſſe antiquioribus, erecta ſit [2]; in pleriſque tamen tranſverſim poſita, No-

(1) In Lyſand. (2) Haym. Tom. I. Pag. 156. 168. 177.

ctuaeque pedibus ſubiecta videatur. Vnde vero conſtans ille Athenienſium Numorum ritus incoeperit, quidve Athenienſes ipſi Amphorae imagine Numis impreſſa deſignare voluerint, definiri vix poteſt, cum Veteres hac in parte nihil tradiderint; Recentiores vero in varias ſubinde, ac diſſidentes etiam hypotheſes abierint. Ita nonnulli, ſed immerito prorſus, exiſtimant Amphoram illam hic deſignari, quae aquae plena litigantibus ab Archonte Eponymo concedebatur, ut opportunius alibi expoſui (1). Haymus (2) hic Amphoram illam indicari poſſe putavit, quae oleo plena Panathenaeorum victoribus concedebatur (3); cumque in antica cuiuſdam Arhenienſis Numi facie Cybelem, ſimulque Bacchum expreſſum eſſe conſpiceret, Amphoram, quae in adverſa Numi parte conſpicitur, ad Bacchum ipſum referendam eſſe coniecit (4). Communior eſt tamen, longeque veriſimilior opinio quod Amphora Athenienſium Numis ea de cauſa inſculpta fuerit *quod Athenis*, ut Nonnius (5) ait, *praeſtantiſſima fictilia conficerentur*, & *primi quaſi illorum inventores fuerint* Athenienſes; ut optime Haymus ipſe (6), Begerus, aliique plurimi exiſtimarunt. Ac certe quod non fictilia ſolum, ſed ipſorum quoque conficiendorum ars, figularis nimirum rota, ab Athenienſibus inventa fuerit teſtatur Diodorus (7) ubi de Daedalo diſſerens ait τῆς ἀδελφῆς τῦ Δαιδάλυ γενόμενος ὑὸς Τάλως ἐπαιδέυετο παρὰ Δαιδάλῳ, παῖς ὢν τὴν ἡλικίαν. ἐυφυέςερος δ᾽ ὢν τῦ διδασκάλυ, τόν τε κεραμευτικὸν τροχὸν ἕυρε. *Talos ex ſorore* Daedali *nepos*, *adhuc puer apud Daedalum inſtituebatur. Is ingenio Magiſtrum ſuperans, rotam figularem invenit*. Alii tamen figularis artis inventae gloriam non Thalo, ſed Coraebo potius Athenienſi tribuendam eſſe putarunt, ut Plinius (8), ac Suidas (9); eamque laudem Athenienſibus ipſis concedendam eſſe ex Critiae verſibus oſtendi poteſt, quos Athenaeus (10) conſervavit

Τὸν δὲ τροχὸν γαίηςτε, καμίνυτ᾽ ἔκγονον ἕυρε
Κλεινότατον κέραμον χρήσιμον οἰκονόμον
Ἡ τὸ καλὸν Μαραθῶνι καταςήσασα τρόπαιον

Rotam

(1) Diſſert. I. Numer. 24. (2) Tomo I. Pag. 167. (3) Vid. Diſſert. I. Numer. 25. (4) Tomo I. Pag. 177. (5) Ad Numiſm. Goltzii. (6) Tomo I. Pag. 162. (7) Lib. IV. c. 78. (8) Lib. VII. c. 56. (9) In Κοραιβος. (10) Lib. I. c. 22.

Rotam vero, terraeque, ac fornacis opus invenit
figlinum vas utile in domibus
Vrbs, *quae praeclarum Marathone statuit tropaeum*

ubi doctissimus Casaubonus legendum esse contendit τὴν δὲ τροχȣ̃ *rotae*; ut nimirum exprimatur Athenis non *rotam* ipsam, sed solum figlinum vas inventum esse, quod elegantissime a Critia *rotae*, *terrae*, *ac fornacis opus* vocatur. Ceterum sive figularem artem, sive potius rotam etiam ipsam Athenienses invenerint; compertum est tamen ipsos huius inventi gloria, fictilibusque vasibus, quae praesertim in Anaphlysto, & Coliade parabantur (1), efferri consuevisse, ut optime suspicari quis possit ea quoque de caussa Amphoram Numis omnibus ab iis insculptam esse: quemadmodum prorsus exinde etiam factum putaverim, ut in Numis aliis in sinistra adversae areae parte *rota* conspiciatur (2). Itaque mirari fortasse cum Oudineto (3) non liceat cur Athenienses ipsi, qui alia plurima, ac illustriora quidem invenerant, fictilia solum, atque Amphoram Nummis inscripserint. Etenim, ut argumenta cetera ommittam, Gentium aliarum Nummi exemplo esse possunt, quibus non splendidiora subinde, sed vulgaria potius ipsarum ornamenta inscribi consueverant; ut facile proinde Athenienses ipsi non fruges, aut ignem ab iis inventum; sed Amphoram potius pulcherrime ab iis elaboratam, aut inventam Numis suis expresserint, ut eiusmodi inventi memoriam exteris omnibus, posterisque commendarent.

XI. Proxime post Amphoram ipsam Numis omnibus impressam explicandae nobis occurrerent imagines illae, vel symbola, quae in plerisque Numis in adversa ipsorum area ad dexteram, vel sinistram Noctuae partem conspiciuntur, ut *aquila*, *serpens*, *uvae racemus*, aliaque id genus plura, quae singillatim inferius exponentur ubi Numorum series contexetur. Qua quidem in re plurima profecto differi, congerique possent; cum imaginum illarum singulae ad illustre quoddam Atheniensium facinus, aut aliquem ipsorum ritum referri facile possint. Sic, ut exemplis aliquot id ostendatur,

(1) Plutar. de Audit. Athen. Lib. XI. c. 9. Suidas in Κωλιάδης. (2) Beger. Tom. III. Pag. 51. (3) Hist. Acad. Inscript. Tom. I.

tur, ubi *gallus palmam tenens* conſpicitur (1), celebris gallorum pugna, quae Athenis celebrari conſueverat, expreſſa eſſe poteſt. *Apis* Numis aliis inſcripta (2) facile mellificium in Hymetto Atticae monte celebre deſignat. Ita *palma* Noctuae pedibus ſubiecta (3) Marathoniam, vel Salaminiam, vel aliam Athenienſium victoriam ſignificat. Ideo *cicadae* Numis aliis impreſſae conſpiciuntur (4), quod Athenienſes ipſi ſe *cicadarum* inſtar indigenas, autochthonas, ſponteque genitos exiſtimarent, ipſaſque capillis implexas geſtarent (5). Ita quoque, ſi libeat, imagines ipſae, vel ſymbola ad res ſacras, aut varia Athenienſium Feſta, vel Numina referri poterunt; ut *aquila cum fulminibus* (6) ad Iovem; *cervus*, & *luna* (7) ad Dianam; *uvae racemus* (8) ad Bacchum; *ſerpens* (9) ad Palladem, vel Aeſculapium; *genuflexi viri* (10) ad Clementiam, vel Miſericordiam, cuius ara Athenis extiterat (11), revocari facile poterunt. Quandoquidem tamen haec omnia coniecturis ſolum innixa, nullique Veterum teſtimonio ſuffulta eſſe poſſunt, libenter illa praetereo: idque unum cum Cl. Viris (12) obſervari, ſtatuique poſſe putaverim, quod haec ipſa ſymbola Numis inſcripta nihil aliud cenſeri fortaſſe debeant, quam notae, vel characteres aliqui ſolo Praefectorum, ſive ſi mavis, Archontum arbitrio Numis adiecti, ut ab aliis Athenienſium Numis ipſorum praeſidio diſtingui poſſent.

XII. Atque hactenus quidem imagines omnes, vultus, ac ſymbola, quae variis Athenienſium Numis inſcripta fuerint, niſi pro rei dignitate, quantum certe vel rei perplexitas, vel operis noſtri conſilium patiebatur, Cl. Viris facem praeferentibus, complexi ſumus. Itaque nativus rerum ordo iam poſtulat ut characteres etiam illos, aut literas, ſi fieri id quidem poterit, exponamus, quae in pleriſque Numis, atque in adverſa ſolum ipſorum area conſpiciuntur. Siquidem, ſi Veſpaſiani, atque Hadriani Numos exceperis, quibus Caeſarum ipſorum nomen, vultumque inſculptum eſſe iam diximus, Numumque alium a Marathonio Populo cuſum, in cuius antica parte galeatum Palladis caput cum epi-

(1) Haym. Tom. I. Pag. 213. Vide inf. Numum 17. (2) Ibi Pag. 181. (3) Ibi Pag. 193. (4) Ibi Pag. 215. In Numo 2. 3. 58. (5) Vid. Differt. I. Num. 1. (6) In Numo 37. 38. (7) In Numo 40. 43. (8) In Numo 10. 11. (9) Nonnius ad Numiſ. Goltzii Vide Numum 1. 5. (10) In Numo 24. (11) Pauſan. Attic. c. 17. (12) Cuper. de Elephan. Lib. I. c. 9.

epigraphe ΜΑΡΑΘΩΝ *Maratho* reperitur (1), in antica Nummorum omnium parte galeatum Palladis caput ſine literis obſervatur. Ceterum characteres illi, voces, aut literae vel in ſuprema adverſae areae parte prope Noctuae caput; vel in infima ſubtus tranſverſam Amphoram; vel in Amphorae eiuſdem ſinu, ſeu medio; vel denique in dextra ſiniſtraque areae parte hinc inde circa Noctuam conſpiciuntur. Atque, ut ab iis exordiar, quae circa Noctuae caput, ſupremamque areae partem occurrunt, in plerisque ΑΘΕ ſive ΑΘΗ, interdum ΑΘ inſcriptum conſpicitur: quod facile, conſtantiſſimeque ΑΘΕΝΑΙΩΝ *Athenienſium* intelligi, ſupplerique debet; ut nempe exprimatur Numum illum *Athenienſium* eſſe: quod in omnibus fere Gentium aliarum Numis factum eſſe conſpicimus. Itaque, ut Harduino (2), aliiſque pluribus (3) obſervatum, praeclare fallitur Nonnius, qui cum in Numo quodam legiſſet ΑΘΕΝΑ ΙΩΝ, Numum ipſum *ad Ionem Xuthi filium alludere* exiſtimavit, *qui Athenis olim imperavit, & terram Atticam Ioniam vocavit* (4); nec multo ſane felicior Interpres ille, qui in Numo a nobis alibi proferendo (5) legendum aſſerit Α'θηναίων δῆμος *Athenienſium Populus*: perinde quaſi *Athenienſis Populi* nomen Numis inſcribi conſueverit; neque potius in iſto *Demoſthenis* Archontis vel Praefecti nomen nitide, diſerteque habeatur. Illud hic etiam obſervari merito poterit quod, quamvis Olymp. XCIV. anno 2. Euclide Athenis Archonte vocales longae Η & Ω Athenas invectae, atque uſurpatae fuerint, nuſpiam tamen litera, ſeu vocalis Η in ipſo Α'θηναίων nomine Numis impreſſo reperitur, quamvis ipſorum plerique poſt Olympiadem illam cuſi fuerint, adeoque in nominibus aliis, quibus Athenienſium Numos inſignitos eſſe conſpicimus, utraque vocalis illa frequentiſſime occurrat. Id vero facile, ut opinatur Spanhemius (6), ex ſeveriori quadam Athenienſium religione profluxit, qui licet in monimentis aliis *Grammaticam poſt Euclidem*, ut Plutarchi (7) verbis utar, novumque ſcribendi genus uſurpaverint; in exprimendo tamen Vrbis nomine veterem potius literarum formam conſervarunt: ut vix Numi ſu-

(1) Hard. Num. Illuſtr. (2) Numi Popul. illuſtr. (3) Ioubert. Scien. des Med. Pag 399. (4) Ad Num. Goltz. (5) In Numo 11. (6) Diſſert. II. Pag. 115. & 85. (7) In Ariſtide.

superſint, quibus non ΑΘΕ, ſed ΑΘΗ impreſſum ſit; ſi tamen accurate Goltzius [1] illos expreſſerit, cui prorſus atque Occoni *temere fidem non eſſe mancipandam ubi Graecos Numos adtigere* obſervavit Spanhemius [2]. Sed haec, aliaque id genus plura, quae ad Vrbis Athenienſis nomen attinent, clariora ſunt certe quam ut fuſius exponi debeant.

XIII. Longe difficilius eſt ſane in tanto veterum Scriptorum ſilentio coniicere quid iis characteribus exprimatur, quos in Amphorae ſinu impreſſos eſſe conſpicimus. Siquidem in Numis illis, quos inferius exponam, *ſeptem* ſequentes literae inſcriptae ſunt, ut illarum quidem nonnullae ſemel unicoque in Numo obſerventur; aliae vero ſemel iterumque; unica denique ter, variiſque Numis inſcripta deprehendatur, ut in ſubiecta ſerie conſpicitur

3			2	1	1	1	2	1
Α	.	.	Δ	Ε	Ζ	Η	Θ	. Κ

Certe, ſi literarum varietas vario Numorum ponderi, aut Amphorae magnitudini reſponderet, tenuis exinde ſuſpicio oriri poſſet quod ipſorum varietas non aliam, quam ponderis huius, valoris, aut Amphorae varietatem expreſſerit. Cum vero eadem prorſus Amphorae diotae magnitudo, idemque pondus, aut valor in iis etiam Numis obſervetur, qui variis tamen eiuſmodi literis inſigniuntur, nihil exinde conſtitui, vel inferri poſſe putaverim. Ita propemodum, ſi characteres illos Amphorae inſculptos cum literis Amphorae ſubiectis, vel cum nominibus, quae Numis inſcripta fuerint, comparaveris, nulla prorſus affinitas, atque connexio deprehendi poterit. Siquidem character Θ Amphorae inſculptus aliquando cum ΣΩ, & ΜΕ Amphorae ſubiectis coniungitur. Saepius tamen utrumque ex iſtis ſine Θ reperitur, quamvis cum alio charactere Amphorae impreſſo minime coniungatur. Ita character Α cum ΚΥ & ΑΠ obſervatur; character Δ cum ΣΦ & ΕΡ coniungitur; ſed alicubi tamen ΣΦ ſine Δ reperitur, quamvis nulli unquam alteri coniungatur. Itaque perplexitas iſta argumento certe eſſe poterit quod neque Numi valor, neque Amphorae varietas, neque ullus Atticae Populus iis characteribus exprimatur. In tanta vero

rerum

(1) Tab. XIV. Vid. Oudin. Hiſtor. Acad. Inſcr. Tom. I. (2) Diſſert. XI. pag. 2

rerum obscuritate nihil, ut arbitror, verisimilius afferri potest, quam varia solum loca literis eiusmodi designari, in quibus Numi cudi consueverant, hoc est Officinas illas, quae auro, argentoque feriendo destinatae fuerant, quae ἀργυροκοπεῖα vel σημαντήρια vocari consueverunt, ut Harpocration, & Suidas testatur Ἀργυροκοπεῖα ὅπȣ κόπτεται τὸ νόμισμα, ὃ νῦν σημαντήριόν τινες καλȣ͂σιν hoc est Ἀργυροκοπεῖον locus *ubi cuditur pecunia, quem* σημαντήριον *nunc quidam appellant*. Itaque praeclare feliciterque Harduinus (1) coniecerat characteribus illis Α, Β, Γ etc. qui in graecis Caesarum Numis subinde occurrunt, varias Monetariorum *Officinas*, quae in eadem Vrbe fuerant, designari: quemadmodum prorsus in latino Valentiniani Caesaris Numo scriptum conspicitur *Officina III. Constantinopolitana*. Itaque facile Athenis etiam, in libera nimirum civitate, quae argenteis fodinis, ac metallicis officinis aliis abundabat, varia Numorum genera non uno eodemque in loco, sed in variis potius, diversisque Officinis fortasse cudi vel signari consueverint; atque haec ipsa locorum, vel Officinarum varietas characteribus illis expressa fuerit, quos Amphorae inscriptos esse iam diximus. Nec erat sane cur Haymus ipse, qui Harduini vestigiis prius institerat, ipsas quoque Amphorarum Officinas designatas hic esse coniiceret (2). Siquidem, ut argumenta cetera nihil morer, nobiliores Amphorae Athenis in *Anaphlysto* Populo, atque *Coliade* parari consueverant (3); neque tamen eiusmodi locorum nomina Amphoris ipsis inscripta ostendi facile poterunt. Quod si characteribus illis Officinarum varietas, ut antea diximus, exprimatur, ipsarumque numerus ex iis solum Numis constitui debeat, qui ad haec usque tempora pervenerunt, decem, ut videtur, Officinae eiusmodi Athenis admitti poterunt. Quamvis enim litera Κ sequioribus temporibus *vicenarium* numerum exprimeret; perspicuo tamen Philochori testimonio, quod Aristophanis Scholiastes exhibet, erudimur illa *denarium* potius numerum indicari. Etenim ubi Philochorus in Glaucippi Archontis anno, hoc est 3. Olymp. XCII. de Dicasteriis agit, in quibus decem Iudices ex Tribubus electi ius dicebant, ait Ἀθηναῖοι ἀπὸ τῶν φυλῶν ἐποίȣν τȣ̀ς δικαςὰς κατὰ τὰ γράμματα. οἷον ἡ πρώτη

(1) Vid. Ioubert. Scien. des Medail. (2) Tomo I. Pag. 212. (3) Vide supra Num. 10.

τὸ Α ἔσχε σημεῖον, ἡ δευτέρα τὸ Β, κ̀ αἱ ἄλλαι ὁμοίως ἕως τοῦ Κ. δέκα γὰρ οὐσῶν φυλῶν δέκα ἐγράφοντο δικασαί. (1) *Athenienses enim ex Tribubus eligebant Iudices secundum literas. Nempe prima* Tribus *habuit signum A, secundu B. & aliae similiter usque ad K. Cum enim decem essent Tribus, decem quoque Iudices adscribebantur.* Itaque in hac hypothesi, si ex Nummis solum hactenus cognitis iudicium ferre liceat, decem Nummorum Officinae Athenis olim extiterint, si character ille K, qui in Nummis modo conspicitur, antiquioribus etiam inscribi consueverit: nec facile divinare quis poterit an aucto deinde Tribuum numero Officinae quoque plures paucioresve tunc fuerint; cum praesertim in plerisque Nummis nullus omnino character in Amphora reperiatur: sive quod extritus, evanidusque Goltzii, Haymi, aliorumque diligentiam effugerit; sive quod interdum ille negligi, vel ommitti consueverit.

XIV. Quemadmodum vero in Amphorae transversae medio in Nummorum plurimis unicus ubique character, aut litera reperitur, ita quoque infra Amphoram ipsam, aut in infima adversae areae parte duo characteres alii, seu literae conspiciuntur: atque ita quidem ut in variis etiam, distinctisque Nummis, qui variis nimirum symbolis, atque nominibus insigniuntur, eaedem prorsus literae saepius observentur, ut in subiecta ipsorum serie conspicitur

ΑΠ. Num. 43.	ΦΑ. Num. 34.
ΕΡ. Num. 44.	ΦΔ. Num. 41.
ΕΦ. Num. 30.	ΦΙ. Num. 1.
ΗΡΑ Num. 36.	ΩΙ. Num. 37.
ΚΥ. Num. 29.	
ΛΙ. Num. 45.	
7. ΜΕ. Num. 11. 13. 14. 16. 17. 23. 27.	
ΠΕ. Num. 60.	
ΠΡ. Num. 24.	
ΠΣ. Num. 32.	
ΣΑ. Num. 47.	
14 ΣΦ. Num. 21. 38. 39 42.	
6. ΣΩ. Num. 2. 3. 4. 7. 8. 50.	

Qui

(1) Ad Plutum Act. IV. Scen. 4. vers. 973.

Qui varios eiusmodi characteres inspexerit, atque accurate interse comparaverit, facile, ut opinor, intelliget nihil fortasse verisimilius ab iis, quam varios Atticae Populos, indicari, in quibus ipsi Numi percussi fortasse fuerint; aut quorum curae Monetariae Officinae tunc temporis commissae forent. Etenim siglarum, vel characterum quilibet ad aliquem ex notis Atticae Populis, veluti prima ipsorum syllaba revocari facile poterit. Sic ΑΠ *Apollonienses* fortasse significat; ΛΙ *Limnas*; ΣΑ *Salaminem*; ΠΡ *Prasienses*, *Probalinthum*, *Prospaltam*; ΦΑ *Phalerum*; ΦΙ *Philaidas*; ΣΦ *Sphettum*, aut *Sphendalen*; ΜΕ *Melitam*, aut *Melanenses*; ΚΥ *Cytherum*, *Cycalam*, *Cyrtiadas*, *Cynosargem*, *Cydantidas*, aut *Cydathenaeos*; ΕΡ *Ericiam*, *Hermum*, *Eretriam*, *Erchiam*, *Erechtheiam*, *Eroiades*. Obscurius est autem quid characteribus ΠΣ exprimatur, cum sensus ullus exinde facile exsculpi nequeat. Sed facile vel scalptoris, vel pictoris vitio ΠΣ pro ΠΕ, quod alio in Numo conspicitur, scriptum fortasse fuit; adeoque *Pergase*, *Pentele*, *Perrhidae*, *Perithoedae*, *Piraeeus* hic intelligi debet; eodemque modo pro ΦΔ in Numis aliis ΦΑ legendum erit, ut Numus etiam iste ad *Phalerum*, alterius instar, referatur. Ita propemodum in Numo, in quo ΕΦ impressum conspicitur, facile ΣΦ legendum erit; ut proinde Numus ille ad *Sphettum* referatur. Sic in alio Numo pro ΗΡΑ facile ΠΡΑ rescribi poterit; nisi fortasse *Heraclea* quaedam Attica, vel Populus alius nobis incognitus exprimatur. Vbi vero ΩΙ Numis inscriptum conspicitur, num ΟΙΟΝ *Oeum* intelligi, supplerique debet? num ΩΡΟΠΟΣ *Oropus* tunc temporis Atticae Populis adiectus erat? num ΩΡΥΧΙΟΝ *Orychium*, quod Atticae regionis τόπον *locum* Stephanus appellat, ceteris Atticae Populis accensebatur? Denique ubi ΣΩ non semel, sed sexies in Numis ipsis conspicitur, num aliquis Atticae Populus, quem modo ignorare cogimur, fortasse exprimitur? aut ΣΩΣΤΗΡ *Zoster* notissimus Atticae Populus indicatur? Maxima certe inter literas illas Ζ & Σ affinitas intercedit, ut in pluribus proinde vocibus, Marmoribus, ac Numis etiam una alterius loco usurpari consueverit; adeoque, Vaillantio ipso teste (1), alicubi ΣΕΥΣ pro ΖΕΥΣ subinde conspiciatur; quod facile exemplis aliis ostendi pos-

 set.

(1) Differt. II. Vide Nicolaum de Siglis c. 23.

set (1). Haec aliaque id genus, quae divinando fere subiecimus, accurate probari, refellive poterunt ubi characteres illi Numis impressi subtilius explorentur, aliorumque Numorum praesidio uberiorem aliquando lucem iis affundi contigerit. Illud unum hic obiter inferri, vel observari maxime velim quod eiusmodi Populi, si quidem Atticae Populi censendi illi fuerint, ad cives illos, Archontes, aut Praefectos, qui Numis inscripti sunt, referri minime possunt. Etenim, ut exemplis aliis abstineam, in Numis, quos inferius Num. 36. 37. & 38 proferam, duo postrema nomina prorsus eadem sunt, atque in 37 & 38. idem quoque symbolum observatur; & tamen in 37 character ΩΙ, in 36 ΗΡΑ, in 38. ΣΦ reperitur. Atque, ut illustrius exemplum aliud exhibeam, in Numis 43. & 44. eadem prorsus nomina, idemque symbolum inesse conspicitur; & tamen in unius Amphora Α, subtus Amphoram ΑΠ; in alterius Amphora Δ, ac subtus Amphoram ΕΡ scriptum conspicimus: quod argumento certe esse poterit haec Populorum nomina, seu characteres illos, quicumque demum ii fuerint, ad cives illos minime referri posse, qui Numis inscribuntur. Cum tamen in Numis 36. 37. & 38. in primo solum nomine varietas observetur, simulque varium Populi nomen inscribi videatur; atque vicissim in 2. & 3. quemadmodum prorsus in 7. 8 & 9 primum nomen sit idem, simulque character etiam aut Populi nomen idem esse videatur; facile suspicari quis poterit characteres illos aut nomina subtus Amphoram insculpta non ad cives omnes Numis inscriptos, sed ad primum dumtaxat, veluti ipsorum principem, referendos esse.

XV. Supremo tandem loco characteres alii, vel nomina explicanda nobis occurrunt, quae in omnibus fere Atheniensium Numis in adversa ipsorum area circa Noctuam hinc inde disposita reperiuntur; ut aliquando quidem unicum, subinde duo, plerumque tamen tria; aliquando mutila, vel imperfecta; plerumque etiam integra, & absoluta videantur. Quandoquidem vero de iis nominibus, Numorumque characteribus nihil omnino veteres Atticae Scriptores prodidere, tanta hac in parte perplexitas, atque obscuritas haberi profecto debuit, ut illa vix apte dirimi vel superari nunc possit: cum

(1) Vid. Lucian. Indic. Vocal. Seguin. Selecta Numism. in fine.

cum praesertim doctissimi quoque Viri, qui Atheniensium Numos explicandos susceperunt, ita dissideant, ut alii quidem illustrium Virorum, qui Athenis floruerant, alii Eponymorum Archontum, qui Atheniensium Fastis inscribi consueverant; alii denique Magistratuum, aut Praefectorum, qui cudendis Numis ipsis praesederant, nomina iis impressa fore putaverint. Quid Cl. Viros in dissidentes adeo sententias impulerit accurate primum exponam, simulque rationes omnes, & argumenta complectar, quibus ipsarum quaelibet inniti posse videtur; ut eruditus ac diligens Antiquitatum harum cultor intelligat quaenam hypothesis ceteris excellere fortasse debeat. Atque, ut a prima exordiar, cum Haymus (1) in Numo quodam scriptum observasset ΑΠΕΛΛΙΚΩΝ ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΕΣ *Apellico*, *Aristoteles*, hic Aristotelis Peripateticorum principis nomen, simulque Apellicontis Teii, qui Aristotelis eiusdem Opera misere discerpta, ac depravata collegerat, suppletisque temere lacunis mendis etiam innumeris inquinaverat, haberi putavit; Numumque ipsum Athenis Hadriani Caesaris aetate cusum coniecit, cum Athenienses, Strabone teste (2), amantissimi Caesaris beneficio Aristotelis Opera Romam prius, direptis a Sylla Athenis, translata recuperarunt. Itaque, licet Haymus variis in locis coniecisset iis nominibus Monetae Praefectos designari (3); alibique modeste dixisset affirmari non posse, an illa Monetarium potius, quam Archontes Eponymos, aut illustres Atheniensium Viros designent; perspicuo tamen, ut existimat, hoc Aristotelis (4), & Apellicontis exemplo contendit non Archontes Eponymos, non Magistratus alios, sed celeberrimos solum Viros iis nominibus expressos esse; adeoque nomina ceteris Atheniensium Numis impressa hac una lege, vel methodo explicanda fore (5). Tantum tamen abest ut hypothesis illa, quae Cl. Viro magis arriserat, ceteris accuratior, atque felicior haberi debeat, ut paullo potius liberius inventa, ac falsa propemodum censeri merito possit. Id facile, ut opinor, intelliget quicumque nomina Atheniensium Numis inscripta cum Atticae Historicis comparaverit. Quamvis enim alicubi *Platonis*, *Demosthenis*, *Menedemi*, *Dio-*

(1) Tomo I. pag. 216. Vide infra Numum 45. (2) Lib. XIII. pag. 609. Athen. Lib. V. c. 14. (3) Tomo I. pag. 150. (4) Tomo I. pag. 212. (5) Tomo I. pag. 216.

Diogenis, *Theophrasti*, *Antiochi*, *Lacidae*, *Polemonis*, *Isagorae*, paucorumque id genus Virorum nomina subinde in Numis occurrant, quae ad cognomines Philosophos, aut excellentes Atheniensium cives referri fortasse possint; pleraque tamen alia obscura adeo, atque incognita sunt, ut illustrem aliquem Atheniensem Virum exsculpere exinde vix liceat. Accedit etiam quod si Atheniensium civibus studiorum gloria, bellicaeque virtutis laude praestantibus honor ille deferri consuevisset, ut ipsorum nomine Numi decorarentur, fieri certe vix posset quin *Platonis*, *Epicuri*, *Socratis*, *Demetrii Phalerei*, aliorumque praestantissimorum hominum nomine Numi quidam insigniti non fuerint; adeoque Laertius, aliique plurimi, qui statuas, titulos, aliaque id genus monimenta iis consecrata accuratissime descripserunt, hoc etiam honoris genus facile memorassent. Certe Laertius ipse testatur 360 statuas Athenis Demetrio Phalereo excitatas fuisse (1); Beroso statuam inaurata lingua positam refert Plinius (2); Cicero (3) Epicuri imaginem in poculis, atque annellis insculpi consuevisse prodidit: nullus tamen Sapientis alicuius, aut excellentis Viri imaginem Atheniensium Numis inscriptam esse testatur; quamvis plurimi Homero a Chiis (4), Polemoni a Smyrnaeis (5), Pythagorae a Samiis (6); Sapphoni a Mitylenaeis (7) id honoris concessum esse memoraverint. Quod si praeclaris Atheniensium civibus honor ille haberi non potuit ut ipsorum nomina Numis imprimerentur, quis *Aristotelis*, & *Apellicontis* nomine percussum Numum existimet, cum neuter Athenis ortus, vel Atheniensis civitatis iure donatus esset? Denique, ne argumentis aliis hic immorer, ipsa nominum series, aut ordo vix patitur, ut Stagiritae Aristotelis, Teiique Apellicontis nomina censeri illa possint. Quis enim fieri potuisse putaverit, ut Apellicontis, rudis nimirum, ac imperiti Grammatici nomen ante celeberrimum, ac illustre divini Philosophi nomen exprimeretur: ubi praesertim Numus ipse in Aristotelis honorem cusus dicatur, quod eius Opera iterum Athenas delata forent, ut Haymus existimaverat? Ceterum, ne id quidem facile Cl. Viro concesserim; cum neque Strabo, quem ille vadem, autoremque pro-

(1) Lib. V. seg. 75. (2) Lib. VII cap. 37. (3) De Fin. V. c. 1. (4) Poll. Lib. IX. c. 6. segm. 84. (5) Philostr. Vit. Soph. (6) Vaill. Pag. 307. (7) Pollux loco cit.

protulit, neque ullus omnino ex Scriptoribus aliis, qui variam Aristotelicorum Operum fortunam accuratissime descripserunt, haec iterum Hadriani Caesaris aetate Athenas delata memoret; adeoque nulla caussa esse possit cur Numus ille tunc temporis cum *Aristotelis*, & *Apellicontis* nomine cuderetur; atque Athenienses ipsi, qui neque Hadriani, neque alterius Caesaris nomina Numis suis inscribere voluerunt, Aristotelis, eiusque Interpretis, aut consarcinatoris nomen impresserint.

XVI. Quod si in Aristotelis, aliorumque illustrium Virorum nominibus ex variis Atheniensium Numis ingeniose exsculpendis immerito laboravit Haymus, non multo sane felicior, atque accuratior haberi fortasse ille poterit ubi Themistoclis vultum, simulque victoriae ab illo partae symbola in alio Numo se deprehendisse putavit. Cum enim in anteriori ipsius area *galeatum Viri caput*; in adversa vero Noctua expansis aliis suspensa, palmaeque ramum pedibus ferens videatur; in suprema areae parte ΑΘΗΝΑ; in infima subtus transversum palmae ramum ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ, denique ad Noctuae dexteram M, ad sinistram A legatur, Numum ipsum Themistoclis aetate cusum putavit Haymus (1): ut Themistoclis quidem ipsius effigies in antica area impressum censeri debeat; expansis vero Noctuae alis, simulque palmae ramo Salaminia pugna exprimatur, quae Themistocle duce anno 1. Olymp. LXXV. parta fuit. Doctissimi tamen Viri pace neque Numus ille ad Themistoclis aetatem referri, neque Themistoclis eiusdem vultus in illo expressus putari facile poterit. Etenim, ut hinc exordiar, character ille, seu litera H, quae semel iterumque in ipso conspicitur, manifeste nobis ostendit Numum ipsum post annum 2. Olymp. XCIV. quo literam illam Athenis usurpari caepisse iam diximus (2), signatum fuisse; ut immerito proinde ad antiquiora tempora referatur, quibus in Graecis Marmoribus, quae supersunt, character ac vocalis illa nuspiam occurit; sed aliquando solum veluti asperi spiritus, vel adspirationis nota vocalibus aliis appingitur (3). Cur vero Themistoclem potius, quam Miltiadem, Periclem, aut alium Atheniensium Imperatorem expressum hic esse putemus? Num fortasse quia Noctua expansis alis in illo conspicitur, atque olim Themistocli

(1) Tomo I. pag. 193. (2) Vid. Meurs. Arch. Ath. III. c. 17. (3) Dissert. IV. Num. 4.

stocli dimicaturo Noctua supra proram volitans victoriam, Plutarcho teste (1), portenderit? Sed levior haec certe, paulloque liberior coniectura: cum eadem ipsa Noctuae volitantis imagine victoriam quamlibet Athenienses designare potuerint; quemadmodum prorsus in Numis aliis Noctuam expansis alis volitantem expressam esse iam diximus, quos tamen nemo ad Themistoclem, vel Salaminiam potius, quam pugnam aliam, revocaverit. Ceterum, sive Salaminia, sive Marathonia, sive quaecumque alia Atheniensium victoria hoc Numo designata videatur, Themistoclis tamen, alteriusque ducis effigies in illo expressa censeri sane non poterit. Siquidem Aeschines nitide, diserteque testatur praeclaris eiusmodi ducibus immortalem quidem nominis celebritatem, atque illustre decus contigisse; nullibi vero concessum ut ipsorum nomina publicis monimentis inscriberentur: ne fortasse praeclara id genus facinora non Populi, sed Ducum ipsorum virtuti tributa viderentur: *μὴ ἐπιγράφειν τὰ ὀνόματα τὰ ἑαυτῶν, ἵνα μὴ τῶν Στρατηγῶν, ἀλλὰ τῦ δήμυ δοκῇ εἶναι τὸ ἐπίγραμμα . . . ἔςιπυ τὸ τῶν Στρατηγῶν ὄνομα; ὐδαμῦ, ἀλλὰ τὸ τῦ δήμυ. ea tamen lege ne sua nomina inscriberent: ut non Imperatorum, sed Populi inscriptio videretur . . . . Est ne hic uspiam Ducum nomen literis expressum? Nuspiam, sed Populi* (2). Itaque, si ne ipsius quidem Miltiadis nomen publicis monimentis illis inscribi passi sunt Athenienses, quis fieri potuisse existimet ut Themistoclis vultum, atque ipso quidem adhuc superstite, Numis imprimerent? Quod si sequioribus solum temporibus, quibus severior illa Atheniensium disciplina elanguerat, Numus ipse signatus dicatur, Themistoclis tamen effigies, aut Salaminia pugna in illo expressa videri non poterit, nisi perspicuis characteribus id ostendatur. Tantum autem abest ut argumentis ullis id confirmetur, ut alterius potius victoriae symbola, alteriusque Herois imaginem in illo expressam existimem. Etenim, nisi mea me fallit opinio, Numus ille a Marathone Populo, vel Marathoniis cusus fuit; Marathonia pugna in illo designata, Marathonis denique Herois imago in principe ipsius area impressa censeri debet. Ac certe quidem Marathoniae pugnae, vel Marathonis Populi nomen in ipso reperiri satis, ut opinor, ostendunt characteres illi, seu literae

(1) In Themistocle. (2) Orat. advers. Ctesiph.

terae MA, quae circa volitantem Noctuam conspiciuntur: cum praesertim Numus alius ab Harduino proferatur (1), in cuius antica parte *galeatum Palladis caput* cum voce ΜΑΡΑΘΩΝ *Maratho*; in adversa Mercurius cum epigraphe ΔΗΜΟΣ *Populus* exprimitur: quod nimirum Numus ille vel Marathone, vel Marathonii Populi cura, sumptibus, aut auspicio signatus esset. Quod vero Marathonis potius Herois, quam Themistoclis vultus in illo reperiatur indicio esse potest quod Numus ipse non ad universum Atheniensium Populum, sed fortasse potius ad Marathonios solum spectaverit; qui proinde principem Heroem illum, quem veluti nominis, atque originis auctorem venerari consueverant, exprimere voluerint; quemadmodum fere in antiquioribus Atheniensium Numis *Cecrops*, in Tarentinorum *Taras*, impressus conspicitur. Denique, quod ad ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ vocem attinet, haec ad Palladem ipsam referri facile poterit, atque ita cum superiori ΑΘΗΝΑ coniungi ut Αθηνας Νικηφορυ *Palladis Victricis* legatur; nisi fortasse Νικηφορος legendum, adeoque *Pallax victrix* reddendum sit. Solemnis tamen illa, ac ubique constans inscriptio, quae in ceteris Numis omnibus observatur, hic, ut opinor, expostulat ut non Αθηνα *Pallas*, sed Αθηναιων *Atheniensium* legatur; adeoque Νικηφορυ non Palladis epitheton, sed Viri fortasse nomen habendum erit, ut nempe exprimatur *Nicephoro* Athenis *Archonte*, vel Aerarii *Praefecto*, vel Marathonii Populi *Demarcho* Numum illum cusum fuisse. Sed haec subtilius aliis exploranda relinquimus. Id unum certe constitui nunc posse putaverim quod prorsus immerito illustrium Virorum nomina in Atheniensium Numis inquiruntur; adeoque Haymi sententia manifestissime refelli debet.

XVII. Altera vero opinio (2), quae non Eponymos Atheniensium Archontes, sed Magistratus alios, praesertim vero Monetae, vel Aerarii Praefectos, ipsorum Numis inscriptos esse arbitratur, tantum abest ut facile, manifesteque refelli possit, ut perspicuos potius veritatis characteres praeseferat, ceterisque palmam praeripere videatur. Atque illud in primis afferri posse conspicitur quod in Atheniensium Numis non unicum nomen, sed interdum duo; plerumque tamen tria reperiuntur: quod fieri certe, vel explicari vix poterit

(1) Numi Popul. illustr. (2) Haym. Tom. I. Pag. 212.

si cives illi Numis inscripti Archontes Eponymi censendi forent. Siquidem Eponymus Atheniensis Archon unicus erat; ideoque simplex, unicumque nomen in Numis etiam occurreret. Quod si fortasse quis dixerit non Eponymum solum, sed alterius etiam ex Novemviris aut Archontibus nomen inscribi potuisse, cur unus solum Archon aut duo, ceteris omissis, inscripti fuerint? num Polemarchum potius, aut Regem, num ex sex Thesmothetis aliquos Archonti Eponymo coniunctos esse putabimus? Haec, aliaque id genus plura facile quidem coniicere, vel divinare quis possit; sed nulla tamen ratione fulciri, seu probari illa poterunt. Itaque Cives illi, qui Numis inscripti sunt, non ex Novemviris electi fuerunt; nihilque fere verisimilius effingi supponique poterit, quam Praefectos illos, qui Aerario, vel Monetae praefuerant, Numos omnes suis nominibus, veluti characteribus, insignire consuevisse: cum praesertim eiusmodi Praefectorum nomina aliarum Gentium Numis inscripta frequentissime nobis occurrant. Ita Vaillantius plures exhibet, in quibus *Aediles* auro argentoque feriendo praepositi nominantur (1); in aliis unicum *II. Viri* nomen (2); in Corinthiorum Numis *IIII. Viri*, ipsorumque nomina conspiciuntur; quamvis in Augusti Numo a Corinthiis ipsis percusso unius solum *II. Viri* nomen habeatur. Denique in plurimis vetus solemnisque formula reperitur A. A. A. F. F. Itaque facile apud Athenienses etiam Aerario, Monetaeque cives aliqui praefecti fuerint, qui sua proinde nomina Numis ipsis inscriberent; cumque aliquando Praefectus unicus, aliquando plures eligi vel esse possent, in ipso quoque nominum numero varietas admitti debuit, ut aliquando unicum, duo subinde, plerumque tria reperiantur. Hinc optime, accurateque Begerus de ipsis Atheniensium Numis disserens ait: *An* Ἀρχόντων Archontum, *an aliorum Magistratuum nomina continent? Cum Monetae inscripta sint, credibile est Praefectorum Monetalium esse. Sed ex Historicis lux nulla affulget* (3): quemadmodum alibi de Dyrrachiorum Numis agens, quibus unicum nomen inscriptum conspicitur, quamvis apud illos Tribuni plures, ac Praetores annui solum eligerentur, ait *de Monetae Praefectis res tutissima videtur, non alio argumento, quam quod Monetis impressa summam de iis potesta-*

(1) Pag. 38. 102 & 176. (2) Pag. 45. (3) Tomo I. Pag. 471.

testatem arguant (1). Ita Cuperus, cum Numum *elephantis* symbolo insignem, tribusque nominibus *Antiochi*, *Charaeci*, *Scymni* ornatum vidisset, tres cives illos Monetae Praefectos, *non secus ac alios in aliis* (2), inscriptos esse putavit, qui elephantis imaginem, veluti symbolum, usurpaverint. *Atque ita*, inquit, *conspiciuntur in Atheniensium Numis camelus, cicada, uva, aquila, caput leonis, & reliqua, nullam aliam ob caussam, quam quia Praefecti Monetae insignia illa sibi sumpserint*. Modestior tamen, paulloque ceteris remissior Nonnius, qui de nominibus ipsis ait: *Quid autem sibi volunt inscriptiones? ὐδὲν ὁρίζω. An nomina sunt Archontum? an rei monetariae Triumvirorum? non ausim asserere* (3); quemadmodum prorsus alibi in Dyrrachiorum Numis vel Tribuni, vel Poletae, vel Monetae Praefecti nomina inscripta fore putavit (4). Denique Oudinetus, qui plurimos Atheniensium Numos in regia Galliarum Gaza contrectavit, incertum esse testatur an Archontes Eponymi, an Magistratus alii, praesertim vero Monetarum Praefecti, Numis ipsis inscripti fuerint: *Dubitari*, inquit, *non potest quin haec* nomina Numis impressa *totidem Atheniensium Magistratuum nomina sint; sed illud ipsum ambigitur an Magistratuum isti sint Archontes, qui Athenis eligi solebant; aut Officiales alii, qui monetis cudendis praefecti fuerant. Nominum, agnominumque comparatio, & examen dirimendae difficultati conferre poterunt, de qua nemo hactenus pronunciare ausus est* (5).

XVIII. Sed, quamvis haec omnia subtiliter, maximaque, ut ingenue fatear, veri specie a Cl. Viris illis observata iam fuerint, libentius hic tamen in extremam opinionem aliam abriperer, quae Eponymorum Atheniensium nomina Numis inscripta fore contendit; sive quod tacita quaedam augendorum, simulque illustrandorum Fastorum cupiditas, quae mihi iam pridem insederat, in causa fuerit, ut Archontes hic potius, quam Magistratus alii mihi nunc animo obversentur; sive quod haec hypothesis ceteris omnibus accuratior haberi fortasse debeat. Itaque, cum Haymus, Begerus, aliique plurimi Archontes quidem Eponymos, ut antea vidimus, Numis inscribi potuisse dixerint, sed nihil tamen

(1) Tomo I. Pag. 462. (2) De Elephant. Libr. I. c. 9. (3) Ad Numos Goltz. pag. 81. (4) Pag. 4. (5) Hist. Acad. Inscript. Tom. I.

men adiecerint, quo sententia illa confirmari posse videatur, e re futurum putaverim, si rationes omnes, & argumenta complectar, quibus opinionem hanc ostendi probarique posse conieceram; simulque rationes omnes, & argumenta refellere enitar, quibus illa premi, vel infirmari posse conspitur. Quod si mea me spes, ac opinio fortasse fefellerit, id unum tamen neque iniucundum, neque inutile futurum confido, si rationes omnes oculis accurate subiectae fuerint, ut facile inter sese conferri illae possint, adeoque repente coniici quaenam hypothesis alteri palmam praeripere, ceterisque praeferri fortasse debeat.

XIX. Atque, ut exinde exordiar, Eponymos Atheniensium Archontes ipsorum Numis inscriptos esse non obscure, ut arbitror, inferri poterit ex veteri, constanti, ac perenni aliarum Graecarum Vrbium more; quo ipsarum singulae principes Magistratus Numis suis inscribere consueverunt. Id facile, opinor, intelliget quicumque in Populorum, aut Vrbium seriem oculos coniecerit, quorum Numos Harduinus illustravit. Siquidem plurimi *Stategi*, alii *Hegemonis*, alii *Scribae*, alii *Prytanis* nomen inscriptum habent; aliique plurimi, ac 30. fere, Archontis nomen, simulque dignitatis notam, aut characterem ipsum praefixum habent; ut aliquando quidem ΑΡΧΟΝΤ (1) aliquando solum ΑΡΧ. plerumque ΑΡ. praeseferant: qui tamen characteres omnes Ἄρχοντα *Archontem* significant; quemadmodum plurimi ΑΡΧΙ hoc est Ἀρχιερέως *Sacerdotis maximi* nomen exhibent; atque ita quidem, ut Cl. Spanhemius observavit, quod ΑΡ. vel ΑΡΧ. *Archontem*, atque ΑΡΧΙ. *Sacerdotem Maximum* significat: *quod attendi ab iis meretur, qui veteres Numos consulunt, aut attrectant* (2); quamvis Spanhemius ipse alibi adiecerit *interdum, sed rarius, literis initialibus* ΑΡΧ Ἀρχιερέα, ut in Ephesiorum Numis, *designari* (3). Interdum etiam integrum Ἄρχων nitide diserteque scriptum conspicitur, ut in Numis *Temenothurensium* (4), *Sardianorum* (5), aliisque, quos Vaillantius enumerat; ut nullus proinde ambigendi locus supersit quin Vrbium singulae principum Magistratuum nomina Numis impresserint; ac Vrbes illae, quae *Archontes*, velut Epony-

(1) Vaill. Pag. 13. (2) Differt. IX. Pag. 694. (3) In Addendis. Vide Ioubert Scienc. des Med. Pag. 105. (4) Spanh. ibi. (5) Ioubert ibi.

ponymos summosque Magistratus, habere consueverant, Archontes ipsos inscripserint. Itaque, cum Athenis maxima, ac suprema dignitas Archontis Eponymi censeretur, eiusque nomen veluti temporis character Marmoribus, ac Monumentis aliis inscriberetur, dubitari sane vix poterit, quin Archontes ipsos Numis etiam, aliarum omnium Gentium instar, Athenienses impresserint; idque honoris minutioribus viris, ac Magistratibus aliis numquam concesserint. Certe Vaillantius, qui Gentes omnes, aut Vrbes accuratissime enumeravit, in quorum Numis Archontis nomen conspicitur, saepius, diserteque testatur Vrbes illas Atheniensium Colonias fuisse, adeoque Archontis, interdum etiam, post Domitiani præsertim Caesaris tempora, *Strategi* nomen Numis insculpsisse (1): alibique iam dixerat *Archon in plurimis Vrbium, quas hic describimus, Numis summus est Magistratus, ut in aliis* Στρατηγὸς *seu Praetor, sub cuius potestate, & nomine moneta signabatur. Hae Atheniensium erant Coloniae, vel ex illis, quae Colonias alias deduxerant, vel quae Atheniensium leges sequebantur; sicut in Bithynia Vrbes ab Hadriano instauratae, vel conditae Archontas habuere. Duo fuisse videntur, qui per annum in Magistratu manebant. Primus ab altero per vocem* A, *quam alter reticebat, distinguitur; uterque continuari poterat, ut iidem nos docent Numi, in quibus* τὸ B, τὸ Γ *iterum, tertium, ut apud Gruterum*, κ̀ τὸ B πρῶτον Ἄρχοντα (2).

XX. Quandoquidem vero Vaillantius ipse, praeter *Miletum*, *Prienem*, aliasque Athenienses Colonias, Graecarum Vrbium plures veluti Atheniensium Colonias hic indicavit, quae fortasse in Coloniarum numero haberi vix possunt; aliaeque plures, ut *Ephesus*, quamvis Atheniensium Coloniae forent, non Archontis tamen, aut Strategi, sed *Sacerdotis*, vel *Scribae* nomen inscribere consueverunt, illustre exemplum unum hic proferam, ex quo facile non immerito deducatur Athenis etiam Eponymi potius Archontis, quam alterius Magistratus nomina Numis inscribi consuevisse. Chium Insulam Atheniensium Coloniam fuisse Scriptores omnes testantur (3): quin etiam Plutarchus asserit Isocratis opera Chios Remp. suam ad Atheniensis Reipublicae faciem conformasse, ut iisdem institutis, legibus, ac ritibus uterentur. In Chiorum au-

(1) Pag. 318. (2) Pag. 310. Vid. etiam Pag. 81. 87. 113. (3) Vid. Meurs. Fort. Athen. c. 6.

autem Numis praeter Sphingem, Amphoramque diotam, qua celebre fortasse ipsorum vinum exprimitur (1), Archontis etiam Eponymi nomen inscriptum esse conspicimus. Tres Chiorum Numos Harduinus (2) exhibet, in quorum primo legitur Επι Αρχ. Πρασινου δις, *sub Prasino Archonte iterum*; in secundo Επι Αρχ. Αυρ. Χρυσογονου Επαφροδιτου *sub Archonte Aurelio Chrysogono Epaphrodita*; in tertio Επι Αρχ. Κοθυαπρειμου *sub Archonte Cothya Primo*, vel *Primi* filio: sive, ut Begerus legendum esse contendit (3), Κουλ. Πρειμου *Culattio Primo*: quamvis in alio Chiorum ipsorum Numo Ηριδανος *Heridanus* legatur (4), ac Begerus ipse subdubitans dixerit *Nomen proprium esse Magistratus fortasse alicuius pronus sum ut credam*. At in explicando Heridani, vel Magistratus nomine non erat certe cur Begerus hic haesitaret. Siquidem, ut superiores Haymi Numos praeteream, in alio Chiorum Numo (5) Δωροθεος Χιος *Dorotheus Chius*; in alio (6) Ασπας Χιος *Aspa Chius*; in alio (7) Θερσες Χιος *Therses Chius*; in alio (8) denique nitide diserteque legitur ΧΙΩΝ ΕΠΙ ΑΡΧΗΣ ΑΠΡCΙΜΟΥ *Chiorum sub Archonte Ap. Primo*, vel *Primi* filio. Itaque, si Chius, quae in Atheniensium Coloniis certissime censebatur, quaeque Atheniensium ritibus utebatur, *Archontis* nomen Numis suis inscribere consuevit, quis aperte non videat id de ipsa quoque Atheniensium Vrbe non immerito deduci posse; ut nimirum ritus ille, vel consuetudo ab Atheniensibus ipsis in Chios profluxerit?

XXI. Sed quid coniecturis aliis hic immoror, cum in ipsis etiam Atheniensium Numis *Archontis* nomen, ac titulus aliquando nobis occurrat? Certe in Numo quodam insculptum legitur (9) Επι Θεωνος Αρχοντος. Αναφλυστιων. *Sub Theone Archonte*. Numus *Anaphlystiorum*. Itaque, cum Anaphlystus Atticae Populus foret, Numus, & Archon ille ad Atheniensem Vrbem manifestissime referri debet; cumque simplex *Archontis* nomen in publicis monimentis omnibus Eponymo solum Archonti exprimendo constantissime adhiberetur, Eponymus Atheniensis Archon hic expressus habebitur. Ita propemodum Eponymus ipsorum Archon habendus erit *Ate-*

(1) Nonnius ad Numos Goltz. Pag. 250. (2) Num. Popul. illustt. (3) Tomo III. Pag. 46 (4) Beger. Tomo I. Pag. 421. (5) Goltz. Tab. XVI. Numer. 2. (6) Ibi Numer. 4. (7) Ibi Num. 5. (8) Ibi Num. 1. (9) Ioubert Scienc. des Med. Pag. 177.

Atelianus ille, qui in Atheniensium Numo in Vespasiani Caesaris honorem cuso reperitur (1). Επι Ατελιανου. Αθηναιων. *Sub Ateliano. Atheniensium*. Quamvis enim Vespasianus libertatem Atheniensibus eripuerit, ipsosque Romanorum legibus uti iusserit (2); nihil est tamen cur veterem Magistratus Eponymi dignitatem, aut nomen ab illo sublatum, ac abolitum esse suspicemur: cum plurimae praesertim Civitates aliae, quae Romanorum imperio subiectae Romanis etiam legibus utebantur, supremos tamen, ac Eponymos Magistratus suos Numis adhuc inscribere consueverint. Ita prorsus Eponymi Archontis nomen cum Harduino (3) censeri facile poterit quod in Megarensium Numo apud Harduinum ipsum, & Goltzium conspicitur cum hac epigraphe Μεγαρεων επ Ισαγορου *Megarensium sub Isagora*; itemque in alio apud Harduinum Μεγαρεων. Γοργιφανης *Megarensium. Gorgiphanes*; longeque ut opinor, illustrius Eponymis Atheniensium Archontibus accenseri poterit Pytharatus ille, cujus nomen ΠΥΘΑΡΑΤΟC *Pytharatus* in argenteo Atheniensium Numo reperiri testatur Vrsinus (3). Quo tamen loco Vrsinum ipsum praeclare falli putaverim, ubi hunc Numum Pytharati illius aetate cusum existimat, qui anno 2. Olymp. CXXVII. Eponymorum Fastis inscribitur. Siquidem character C, qui in illo impressus conspicitur, sequioribus solum temporibus usurpari coepit. Ita propemodum Harduinus ipse perspicue fallitur dum ex alio Numo Isagorae illius nomen exsculpsit, qui anno 1. Olymp. LXVIII. imperavit. *Nomen*, inquit, *Archontis adiicitur*. Επ. Ισηγορου. *Is nempe fuit, ut remur, Tisandri filius Atheniensium Tyrannus, de quo Herodotus Lib. V. num.* 66. Quemadmodum enim opportunius alibi est observatum (5), litera vel character Ω longe post Isagorae illius aetatem inventus, atque Athenis usurpatus fuit. Itaque *Pytharatus*, atque *Isagoras* alius dimanifestissime admitti debet; neque facile profecto ego dixerim an *Theodotus* etiam, *Metrodorus*, *Micion*, *Diotimus*, aliique, qui in Numis occurrunt, ad cognomines Archontes alios, qui Fastis inscripti conspiciuntur, revocari, aut ab iis distingui debeant. Quandoquidem vero unicum *Pytharati*, *Gorgiphanis*, *Ateliani*, *Isagorae*, *Theonisque* nomen Numis il-

(1) Vaillant Pag. 20. & 325. (2) Vide supra Num. ... (3) Vide infra Numum 54. & 55. (4) Numo 53. (5) Differt. XII. Num. 12.

illis impressum non aliud facilius, quam Eponymum Archontem, exprimit, nihil propemodum aut verisimilius, aut accuratius effingi potest, quam in ceteris etiam Numis eodem ipso vetere, constantique more Archontes Eponymos inscriptos esse.

XXII. At, inquiet cum Begero quispiam, unicus Athenis Eponymus Archon erat; Numisque tamen non unicum, sed interdum duo, plerumque tria Civium nomina sine ullo discrimine impressa conspiciuntur. Itaque ex illis quis Archon Eponymus habendus erit? cur Eponymus in illis Archon, non vero potius Cives, aut Magistratus alii censendi sin, qui cudendae Monetae praesederint? Haec aliaque id genus plura, quae mox subiicientur, eximiam adeo veri speciem praeseferunt, ut accurate dirimi, sive refelli vix possint; adeoque me prorsus ancipitem varias subinde in partes abripiant; nihilque certi proferri posse, sed coniecturis solum indulgendum esse existimem. Quamvis tamen in singulis fere Atheniensium Numis non unicum, sed plura potius nomina occurrant, Eponymi semper Archontis nomen ubique, ac principe quidem loco, expressum esse putaverim; simulque postremis nominibus aliis, si adiecta illa fuerint, Cives alios, quicumque demum illi sint, designatos arbitror. Fieri nimirum fortasse potuit, ut non Eponymus solum Archon, sed alter etiam ex Novemviris Numis ipsis inscriberetur. Ita Byzantinorum Numi Archontis Eponymi, sive supremi, nomine decorantur; atque ita quidem ut Caesarum quandoque nomina inscripta gerant, qui apud illos Archontis munere sunt perfuncti. Certe Harduinus ubi Numum protulisset cum epigraphe Βυζαντιων επι Τραιανου *Byzantinorum sub Traiano*; aliumque, in quo legitur Επι Τραιανȣ Και. το Γ *sub Traiano Caesare tertium* Archonte, subdit: *videtur omnino Traianus Byzantiorum, ut Atheniensium Hadrianus, & Gallienus*, Α᾽ρχων *hoc loco appellari; nam & in quibusdam Numis additur* Αρχ. *ut in alio legitur* Βυζαντιων επι Αρχ. Μ. Αυ. Αντονεινȣ *Byzantinorum, sub Archonte M. Aurelio Antonino*: hic nimirum Caracallae Numus inscribitur, idemque Byzantiorum Archon vocatur: & tamen in aliis Byzantiorum Numis non unicus, sed duo Archontes nominantur (1); ut in Sardianorum (2) quoque,

(1) Vaill. Pag. 81. Vide Vandale Diss. II. (2) Vaill. pag. 87.

que, ac Philadelphienſum [1], aliorumque Numis conſpicitur; quamvis Eponymus apud illos unicus haberetur, atque in Sardianorum Numo ſub Caracalla cuſo legatur Ἄρχων τὸ Β. *Archon ſecundum*. Itaque cur non etiam Athenienſes ipſi Eponymum, ſimulque alium ex Novemviris, Numis inſcripſerint; cum praeſertim Vaillantius in Vrbium illarum Numis, quae Athenienſium Coloniae fuerant, ipſorumque legibus utebantur, duos ſubinde Archontes inſcriptos eſſe iam dixerit? Si quidpiam hic tamen coniecturis aſſequor, nomina, quae Archontis Eponymi nomini ſubiecta fuerint, Quaeſtorum potius, aut Praefectorum fuiſſe putaverim. Certe in Epheſiorum Numis aliquando *Scriba* ſolum, aliquando ſolum *Sacerdos maximus*, aliquando denique *Sacerdos*, ſimulque *Scriba* memoratus [2] conſpicitur: quod argumento eſſe poterit Scribam, non tunc ſolum cum Sacerdos in Magiſtratu deceſſerat, Numis inſcribi conſueviſſe, ut opinatur Vaillantius [3]; ſed interdum etiam Sacerdotis, ſimulque Scribae nomina coniuncta fuiſſe. Quid itaque prohibet quin Athenis etiam Eponymi Archontis nomini unius, vel duorum Quaeſtorum, ſive ſi mavis Praefectorum nomina adiungerentur?

XXIII. Ac perſpicuum quidem, ut arbitror, eius moris indicium ex tribus Numis illis inferri poterit, qui num. 36. 37. 38. proferentur. Siquidem in ipſorum ſingulis tria nomina ſic impreſſa conſpiciuntur, ut in primo quidem Μοσχιων, Επιγενης, Σωσανδρος *Moſchion*, *Epigenes*, *Soſander*; in ſecundo Καλλικρατες, Επιγενης, Σωσανδρος *Callicrates*, *Epigenes*, *Soſander*; in tertio denique Μητροδωρος, Επιγενης, Σωσανδρος *Metrodorus*, *Epigenes*, *Soſander* reperiatur. Quis facile expediat cur duo poſtrema nomina eadem prorſus in tribus Numis illis occurrant, primumque in ipſorum ſingulis diverſum ſit, ſi ad Magiſtratus alios, vel Monetae Prefectos ii referantur? Sin vero primo nomine Archontem Eponymum deſignari dixerimus, optime, feliciterque reponi profecto poterit Numos illos diverſis Populi characteribus ΗΡΑ, ΩΙ, ΣΦ inſignitos diverſos, diverſiſque annis, iiſdem tamen Civibus adhuc Praefectorum munere fungentibus, cuſos eſſe; ſolumque proinde Archontis Eponymi nomen variatum eſſe, quod illi diverſis annis, adeoque diverſorum Archontum tempore prodierint.

(1) Ibi pag. 113. (2) Harduin. (3) Pag. 313.

erant. Ita propemodum quis facile dixerit cur in Numo num. 43. proferendo Νεςωρ, Μνασεας *Nestor*, *Mnaseas*; in alio proximo, perturbata vicissim nominum serie, Μνασεας, Νεςωρ *Mnaseas*, *Nestor* legatur, si Praefectorum nomina inscripta ibi fuerint? At, si Nestor ille, qui Mnaseae Archontis anno Praefectus, adeoque secundo loco memoratus fuerat, mox Eponymus Atheniensis Archon evaserit, iam facile intelligetur cur Nestor ipse, veluti Eponymus Archon, ante Mnaseam Praefectum inscribi vel nominari debuerit.

XXIV. Nec illud sane hic reponere, vel mirari quis possit, quod solum Archontis nomen sine *Archontis* titulo memoretur. Vt enim praeteream in Numis aliis particulam ἐπὶ *sub*, in alio ἐπὶ Α'ρχοντος *sub Archonte* occurrere, adeoque obscuriores Numos ex clarioribus explicandos esse, plurima ex Numis aliarum Vrbium exempla proferri possent, quibus solum Archontis, vel Magistratus nomen, dissimulato dignitatis nomine, memoratur. Ita cum Begerus in Eretriensium Numis Δαμασιας, Φανιας, Επιτελης, *Damasias*, *Phanias*, *Epiteles* observasset, ait *simplicius nomina haec Magistratuum credideris* (1). Sic in Chalcidensium Numo legitur Χαλκι. Μενεδη. *Chalcidensium*. *Menedemus*; in alio Nisyriorum Νισυριον, Ιμεραιος (2) *Nisyriorum*. *Himeraeus*; in alio Pergamenorum Μηνοδωρος (3) *Menodorus*, optimeque in ipsorum singulis non alia, quam Archontis, supremique Magistratus, quicumque demum is fuerit, intelligenda esse nomina docet Haymus. Ita Vaillantius etiam accuratissime observavit quod *plurimi sunt Vrbium Numi*, qui *Magistratus appellationem in eis non inscribunt*, *ut satis populo notam* (4), idque in Sardianorum Numis ostendit; qui, quamvis Archontes eligere, Numisque inscribere consueverint, *Archontis* tamen, hoc est dignitatis, nomen interdum omittunt. Itaque facile Athenienses ipsi, quamvis Archontes Eponymos, simulque Magistratus alios Numis imprimere consueverint; sola tamen ipsorum nomina, dissimulato dignitatis, munerisque titulo, ipsorumque discrimine, insculpsisse poterant; quod veterem nempe, & constantem illorum consuetudinem iis temporibus satis perspectam esse intelligerent, posterisque etiam aetatibus futuram esse

(1) Tom. I. pag. 431. (2) Haym. Tom. I. pag. 229. (3) Tom. II. pag. 159. & 162. (4) Pag. 313. Vide & Pag. 324.

esse confiderent. Ac certe, si primum nomen, quod in Numis ipsis conspicitur, *Archontis* titulo nitide, diserteque non decoratur, ne quidem *Quaestoris*, aut *Praefecti* dignitas, nomenque in illis reperitur; adeoque ne quidem *Praefectorum*, vel *Quaestorum* nomina censeri illa possent. Ergo ex omisso dignitatis honorisque titulo inferri certe non poterit quod Archontis Eponymi nomen iis insculptum immerito censeatur.

XXV. Nec multo sane felicius argumentum aliud, quod ex eiusmodi Numis inferri posse videtur si illos cum editis Eponymorum Fastis comparaveris; cumque nulla propemodum nomina, quae Numis impressa fuerint, in Fastis illis offendas, haec Eponymorum nomina minime censenda fore conieceris. Etenim, ut omittam Archontes aliquos, ipsorumve nomina in Numis occurrere, quae in Fastis etiam habeantur, perspicuum est certe Eponymorum Fastos mutilos adeo & hiulcos ad haec usque tempora pervenisse, ut pleraque ipsorum nomina prorsus exciderint; adeoque hac in parte ex Fastorum silentio nihil propemodum inferri posse videatur. Certe, si plenos ubereſque Archontum Fastos consulere nobis liceret, aut si perspicuis certisque characteribus ostendi posset Atheniensium Numos, qui supersunt, iis temporibus signatos esse, quibus Archontum Fasti pleni sunt, exinde facile controversia dirimeretur. Cum vero post Olymp. CXXX. Archontum Fasti fere nos deserant, ac Numorum superstitum plerique post Olympiadem illam cusi videantur, quis nomina Numis inscripta in Fastis ipsis inquirat; atque, ubi pleraque Fastis inscripta non viderit, inferri repente posse coniiciat iis Eponymos Atheniensium Archontes minime designari? Doctissimis sane Viris est observatum Atheniensium Numos, quibus eiusmodi Civium nomina impressa fuerint, antiquioribus Numis aliis tum pondere tum pretio concedere; cumque inaequalitas, aut varietas illa in Macedonum, aliorumque Graecorum Numos invecta fuerit postquam Alexander Persas subegerat, atque ad Persicae fere Monetae rationem vetus quoque Graecae Monetae pondus, ac valor exactus erat, dubitari plane non poterit quin Numorum singuli hisce nominibus insigniti post Olymp. CXII. percussi fuerint; iis nimirum temporibus, quibus Archontum

Faſtos hiantes eſſe iam diximus. Ita propemodum, ſi unum idemque *Lyſandri*, *Menedemi*, *Theodoti*, *Antiochi*, aliorumque nomen duobus vel tribus Numis inſcriptum conſpicitur, inferri certe non poterit quod illud Eponymi annuique Archontis nomen eſſe non poſſit, niſi prius oſtendatur Numos ipſos variis, diſtinctiſque annis prodiiſſe. Tantum tamen abeſt ut ad varios illi diſtinctoſque annos referri debere videantur; ut ipſa potius nominum ſimilitudo, characteres, aliaque id genus indicia non obſcure praeſeferant ipſos variis quidem in locis, vario quoque ſubinde Praefecto, ſed uno tamen eodemque anno, cuſos fuiſſe. Itaque, ut omnia verbo complectar, indicia, coniecturae, vel argumenta plurima afferri poſſunt, quibus Eponymorum Archontum nomina Athenienſium Numis inſcripta fore neque immerito, neque infeliciter oſtendatur; nullum vero argumentum afferri poterit, quo hypotheſis illa vel infirmari, vel refelli poſſe videatur: adeoque, ſi in tanta rerum obſcuritate veterumque Scriptorum ſilentio alterutra hypotheſis eligenda fuerit, prior illa palmam praeripere, ceteriſque veriſimilior & accuratior haberi fortaſſe poterit, donec aliqua ex parte doctorum hominum ſtudiis uberior aliquando lux nobis affulgeat. Quemadmodum ergo Diſſertatione X. Eponymos Archontes illos expoſui, qui, quamvis a Latinis, vel Graecis Scriptoribus memorentur, in omnibus tamen Faſtis hactenus editis deſiderantur; ac XI. Diſſertatione Archontes alios exhibui, qui ex Graecis Marmoribus affulſere, adeoque Faſtis ipſis adiungi debent: ita quoque nunc illos hic ordine complectar, qui ex ipſis Athenienſium Numis exſculpi poſſent; ut, ſi fortaſſe vere Eponymi cenſendi illi fuerint, Archontum Faſti nova hac acceſſione longe pleniores uberioreſque habeantur.

I. Gol-

I.

Goltzius Tab. XIV. num. 2. Atheniensium Numum exhibet. In sinistra areae parte *Serpens* conspicitur. Infra Amphoram ΦΙ.

ΑΘΕ. ΞΕΝΟΚΛΗΣ. ΑΡΜΟΞΕΝΟΣ

Atheniensium . Xenocles . Harmoxenus

Fortasse tamen ΑΡΜΟ .... & ΞΕΝΟΣ... tamquam duo distincta nomina legi debent; cum praesertim ΑΡΜΟ in tertii fine, & ΞΕΝΟΣ in quarti postremique versus initio reperiatur.

II.

Goltzius Num. 3. In dextra areae parte *Cicada*. Subtus Amphoram ΣΩ.

ΑΘΕ . ΛΥΣΑΝΔ . ΓΛΑΥΚΟΣ . ΝΙΚΑΝΩΡ

Athe . Lysander . Glaucus . Nicanor.

III.

Goltzius Num. 4. Alius similis cum *Cicada*, & infra Amphoram ΣΩ.

ΑΘΕ . ΛΥΣΑΝΔ . ΓΛΑΥΜΟΣ . ΙΕΡΩΝ

Athe . Lysander . Glaucus . Hiero .

IV.

Florentiae in Museo nobilissimi Baronis D. Philippi de Stosch Numus argenteus tetradrachma. In area *Musca*. Infra Amphoram ΣΩ.

ΑΘΕ . ΛΥΣΑΝ . ΓΛΑΥΚΟΣ . ΦΙΛΟΚΡΑ

Athe . Lysander . Glaucus . Philocrates .

V.

Goltzius Num. 6. In dextra areae parte *Serpens* baculo circumfusus.

ΑΘΕ . ΜΕΝΕΔΗ . ΕΠΙΚΡΑΔΗ . ΑΛΕΞ

Athe . Menedemus . Epicrades . Alexander .

VI. Rhei-

VI.

Rheinesius Epist. 36. exhibet Atheniensem Numum, cui inscribitur.

ΑΘΕ . ΜΕΝΕΔ . ΕΠΤΑΛΕ

Athe . Menedemus Epi . . . . Alexander

Nullus hic dubito quin postrema huius Numi nomina ex superiori distingui, suppleríque debeant. Certe ΕΠΤ in secundo, & ΑΛΕ in tertio sequentique versu reperitur. Itaque falsa Rheinesii coniectura, qui ad Numum hunc adnotavit: *Scriptura, an Menedemum* Ἄρχοντα ἐπὶ Ἀλεξάνδρῳ Archontem sub Alexandro *insinuat*? Quamvis enim Menedemus Archon hic foret, non tamen insolita absurdaque phrasi *Archon sub Alexandro* diceretur; superiorisque Numi praesidio iam constat ΕΠΙΚΡΑΔΗΣ *Epicrades* supplendum esse.

VII.

Goltz. Num. 5. Infra Amphoram ΣΩ.

ΑΘΕ. ΘΕΟΔΟΤΟΣ. ΠΛΑΤΩΝ. ΚΛΕΟΦΑΝΗΣ

Athe . Theodotus . Plato . Cleophanes.

VIII.

Begerus Tom. I. pag. 470. In Amphora Θ. subtus Amphoram ΣΩ.

ΑΘ. ΘΕΟΔΟΤΟΣ. ΠΟΠΑΙ. ΚΛΕΟΦΑΝΗΣ

Ath. Theodotus . Popae . . . Cleophanes.

Fortasse vel scalptoris, vel pictoris vitio secundum nomen depravatum fuit. Cum tamen in sequenti etiam Numo non *Plato*, sed *Demosthenes*, secundo loco nobis occurrat, facile in hoc quoque non *Plato*, superioris instar, sed incognitum potius aliud Nomen admitti debet.

IX.

Goltz. Num. 7.

ΑΘΕ. ΘΕΟΔΟΤΟΣ. ΔΗΜΟΣΘΕΝΗΣ. ΚΛΕΟΦΑΝΗΣ

Athe . Theodotus . Demosthenes . Cleophanes.

X. Gol.

X.

Goltz. Num. 17. In finiſtra areae parte *pendens uvae racemus*.

ΑΘΕ . ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΣ . ΚΑΛΛΙΦ . ΔΗΜΟΣΘΕΝΗΣ

Athe . Metrodorus . Calliph .... Demoſthenes .

XI.

Haymus Tom. I. pag. 212. Tetradrachma. In Amphora Θ. Subtus Amphoram ΜΕ. In ſiniſtra areae parte *pendens uvae racemus*.

ΑΘΕ . ΜΕΤΡΟΔΩΡΟΣ . ΚΑΛΛΙΣ . ΔΗΜΟΣΘΕ .

Athe . Metrodorus . Calliſthenes . Demoſthenes .

Maxima ſymboli nominumque ſimilitudo argumento eſſe poterit eadem prorſus nomina in hoc ſuperiorique Numo inſcripta fuiſſe; ut alteruter proinde Numus ex alio corrigi ſupplerique debeat; ut nimirum in utroque *Calliſthenes*, aut *Calliphanes* habeatur. Eiuſmodi tamen ſecundi nominis inter eadem extrema varietas facile exemplis aliis oſtendi poteſt.

XII.

Goltz. Num. 8.

ΑΘΕ . ΑΦΡΟΔΙΣΙΟΣ . ΔΙΟΓΕΝΗΣ . ΦΙ .

Athe. Aphrodiſius . Diogenes . Phi .

XIII.

Goltz. Num. 9. Infra Amphoram ΜΕ. In dextra areae parte *Vir cum galea , & haſta*.

ΑΘΕ . ΔΙΟΓΕΝΟΥΣ . ΕΣΤΙΑΟΣ

Athe . Diogenis . Heſtiaeus .

Fortaſſe vel ΔΙΟΓΕΝΗΣ ſcribendum fuerat, vel nomina temere tranſpoſita ſunt.

XIV. In

XIV.

In Museo D. Baronis Philippi de Stosch Numus argenteus tetradrachmus. In area *Minerva stans cum hasta*. Subtus Amphoram ΜΕ.

ΑΘΕ. ΔΙΟΓΕ. ΠΟΣΕ. ΕΣΤΙΑΙΟΣ

Athe. Diogenes. Pose. Hestiaeus.

XV.

In eodem Museo Stoschiano Numus argenteus tetradrachmus. In area *Mulier ambabus manibus facem tenens*.

ΑΘΕ. ΧΑΡΙΝΑΥΤΗΣ. ΕΠ. ΑΡΙΣΤΕΑ

Athe. Charinautes. Ep.... Aristeas.

XVI.

Goltz. Num. 10. Infra Amphoram ΜΕ.

ΑΘΕ. ΧΑΡΙΝΑΥΤΗΣ. ΝΙΚΑ. ΑΡΠΠΑ.

Athe. Charinautes. Nica... Agrippa.

Etenim fortasse legendum ΧΑΡΙΝΑΥΤΗΣ. ΝΙΚΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ. ut exinde integra nomina, vel sensus aliquis habeatur. Certe ΧΑΡΙΝΑΥΤΗΣ in superiori Numo conspicitur; atque in hoc etiam, superioris instar, pro ΑΡΠΠΑ fortasse ΑΡΙΣΤΕΑ legendum erit.

XVII.

Haym. pag. 213. In sinistra areae parte *Gallus cum palma*. Subtus Amphoram ΜΕ. *Tetradrachma*.

ΑΘΕ. ΧΑΡΙ. ΗΡΑ

Athe. Chari. Hera...

XVIII.

Haym. Tom. I. pag. 210. *drachmam* hanc exhibet. In dextra areae parte *Clava*.

ΑΘΕ.

ΑΘΕ . ΑΡΙ ΗΡΑ
ΣΤΟ
ΦΙΛΩ

Haymus legit ΗΡΑ. ΑΡΙΣΤΟΦΙΛΩ. Perſpicuus tamen nominum ordo requirit ut potius legatur

ΑΡΙ.... ΗΡΑΣΤΟ .... ΦΙΛΩ ....

Ari .... Heraſtus .... Philo ....

Fortaſſe quoque non ΑΡΙ ſed ſuperioris inſtar ΧΑΡΙ. ΗΡΑ.. legi poſſet, niſi in ſequenti etiam Numo non ΧΑΡΙ, ſed ΑΡΙ reperiretur.

XIX.

In Muſeo Stoſchiano argentea Drachma reperitur. In eadem areae parte *Clava*.

ΑΘΕ. ΑΡΙ. ΗΡΑΣΤΟ. ΠΟ ... Υ

Athe . Ari ... Heraſtus... Po....

Symbolum idem, eademque priora nomina argumento eſſe poſſent unicum utrobique Numum exhiberi; niſi in tertio nomine perſpicua varietas offenderetur.

XX.

Goltz. Num. 11. In ſiniſtra areae parte *tres Viri ſtantes*.

ΑΘΕ. ΕΥΡΥΚΛΕΙ. ΑΡΙΔΙΜΟ. ΗΡΑΚΛΕΙΔΟΣ

Athe. Euryclides · Aridimus . Heraclides

Notandum quod Syllaba ΔΟΣ ſubtus Amphoram reperitur, ſcalptoriſque vitio pro ΗΡΑΚΛΕΙΔΗΣ irrepſit.

XXI.

Begerus Tom. I. pag. 470. In ſiniſtra areae parte *Viri duo ſtantes*. Subtus Amphoram ΣΦ.

ΑΘΕ. ΜΙΚΙΟΝ. ΕΥΡΥΚΛΕ. ΓΟΡΓΙΠ..

Athe . Micio . Euryclides. Gorgippus

XXII.

Goltz. Num. 22. In ſiniſtra areae parte *Quadriga*. In Amphora H.

ΛΘΕ. ΜΙΚΙ. ΘΕΟΦΡ.

Athe. Micio. Theophraſtus

XXIII.

In Muſeo Stoſchiano Numus argenteus *tetradrachma*. In area duo Pueri: alter *Clypeum*, alter *Haſtam* tenet. Subtus Amphoram ΜΕ.

ΑΘΕ. ΜΙΚΙΩΝ. ΕΥΡΙΚΛΕ. ΑΡΕΣΤΟΣ

Athe. Micio. Euricle... Areſtus

XXIV.

Goltz. Num. 12. In ſiniſtra areae parte *Viri duo genuflexi*. Subtus Amphoram ΠΡ.

ΛΘΕ. ΙΚΕΣΙΟΣ. ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗΣ

Athe. Hiceſius. Aſclepiades

XXV.

Goltz. Num. 13. In ſiniſtra areae parte *Vir ſtans, ac baculum in dextra tenens*. In amphora Α. Subtus Amphoram ΚΥ.

ΑΘΕ. ΑΡΧΙΤΙΜΟΣ. ΔΗΜΗΤΡ

Athe. Architimus. Demetrius

Fortaſſe primum nomen in duo diſcerpi debet, ut ΑΡΧΙ... & ΤΙΜΟΣ... legatur: cum certe prior pars in primo, altera in ſecundo verſu reperiatur.

XXVI.

XXVI.

Goltz. Num. 14.

ΑΘΕ . ΑΝΤΙΟΧ . ΚΑΡ . ΒΡ

Athe . Antiochus . Car. Br.

Sequentium Numorum praesidio legendum hic arbitror ΑΝΤΙΟΧΟΣ . ΚΑΡΑΙΧΟΣ . ΣΚΥΜΝΟΣ *Antiochus* , *Caraechus*, *Scymnus* . Facile nimirum ex ΣΚ sive scalptoris, sive exscriptoris errore fieri potuit ΒΡ.

XXVII

Goltz. Num. 15. In sinistra areae parte *Elephas*. Subtus Amphoram ΜΕ.

ΑΘΕ. ΑΝΤΙΟΧΟΣ . ΚΑΡΑΙΧΟΣ . ΣΚΥΜΝΟΣ.

Athe . Antiochus . Caraechus . Scymnus

Idem Numus profertur etiam a Cupero *de Elephantis Lib.* I. *c.* 9. ex Lazio. Sed perperam ipse legit ΑΘΗ. Siquidem etiam in Numo ipso , qui in Museo Stoschiano reperitur , legitur ΑΘΕ ; quamvis in isto ΚΑΡΑΧΟΣ ΣΚΥΗΝΟΣ scriptum videatur.

XXVIII.

Lazius in Graecia antiqua Lib. II. c. 2.

ΑΘΗ . ΑΝΤΙΟΧΟΣ . Ο ΚΑΡΑΙΧΟΣ . ΣΚΙΜΝΟΣ

Athe. Antiochus. Caraechus . Scymnus

Hic literae alio prorsus ordine dispositae sunt quam in superiori Goltzii Numo , ut proinde distinctus ab illo censeri debeat. Suspicor etiam in hoc ipso Numo non ΣΚΙΜΝΟΣ , sed ΣΚΥΜΝΟΣ legendum esse , ut in Stoschiano quoque legitur. Siquidem *Scymnus* etiam scriptor a Stephano saepius nominatur; quem patria quidem *Chium* fuisse constat , quamvis ipsius aetas incognita sit. Sic etiam Eustathius pag. 228. citat Dionysii Halicarnassei Opus ad *Scymnum* ; quod hic obiter indicasse libuit , cum in accuratissima Dionysianorum Operum

ſerie ab Hudſono, & Fabricio adornata librum illum praetermiſſum, vel ignoratum eſſe conſpexerim. Illud hic etiam obſervaſſe iuverit quod in explicandis huius Numi nominibus Lazius ipſe praeclare fallitur. Ait enim: *Antiochi inſcriptio oſtendit ab Archontibus duobus hoc ſignatum argentum fuiſſe, qui de Familiabus duabus, inſignibus Antiochi, & Ptolemaei or iundi fuere*. Nimirum Scriptor ille *Alcmaeonidas*, *Acamantidas*, *Leontidas*, *Antiochidas* quasdam Familias comminiſcitur, quae Athenis illuſtres fuerint, ipſarumque nomina in Athenienſium Numis videre ſe putat.

XXIX.

Hemſterhuiſius in Notis ad Pollucem Lib. IX. c. 6. pag. 1032. Athenienſem hunc Numum exhibet

ΑΘΕ. ΚΑΡΑΙΧ. ΕΠΓΩΚΛΕ. ΠΙ

Athe. Caraechus. Epgocle ... Pi ...

XXX.

In Muſeo Stoſchiano Argenteus Numus tetradrachmus. In area *Tridens*. Subtus Amphoram ΕΦ.

ΑΘΕ. ΚΑΡΑΙΧ. ΕΡΓΟΚΛΕ. ΔΙΟ

Athe. Caraech. Ergocle.... Dio....

Quamvis hic Numus a ſuperiori diſtingui fortaſſe debeat, facile tamen exinde vera poſtremorum nominum lectio haberi poterit, quae ex ſuperiori certe exſculpi vix poteſt.

XXXI.

Goltz. Num. 16. In ſiniſtra areae parte *dimidiatus Leo protenſis pedibus*.

ΑΘΕ. ΔΩΡΟΘΕ. ΝΙΚΟΔΩ. ΔΙΟ

Athe. Dorotheus. Niçodorus. Dio....

XXXII.

XXXII.

Haym. pag. 215. In Amphora Z. Subtus Amphoram ΠΣ.

ΑΘΕ. ΔΙΟΤΙΜΟΣ. ΝΙΚΩ. ΜΑΓΑΣ

Athe. Diotimus. Nico.... Magas

Si duos Numos iſtos invicem comparaveris facile in primo Διοτιμος, atque in ſecundo Νικοδωρος legi poteſt; niſi fortaſſe potius Νικων legendum videatur.

XXXIII.

Goltz. Num. 18.

ΑΘΕ. ΧΡΥΣΟΦΙΛΟΣ. ΓΛΥΚΩΝ. ΣΩΣΤΡΑΤΟΣ

Athe. Chryſophilus. Glicon. Soſtratus

XXXIV.

Goltz. Num. 19. In ſiniſtra areae parte *Camelus*. Subtus Amphoram ΦΑ.

ΑΘΕ. ΘΑΛΑΣΣΙΟΣ. ΧΡΥΣΟΓΕΝΗΣ. ΠΟΛΙ

Athe. Thalaſſius. Chryſogenes. Poli....

XXXV.

Haym. Tom. I. pag. 215. In ſiniſtra areae parte *Ceres cum ſpicis, & haſta*. In Amphora E.

ΑΘΕ. ΔΗΜΑΣ. ΚΑΛΛΙΚΡΑΤΙΔΗΣ

Athe. Demas. Callicratides

XXXVI.

Goltz. Num. 20. In dextra areae parte *Avis*. Subtus Amphoram ΗΡΑ.

ΑΘΕ.

ΑΘΕ . ΜΟΣΧΙ . ΕΠΙΓΕΝ. ΣΩΣΑΝΔΡΟΣ

Athe . Moſchion . Epigenes . Soſander

XXXVII.

Apud Begerum pag. 470. In dextra areae parte *Aquila fulmina in pedibus ferens*. Subtus Amphoram ΩΙ.

ΑΘΕ . ΚΑΛΛΙΚΡ . ΕΠ . ΓΕΝΗ . ΣΩΣΑΝΔΡΟΣ

Athe . Callicrates . Epigenes . Soſander

XXXVIII.

Haym. pag. 214. In dextra areae parte *Aquila cum fulmine in pedibus*. Subtus Amphoram ΣΦ.

ΑΘΕ . ΜΗΤΡΟΔΙ . ΕΠΙΓΕΝΗ . ΣΩΣΑΝΔΡΟΣ

Athe . Metrodorus . Epigenes . Soſander

XXXIX.

Goltz. Num. 21. In dextra areae parte *Anchora*. Subtus Amphoram ΣΦ.

ΑΘΕ . ΤΙΜΑΡΧΟ . ΝΙΚΑΓΟΡΑΣ. ΑΡΧΗΣ

Athe . Timarchus . Nicagoras . Archeſtratus

XL.

Goltz. Num. 23. In dextra areae parte *Luna falcata*.

ΑΘΕ . ΦΙΛΩΝΙΔΗΣ . ΛΑΚΙΔΑΣ . ΕΦΟΡΟΣ

Athe . Philonides . Lacyda . Ephorus

XLI.

Goltz. Num. 24. Subtus Amphoram ΕΧΙΛΕ ; literiſque illis in ſequenti verſu ſubiectae duae aliae ΦΔ.

ΑΘ.

ΑΘ. ΣΥ . . . . ΙΡ ΠΡΙ ΛΙΦΩΝ

Ath. Sy . . . . ir . . pri . . liphon

Numi huius inſcriptionem , quae ceteris omnibus obſcurior, ac depravatior eſſe conſpicitur, perſpicacioribus aliis divinandam relinquo donec Numus ipſe clarioribus characteribus aliis expreſſus inveniatur.

XLII.

Haym. pag. 213. In Amphora Δ. Subtus Amphoram ΣΦ.

ΑΘΕ . ΠΟΛΕΜΩΝ . ΑΛΚΕΤΗΣ . ΔΙΟΝΥΣΟΔ

Athe . Polemo . Alceta . Dionyſodorus

XLIII.

Haym. pag. 214. In ſiniſtra areae parte *Cervus*. In Amphora A. Subtus Amphoram ΑΠ.

ΑΘΕ . ΝΕΣΤΩΡ . ΜΝΑΣΕΑΣ

Athe . Neſtor . Mnaſeas

XLIV.

Haym. Tomo II. pag. 78. alius ſimilis; ſed in Amphora Δ. Subtus Amphoram ΕΡ; & ſine figuris in area.

ΑΘΕ . ΜΝΑΣΑΣ . ΝΕΣΤΩΡ

Athe. Mnaſeas . Neſtor

XLV.

Haym. Tomo I. pag. 216. In Amphora K. Subtus Amphoram ipſam ΑΙ.

ΑΘΕ . ΑΠΕΛΛΙΚΩΝ ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ

Athe . Apellicon . Ariſtoteles

In

XLVI.

In Museo Stoschiano. In adversa areae parte *Mercurii Caduceus*. Tetradrachma.

ΑΘΕ. ΠΟΛΥΧΑΡΜ. ΝΙΚΟΓ. ΔΗΜΟΣΘΕ

Athe. Polycharmus. Nico .... Demosthenes

XLVII.

In eodem Museo Tetradachma. In adversa areae parte *Iovis fulmen*. Subtus Amphoram Σ. Α.

ΑΘΕ. ΘΕ.. ΦΡΑ. ΣΩΤΑ ΗΡΑΚ

Athe. Theophrastus. Sot... Heracl...

XLVIII.

In eodem Museo Tetradrachma. In postica areae parte *Mars nudus stans*, hastamque dextra tenens.

ΑΘΕ. ΕΥΜΗΛΟ : : ΘΕΟΞΕΝΙΔΗΣ

Athe. Eumelus. Theoxenides

XLIX.

In Museo Theupolo in Serie IX. exhibetur Numus Atheniensis. In sinistra posticae areae parte, vel circa Noctuam *Mulier*. In antica vero *galeatum Palladis caput* cum epigraphe

ΑΘΕ. ΕΥΚΑΡΣΙΔΗΣ .ΚΑΚΟΜΕΝΝΥΡΩ - ΕΟ

Athe. Eucarsides. Cacomennyr.... Eo....

L.

Ibidem Numus alius. In sinistra areae posterioris parte *Pileus cum Astro*. Infra Amphoram ΣΩ. In anteriori galeatum eiusdem Palladis caput cum literis:

ΑΘΕ.

ΑΘΕ. ΔΗΜΗΙΕΡΩ

Athe. Demeier ...

Nisi fortasse verisimilius ΔΗΜΗ, & ΙΕΡΩ legendum sit, adeoque duo nomina distingui debeant.

LI.

Vaillantius inter Numismata Imperatorum, ac Caesarum exhibet pag. 20. Atheniensium Numum, in cuius antica parte Vespasiani Augusti nomen, ac imago; in postica vero *caput Palladis* cum epigraphe:

ΕΠΙ. ΑΤΕΛΙΑΝΟΥ. ΑΘΗΝΑΙΩΝ

Sub Ateliano. Atheniensium

LII.

Vrsinus in Ciceronis Librum *de Fato* c. 9. ubi Cicero refert Epicurum Archonte *Pytharato* obiisse, notat in Atheniensium argenteo Numismate scriptum esse ΠΥΘΑΡΑΤΟС *Pytharatus*; nec aliud, quam Archontis nomen, illud esse arbitratur.

LIII.

Haym. Tom. I. pag. 193. exhibet Atheniensium Numum. In antica parte *Vir galeatus*; in adversa *Noctua* expansis alis palmae ramum pedibus sustinens. In suprema areae parte ΑΘΗΝΑ. *Atheniensium*: in medio hinc inde circa Noctuam ΜΑ: in infima vero parte ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ *Nicephori*; nisi fortasse potius ΝΙΚΗΦΟΡΟΣ *Nicephorus* hic legi debeat. Cetera ad hunc Numum spectantia superius opportunius exposui.

LIV.

Goltz. Tab. XIII. Megarensium Numum exhibet, in quo *Apollinis* imago cum cithara, & tripode.

ΜΕΓΑΡΕΩΝ. ΕΠ ΙΣΑΓΟΡΟΥ

Megarenſium. Sub Iſagora

Alius Megarenſium Numus apud Vaillantium occurrit. In antica parte *Caracallae* effigies: in poſtica *Apollo* muliebri habitu ſtans, dextra ramum, lyram ſiniſtra gerens.

ΜΕΓΑΡΕΩΝ

Megarenſium

Denique Goltzius Tab. XIII Megarenſium Numum ita exhibet. In antica ipſius area *Apollo* ſtans, ac nudus, ſiniſtra lyram tenens, atque ad ipſius dexteram tripus conſpicitur cum epigraphe

ΜΕΓΑΡΑΙΩΝ *Megarenſium*

in poſtica vero *Gryps* dextrum pedem ſuper erectam rotam tenens cum epigraphe imaginibus illis ſubiecta

ΕΠΙΣΑΓΟΡΟΥ *Sub Iſagora*

Itaque facile Numus ab Harduino, ſimulque Goltzio deſcriptus unus idemque cenſeri poterit.

LV.

Harduinus inter Numos alios Populorum a ſe illuſtratos Megarenſium Numum exhibuit. In antica parte *Ceres cum taeda*.

ΜΕΓΑΡΕΩΝ. ΓΟΡΓΙΦΑΝΗΣ

Megarenſium. Gorgiphanes

Vnus idemque Numus iſte a Goltzio quoque Tab. XIII. num. 8. exhibetur; atque ita quidem ut *Gorgiphanis* nomen in principe area pone Cereris caput reperiatur, ΜΕΓΑΡΑΙΩΝ *Megarenſium* vero in adverſa.

LVI.

LVI.

Goltz. Num. 27. & Begerus Tom. I. pag. 470. In Amphora reperitur A.
In dexstra areae parte  In finistra 

De Siglis illis, quae in hoc, aliisque sequentibus Numis conspiciuntur opportune superius differui.

LVII.

Haymus Tom. I. pag. 214. In suprema areae parte AΘE. In dextra parte



Eiusmodi Sigla, vel Monogramma  etiam in Numis, ac veteribus Monumentis aliis occurrit; (1) non ut *Christi* Nomen, quod facile suspicari quis posset, sed ut *Chrysippum*, *Chrysanthum*, aut aliud id genus nomen exprimat: cum praesertim Monogramma illud exprimendo Christi Nomini nonnisi 334. Christi anno usurpari coeperit, ut Harduinus existimat (2), de alterius Numi sinceritate subdubitans, quo Baronius Siglam illam in Christianorum Numis anno 325. primum usurpatam esse putaverat.

LVIII.

Haymus ibidem pag. 215. In dextra areae parte *Cicada*. In suprema AΘE.
Ad Noctuae dextram  ad finistram 

LIX.

Cortonae in Museo Equitis Galeotti Corazzi Numus Athe-

(1) Nicolai de Siglis, c. 23. (2) Ad Num. Constantin.

Atheniensis. AΘE.
In sinistra areae parte 

L X.

In Museo D. Baronis de Stosch Tetradrachma In adversae areae parte *Aquila*. Subtus Amphoram ΠE. Supra Noctuam AΘE. Circa Noctua ipsam 

L X I.

Id eodem Museo Stoschiano Tetradrachma. In posterioris areae parte *duo Serpentes*. Supra Noctuam AΘE. Hinc inde circa Noctuam 

Postquam superiores Numos omnes maiori qua poteram diligentia ex variis Scriptoribus una congesseram, ipsorumque series a me contexta maxima ex parte typis commissa iam fuerat, uberrimam Numismatum Collectionem a Gesnero nuper adornatam consulere, adeoque cum Numis iampridem a me recensitis conferre licuit. Huius etiam Operis copiam perhumaniter mihi fecit Nobilissimus Baro Philippus de Stosch, cuius eximiae prorsus doctrinae atque humanitati plurimum debere me intelligo, ingenueque profiteor. In eiusmodi vero pulcherrima Atheniensium Numorum serie, quam Gesnerus exhibuit, plures quidem desiderari, sive doctissimi Viri diligentiam effugisse deprehendi, quos ego in variis Scriptoribus observavi. At plures vicissim Gesnerus ipse describit, qui mihi pridem incogniti fuerant, sive quod inediti illi forent, sive quod mihi Parutam, paucosque id genus Scriptores alios a Gesnero laudatos, ac inferius ordine recensendos consulere non licuisset. Itaque Numos omnes praetermissos ex Gesne-

Gesneri ferie nunc proferam; ficuti viciſſim Gesneri ſeries Numis etiam a me recenſitis augeri, ac illuſtrari facile poterit. Nihil eſt autem cur de variis literis, aut characteribus illis, qui vel Amphorae inſcripti, vel Amphorae ſubiecti in *novem* Numis iſtis occurrunt, diſſerere hic velim. Quidquid enim de characteribus, qui in ſuperioribus Athenienſium Numis conſpiciuntur, opportune iam dixeram, de his etiam intelligi, vel uſurpari facile poſſunt. Nonnulla ſolum in ipſorum aliquibus obſervaſſe nunc iuverit, ut obſcuriora nomina, vel characteres explicentur; atque alicubi quoque Geſneri, aliorumque hypotheſis excutiatur.

LXII.

Geſnerus Tab. IV. Num. 23. argenteum Athenienſium Numum exhibet *ex M. Haverc. Parut. Sic.* 132. 58. In ſiniſtra adverſae areae parte *tridens* conſpicitur.

ΑΘΕ. ΑΥΡΗΛΙΟΥ. ΕΥ

Athe. Aurelio. Eu.

LXIII.

Numus etiam alius ibidem Num. 29. profertur. In ſiniſtra areae parte *pilei duo*, *ſtellaeque pileis ſuperpoſitae* repeiuntur. Infra Amphoram ΜΗ.

ΑΘΕ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ. ΑΓΑΘΙΠΠΟΣ. ΟΛΥ

Athe. Demetrius. Agathippus. Oly...

LXIV.

Geſnerus ipſe Num. 30. ex *Eiſſchmidio de Ponderibus V. R.* pag. 144. argenteum Athenienſium Numum exhibet. Circa Noctuam hae literae conſpiciuntur:

ΑΘΕ. ΘΕΜΙΣΤ
ΕΟ
ΟΝ

ΟΣ

ΟΣ

Ο

Subtus Amphoram ΤΙΣ

LXV.

Hic etiam Numus apud Gesnerum Num. 31. occurrit ex *M. Slicheri*. *Parut*. *Sicil*. 132. 57. In finistra adversae areae parte *Vir stans sinistra manu protensa*. Subtus Amphoram ΣΩ.

ΑΘΕ. ΕΥΜΙΛΟΣ. ΚΑΛΙΦΩΝ. ΗΡΑ

Athe. *Eumilus*. *Calipho*. *Hera*. . . .

LXVI.

Ex Museo Bibliohtecae Tigurinae Numus iste ex aere fusus a Gesnero profertur Tab. IV. Num. 35. Sinistram adversae areae partem occupat *Vir stans*.

ΑΘΕ. ΗΡΑΚΛΙΔΗΣ ΕΥΚ.
ΛΗΙ
ΜΙΙ

Num ex tribus lineolis versibusque ΕΥΚΛΗΣ ΜΗ... *Eucles*, *Me*... aut ΕΥΚ... *Euc*... & ΔΗΜΗ.. *Deme*... refingi debet?

LXVII.

Argenteum Atheniensium Numum *ex Museo suo* Gesnerus ipse Num. 40. producit. In finistra posticae areae parte *Apis* conspicitur. In Amphora Σ. In suprema areae parte ΑΘΕ. Hinc inde circa Noctuam sequentes literae

ΚΩΙ
ΕΥΑΝ ΑΘΣ
ΑΡΟΣ
ΣΚΛ *Apis*
ΠΙ

Qua ratione mutili, evanidique primi nominis characteres intelligi fortasse possint, alii divinent. Facile post *Evandrum*

ΑΣ-

ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗΣ *Asclepiades* supplendum erit; ſicuti character Amphorae inſcriptus non Σ, ſed E, ſive Z cenſeri fortaſſe poterit. Etenim in tribus eiuſmodi characteribus promiſcue uſurpandis, aut exprimendis non a ſcalptoribus ſolum, ſed a Scriptoribus etiam ſaepiſſime peccatum eſſe conſpicimus. Ita Noriſius (1) in Numo, in quo Harduinus Σ legerat, ſeptenarii numeri notam, ſive Z, legendum eſſe demonſtrat. Ita in argenteo Athenienſium Numo, quem ſuperius Num. 47. exhibui, characterem Σ in Amphorae ſinu pictor expreſſerat; cum tamen Cl. Stoſchius nuper a me conſultus characterem illum non Σ, ſed E ſolum eſſe deprehenderit. Itaque tantum abeſt ut exemplis iſtis hypotheſis illa refelli poſſit, quae eiuſmodi characteribus Amphorae impreſſis Officinas deſignatas eſſe contendit, ut exinde potius illa mirifice confirmetur, cum Graeci characteres ipſi non in Graecis modo, ſed in Latinis etiam Numis occurrant, ut monetariae Officinae numerus exprimatur. Ita in Numis quibusdam legitur SISC. P. Z. *Siſciae* percuſſa Moneta Officina *VII.* In aliis CON. E. *Conſtantinopoli* Officina *V.* quod facile pluribus exemplis aliis oſtendi poſſet, quae contra Vaillantium Harduinus (2) accuratiſſime expoſuit. Quandoquidem vero perſpicuis exemplis illis apparet Siſciam Pannoniae Vrbem *ſeptem* ſaltem Officinas habuiſſe, in quibus Monetae cuderentur; quemadmodum ex Numis aliis oſtendit Harduinns *decem* Siſciae, *octo* Carthagine, Conſtantinopoli *decem*, *decem* etiam Antiochie Officinas eiuſmodi extitiſſe, mirari certe non poſſumus ſi Athenis etiam, florentiſſima nimirum, opulentiſſima, Graeciaeque principe Civitate, *decem*, aut plures etiam, Monetae cudendae Officinae quondam extiterint, quarum varietas, ſeries, aut numerus characteribus Amphorae impreſſis exprimeretur.

LXVIII.

Tab. V. Num 14. Geſnerus *ex M. Slicheri & Paruta Sicil.* 132. 60. argenteum Numum profert. In ſiniſtra poſticae areae parte *Delphinus*, *ſimulque tridens erectus* conſpicitur. In Amphora A. Subtus Amphoram ΠΕΡ.

A

(1) De Anno & Epoch. Syro-Maced. Diſs. III. c. 7. (2) In Antirrhetico Pag. 15.

Α	ΘΕ	*Athe.*
ΞΕ	ΝΟ	*Xeno. . .*
Ω		*O. . . .*
Ω		*O. . . .*

Nullus hic dubito quin in ſyllaba Amphorae ſubiecta ſcalptoris, vel pictoris vitio error irrepſerit; adeoque hic etiam ΠΕΡ reſtitui, legique debeat; niſi fortaſſe latinus character graecis permixtus hic fuerit: quod alibi certe factum conſpicitur.

LXIX.

Ex Muſeo Exc. D. de Pfau. Geſnerus Tab. V. Num. 22. Numum exhibuit. Siniſtram adverſae areae partem occupant *tres Viri ſtantes*. Subtus Amphoram legitur ΣΩ. Hinc inde circa Noctuam

Α	ΘΕ
ΣVΝ	ΘΛΕ
ΑV	ΑΙΑ
ΦΙΛ	
ΘΝ	

LXX.

Denique Geſnerus ipſe Tab. V. Num. 22. *ex Theſauro Galliarum Regis* argenteum Athenienſium Numum producit, qui in Hiſtoria Academiae Inſcriptionum explicatur Tomo VII. Pag. 397. In adverſa area *Vir ſtans, haſtamque dextra vibrans* conſpicitur. In ſininiſtra parte ad Viri pedes *Noctua*, in dextera Monogramma



In ſiniſtra areae parte ΑΘΗΝΑΣ, in dextera ΙΛΙΑΔΟΣ, in infima ſubtus Viri pedes ΑΠΗΝΑΝΤΟΣ.

DIS.

Dissimilem superiori Numo vix dixerim argenteum Numum alium, qui in Museo Friderici Comitis de Thoms Lugduni Batavorum reperitur, cuius ectypum a Cl. Stoschio nuper accepi. Siquidem in adversa area *vir stans hastamque vibrans* conspicitur; in sinistra vero areae parte ad Viri stantis pedes arboris, fortasse oleae, ramusculus erigitur; in dextra idem fere, quod in superiori, Monogramma, sed supinum tamen, reperitur. Denique in sinistra areae parte legitur ΑΘΗΝΑΣ, in dextra ΙΛΙΑΔΟΣ, ac subtus Viri pedes

ΑΓΑΘΟ
ΤΟΥ ΜΗΝΑ

quod facile Αγαθοπυ Μηνανδρυ Sub *Agathopo Menandri*, sive Αγαθοπος Μηνανδρος *Agathopus*, *Menander* suppleri, legique posse putaverim. Si Regiae Academiae Monimenta, quae Gesnerus hic laudat, consulere licuisset, aliqua fortasse de symbolis, atque nominibus Numo inscriptis hic addere potuissem. Itaque id unum ex Scriptoribus aliis observo quod *Iliadis Minervae* nomen, & cultus apud Sigeos habebatur, atque in antiquissimo ipsorum Psephismate (1) memoratur. Heracleenses etiam Italiae Populi, ac Lacedaemoniorum coloni Minervam Iliadem venerabantur; idque de pluribus etiam Gentibus aliis Strabo (2) testatur. Denique Athenis ipsis Iliadis Minervae cultum floruisse, ipsique *Iliia* Festa peragi consuevisse testatur Hesychius, cuius locum hic proferam quod ipsum a Schrevelio temere sollicitatum esse putaverim. Scribit Hesychius: Ι'λίεια ἑορτὴ ἐν Α'θήναις ἐν Ι'λίῳ Αθηνᾶς Ι'λιάδος κ) πόμπη, κ) Α'γών. *Iliia Festum Athenis in Ilio Minervae Iliadis pompa, & Certamen*. Vbi Schrevelius rescribendum asserit Ι'λίεια ἑορτὴ ἦν Α'θηνᾶς ἐν Ι'λίῳ Ι'λιάδος *Postremum illud* Α'θηνᾶς, inquit, *male a supino librario geminatum corrumpendo loco fuit*. Itaque, Schrevelio, iudice Iliia Festa Hesyhio memorata non Athenis, sed in Ilio solum, peragebanctur; ibique solum Minerva *Iliadis* nomine decorata videtur. At *Iliadis* Minervae nomen, & cultum ab Iliensibus ad exteras etiam Gentes manasse iam vidimus; atque Atheniensium Numorum praesidio perspicue erudimur *Iliadis* nomen ab Atheniensibus quoque ipsi concessum fuisse; ideoque, cum

(1) Chish. Antiq. Asiat. Pag. 55. (2) Libr. VI. Pag. 264.

Athenienses ipsi Palladem, veluti Vrbis praesidem patriumque Numen, eximio prorsus honore prosequerentur, longe verisimilius haberi poterit *Iliea* Festa non in Ilio solum, sed Athenis etiam, celebrari consuevisse; ut illa proinde Hesychius una coniunxerit: hoc uno tamen discrimine quod Athenis solo *Festi* nomine vocarentur; in Ilio vero non *Festum* modo, sed *pompam* etiam, atque *Certamen* complecterentur. Hinc nihil in Hesychii textu corrigi, mutarique debet; cum praesertim *Iliea* Festa in aliis etiam Graecis Vrbibus agerentur, ut ex Eusebio didiceram, qui Neronem Caesarem vicisse dicit Ἰσθμίοις, καὶ Ἰλίοις, καὶ Ἀκτίοις *Isthmiis*, & *Iliis*, & *Actiis* Ludis.

Atque hactenus quidem de Minervae *Iliadis* nomine, quod Numis istis impressum conspicitur. Quid vero vox alia ΑΠΗΝΑΝΤΟΣ significet, alii divinent; an scilicet Palladis nomen aliud, an Archontis potius nomen deduci inde possit; quemadmodum certe *Agathopi* vel Archontis, vel Monetarii nomen in altero intelligi, legique posse iam monui, atque etiam in Numis aliis ΑΘΗΝΑΣ ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ *Palladis Victricis* nomen inscriptum esse iam vidimus: quamvis illud ad Archontem etiam referri posse coniecerim.

Quandoquidem vero integram hanc Atheniensium Numorum seriem non alio certe consilio contexendam suscepi, nisi ut Archontum Eponymorum nomina (si quidem Archontes Eponymi Numis ipsis inscripti fuerint) ut superiori loco observavi, ex illis exsculpi, ceterisque Archontum nominibus adiungi possent, absoluta iam Numorum serie singula civium illorum nomina subiecisse nunc libet, qui principem locum in Numis obtinent; ut, si fortasse certioribus argumentis aliis ostendi contigerit Atheniensium Numis Archontes Eponymos inscribi consuevisse, ipsorum Fasti ingenti hac accessione augeri possint.

Xenocles	Diogenes
Lysander	Charinautes
Menedemus	Ari.....
Theodotus	Euryclides
Metrodorus	Micio
Aphrodisius	Hicesius

Dio- Archi-

Architimus
Antiochus
Caraechus
Dorotheus
Diotimus
Chrysophilus
Thalassius
Demas
Moschion
Callicrates
Metrodorus
Timarchus
Philonides
Sy.....ir
Polemo
Nestor
Mnaseas
Apellicon
Polycharmus

Theophrastus
Eumelus
Eucarsides
Demeierus
Atelianus
Pytharatus
Nicephorus
Isagoras
Gorgiphanes
Aurelius
Demetrius
Themist.....
Eumilus
Heraclides
Evander
Xeno....
Syn......
Apenant...
Agathopus

Theo-

Non inutile fortasse etiam fuerit characteres omnes, aut Siglas hic una complecti, quae *subtus Amphoram*, vel in ipso Amphorae sinu, reperiuntur; simulque etiam varios Atticae Populos, ad quos Siglas illas referri posse coniecimus.

Subtus Amphoram

	ΣΑ	Σαλαμις
	ΦΙ	Φιλαιδαι
6.	ΣΩ	Σουνιον. Ζωςηρ
7.	ΜΕ	Μελιτη. Μελανεις
	ΦΑ	Φαληρον
	ΠΡ	Πρασιαι. Προσπαλτα. Προβαλιντος
	ΩΙ	Ωροπος. Οιον
5.	ΣΦ	Σφηττος. Σφενδαλη
	ΑΠ	Απολλωνιεις

ΚΥ { Κυκαλα, Κυθηρον, Κυνοσαργης, Κυρτιαδαι, Κυδαντιδαι, Κυδαθηναιοι }

ΕΡ { Ερικεια, Ερετρια, Ερχια, Ερεχθεια, Ερμος, Εροιαδαι }

ΠΕ Περγασῃ. Πεντελη. Πειραιος. Περιθοιδαι. Περριδαι

ΛΙ Λιμναι. ſive

ΑΙ Αιθαλιδαι. Αιγιλια. Αιξωνη

ΦΔ. fort. ΦΑ


ΠΣ. fort. ΠΕ

ΗΡΑ fort. ΠΡΑ

In Amphora

3. Α
2. Δ cum literis { ΣΦ … ΕΡ } Amphorae ſubiectis
Ε
Ζ
Η
2. Θ cum literis { ΣΩ … ΜΕ } Amphorae ſubiectis
Κ

Haec ſunt, quae de variis Athenienſium Numorum ſymbolis, characteribus, ſiglis, praeſertim vero nominibus, quae iis inſcripta conſpiciuntur, diſſerenda, vel eruditae Antiquitatis cultoribus exponenda mihi putavi. Si quidpiam hic ego feliciter, accurateque coniecerim, quod celeberrimae controverſiae dirimendae conferre poſſit, alii viderint. Id unum certe mihi cordi fuit ut maiori qua poterat, accuratione ac diligentia ea omnia complecterer, ex quibus Eponymorum Archontum Faſtis acceſſio, vel Atticae Hiſtoriae ſplendor oriri poſſe videretur.



DIS-

DISSERTATIO XIII.

SYNOPSIS.


I. M*Axima apud Athenienses Festorum varietas, numerus, eiusque caussa, & origo indicatur. Ex ipsorum nomine, ac tempore plurimum in re Chronologica praesidium oriri posse demonstratur.* II *Scriptores illi tum veteres, tum recentiores etiam recensentur, qui de Atheniensium Festis, Ludis, ac Feriis disputarunt.* III *Methodus, atque ordo proponitur, quo publica Atheniensium Festa in hac Dissertatione recensentur, ac illustrantur* IV. *Plurima ex Atheniensium Festis non* publica, *sed* privata *solum, atque incerta fuisse observatur. Varii Meursii, aliorumque errores notantur.* V. *Verum Olympiorum, Pythiorum, Nemeorum, atque Isthmiorum tempus alibi demonstratum hic indicatur* VI. Agraulia *Festa proferuntur, eorumque tempus inquiritur.* VII. Adonia. *Eorum tempus hactenus ignotum ex Plutarcho demonstratur. Insignis Diodori, & Andocidis locus contra Petavium exponitur Plutarchus notatur. Gravis Meursii error ostenditur.* VIII. Aiacia. IX. Aeora. X. Gallorum gallinaceorum Certamen *indicatur, eiusque tempus definitur* XI. Haloa *Festa describuntur, ipsorumque tempus inquiritur. Haec pluribus diebus durasse ex Demosthene confirmatur; eiusque locus tentatur, ac restituitur. Haloa duplicia fuisse coniecturis asseritur.* XII. Amarynthia. XIII. Ammon. XIV. Anacea. *Hesychii, & Pollucis locus contra Meursii mentem exponitur* XV. Androgeonia. *Ipsorum institutio, ac tempus indicatur.* XVI. Anthesteria. XVII. Apaturia. *Insignis Meursii, & Gronovii error ostenditur, atque Aristophanis locus illustratur.* XVIII. Arrephoria. XIX. Asclepiea *ceteris Atheniensium Festis adiunguntur, ipsorumque dies ostenditur.* XX. Ascholia. *Venutas laudatur. Horum Festorum tem-*

tempus coniectura proponitur. XXI. Aphrodisia *a Xenophonte memorata non Athenis, sed Thebis, celebrata fuisse contra Meursium demonstratur.* XXII Bacchica *cum Dionysiis facile confundi posse observatur.* XXIII. Balletis. XXIV. Bendidia *Festa describuntur, ipsorumque Athenis origo vel institutio contra Meursium inquiritur, ac demonstratur. Alter Meursii error ostenditur. Plutarchi locus emendatur.* XXV. Boedromia. *Eximius Harpocratonis, & Demosthenis locus contra Maussacum exponitur. Vlpiani error indicatur.* XXVI. Boreasmi. *Hesychii locus contra Meursii mentem exponitur, tentatur, ac illustratur.* XXVII. Buphonia. *Etymologus, & Meursius notantur.* XXVIII. Brauronia. *Meursii, & Fasoldi error ostenditur. Pentaeterica Brauronia non Dianae, sed Baccho potius, sacra fuisse demonstratur.* XXIX. Telluris Festum. XXX Gephyrismi. XXXI. Delphinia *ceteris Atheniensium Festis adiunguntur, ipsorumque dies ostenditur. Laertii locus contra Meursium exponitur.* XXXII. Delia *non* pentaeterica *solum, sed etiam* annua *fuisse demonstratur. Ipsorum tempus ex Socratis morte rite definita constituitur.* XXXIII. Demetria. *Cleomedis, ac Theophrasti locus contra Meursii sententiam exponitur. Theophrasti locus tentatur, ac restituitur. Demetria alia indicantur, eorumque tempus innuitur.* XXXIV. Diasia. *In definiendo ipsorum tempore Meursii error ostenditur.* XXXV. Diipolia. *Haec a Diasiis distinguenda fore contra Fungerum indicatur.* XXXVI. Diomia *Festa in Herculis fortasse honorem celebrata fuisse coniicitur.* XXXVII Dionysia. *Verum ipsorum tempus, ac varietas indicatur. Hesychii locus contra Palmerii mentem exponitur. Vrbana Dionysia non* trieterica, *sed* annua *fuisse contra Prideauxium ostenditur.* XXXVIII. Septima mensis dies. XIL. Hecalesia *Festa a Meursio ommissa recensentur.* XL Hecatesia. XLI. Eleutheria. *Haec duplicia fuisse, ut alia quidem* quinquennalia, *alia annua forent, contra Meursium demonstratur. Plutarchi locus exponitur.* XLII. Emplocia XLIII. Epiclidia. XLIV. Mercurialia. XLV. Eumenidia. *Ipsorum ritus Demosthenis testimonio confirmantur.* XLVI Iunonia *Festa a Meursio ommissa recensentur.* XLVII. Herculana. *Ipsorum tempus ac varietas demonstratur.* XLVIII. Vulcanalia. IL Thargelia. L. Theoenia. LI. Theoxenia. *Casauboni sententia notatur.* LII. Thesmophoria. *Gruteri*

Mar-

Marmor contra Meursii, & Fasoldi opinionem exponitur, ac illustratur. Thesmophoriorum Thebanorum tempus contra Dodvelli sententiam demonstratur. LIII. Theseia. *Ipsorum tempus contra Potterum ostenditur. Alterius etiam Festi Theseo celebrati tempus contra Meursium indicatur.* LIV. Iliia. LV. Io Baccheia. LVI. Callynteria. *Ipsorum tempus, ac institutio Dodvello duce constituitur.* LVII. Ceramicia. LVIII. Connidia. LIX. Cotyttia. LX. Saturnalia. *Eorum tempus hactenus ignotum ex Demosthene demonstratur.* LXI. Gubernatoria. LXII. Lampadophoria. LXIII. Lenaea. LXIV. Maemacteria. LXV. Metagitnia. LXVI. Metoecia. *Thucydidaei Scholiastis error in definiendo ipsorum tempore indicatur.* LXVII. Munychia. *Meursii, ac Pinedi coniectura de Munychionis mensis nomine refellitur.* LXVIII. Musia. *Ceteris Atheniensium Festis haec adiunguntur.* LXIX. Nemesia. *Horum Festorum ritus perspicuo Demosthenis testimonio confirmatur.* LXX Victoria Marathonia, *eiusque Festi dies indicatur.* LXXI. Victoria Naxia, *aliaeque Atheniensium Victoriae festo die quotannis celebratae recensentur, ipsarumque dies ostenditur.* LXXII. Victoria Palladis, *eiusque Festis dies, & origo exponitur.* LXXIII. Neomenia. LXXIV. Olympia *Athenis etiam peragi consuevisse ostenditur. Meursii error de corona Olympiorum victoribus concessa indicatur.* LXXV. Oschophoria *a Sciris distinguenda esse contra Meursium demonstratur. Athenaei locus tentatur, & explicatur.* LXXVI. Paeonia. *Quamvis hac Apollini dicata fuisse dicantur, aliis tamen Diis adscribi posse coniecturis innuitur.* LXXVII. Panathenaea. *Minorum Panathenaeorum mensis contra Meursii sententiam ex Petito ostenditur; ipsorumque dies coniectura constituitur. Maiorum dies contra Meursii, ac Dodvelli mentem demonstratur. Insignis alter Meursii, ac Dodvelli error indicatur; & eximius Thucydidis locus exponitur.* LXXVIII. Pandemum. LXXIX. Pandia. LXXX. Pandrosia. LXXXI. Panis Festum *ceteris Festorum Atheniensium Scriptoribus ignoratum ex Herodoto demonstratur.* LXXXII. Paralia. LXXXIII. Pithoegia. LXXXIV. Plynteria *non Minervae solum, sed etiam Agraulo dicari potuisse coniecturis innuitur; ideoque Hesychii locus ab errore vindicatur. Dodvelli coniectura de pluribus Plynteriorum diebus refellitur.* LXXXV. Neptunalia *Scriptoribus aliis indi-*

indicta recensentur. Certamen etiam ipsi Neptuno facile celebratum esse indicatur. LXXXVI. Proerosia. LXXXVII. Promethia. LXXXVIII. Proschaereteria *Festa non privata, sed publica, atque Proserpinae dicata fuisse contra Meursium ostenditur; & Harpocrationis locus explicatur.* LXXXIX. Procharisteria. XC. Pyanepsia. XCI. Sisachthia XCII. Scira, *vel* Scirophoria. *Aristophanici Scholiastae locus exponitur, idemque cum Harpocratione conciliatur, ac Meursii error indicatur.* XCIII Stenia. XCIV. Salutaria *Athenis etiam celebrata fuisse ostenditur.* XCV. Toxaridia. XCVI. Triremium Certamen *alio, quam Panathenaeorum, tempore celebrari consuevisse contra Meursium suadetur* XCVII. Hydrophoria. *Eius Festi dies hactenus ignotus ex Plutarcho indicatur.* XCVIII. Phellus. IC. Phosphoria *Athenis etiam celebrata fuisse ostenditur.* C. Chalcia. CI. Charisteria. CII. Charmosyna. CIII. Chitonia. CIV. Chloia. *Mutilus Hesychii locus contra Palmerii, & Sopingii coniecturam restituitur, ac emendatur.* CV Choes, & Chytri. CVI Horaea. CVII. Eleusinia *Festa, sive* Mysteria, *ipsorum varietas, tempus, ritus, dierum numerus exponuntur. Calendarium Atticum editis uberius & accuratius contexitur.*



DIS-

DISSERTATIO XIII.

De Publicis Atheniensium Festis ac ipsorum tempore.

I. QVi ſingulas Deorum aras, ac templa, quae vel in ipſa Athenarum Vrbe, vel in variis Atticae regionis Populis excitata fuerant, ſimulque plurimos, ſacroſque ritus, quibus Dii, atque Heroes ſtato, legitimoque tempore colebantur; praeſertim vero Ludos, feſtoſque dies, qui maximo, atque incredibili ſplendore celebrari conſueverant, a Pauſania, ceteriſque Graecis Scriptoribus memoratos accurate perſpexerit, is facile, ut opinor, intelliget quam merito, vereque dixerit Pauſanias ipſe (1) Athenienſes in Diis colendis diligentia, religionis ardore, Deorumque, atque Heroum numero nulli propemodum ex Graeciae Populis conceſſiſſe. Certe, ut ſolum de variis illis Athenienſium Feſtis hic diſſeram, graviſſimus auctor Xenophon Athenienſes ipſos cum ceteris Graeciae Populis conferens nitide, diſerteque teſtatur quod ἄγουσι μὴν ἑορτὰς διπλασίους ἢ οἱ ἄλλοι (2) *duplo plures, quam alii, Feſtivitates celebrant*; ut optime proinde dixerit Maximus Tyrius: παντὰ μεςὰ ἑορτῆς τὰ Ἀττικὰ, παντὰ θυμηδίας (3) *omnia Attica plena feſtivitatis, omnia hilaritatis* fuiſſe; ac, ne cetera id genus teſtimonia plurima, quae facile afferri poſſent, hic perſequar, Apoſtolus ipſe Athenienſes alloquens ait: ἄνδρες Ἀθηναῖοι, κατὰ πάντα ὡς δεισιδαιμονεςέρους ὑμᾶς θεωρῶ (4) *Viri Athenienſes, per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video*: quaſi nimirum in Deorum cultu, Feſtorum numero, atque ſplendore ipſi Gentes alias longiſſime ſuperarent. Vnde vero immanis illa Deorum, Heroum, adeoque etiam Feſtorum varie-

(1) Attic. c. 17. (2) De Rep. Ath. (3) Serm. 81. (4) Act. c. 17. ver. 22.

varietas, profluxerit facile ostendi posset, nisi ab operis huius ratione dissideret. Quemadmodum enim opportunius in ipso Fastorum Atticorum limine observavi, ita mihi de variis Atheniensium Festis disserendum esse putavi, ut non ipsorum originem, ritus, aliaque id genus plurima complecterer; sed ipsorum potius tempus, verumque diem, quo peragi vel redire consueverant, si fieri id quidem poterat, demonstrarem. Cum enim plurimi ex Graecis, atque praesertim Atticis, Scriptoribus Festorum Atheniensium nomina rerum gestarum historiae, veluti perspicuos certosque temporis characteres, adiecerint, plurimum certe splendoris, atque praesidii in designandis rerum temporibus, adeoque Fastis Atticis rite contexendis, haberi posse videbatur si verus Festorum dies accurate primum constitui, nitideque ostendi posset. Incredibile est etiam quantum ex eiusmodi Festorum nominibus, ritibus, atque praesertim ex veteri, constantique Civium illorum nomine, qui Ludis illis praesidere, vel sacris operari consueverant, in Atticis Scriptoribus, ac Monimentis aliis illustrandis oriri debeat; ut variis in locis opportune observavi.

II. Atque utinam quidem eximii Scriptores illi ad haec usque tempora pervenissent, qui peculiaribus Libris de eiusmodi Festorum Atheniensium temporibus disputarunt! Certe Lysimachides quidam ita de singulis Atheniensium Festis disseruisse videtur, ut Mense quolibet Festa singula recensuerit, quae stata sacraque eius Mensis die agerentur, ut ex variis Harpocrationis (1) locis aperte colligitur. Ita Philochorus & ipse Atheniensis non modo περὶ Θυσίων *de Sacrificiis* Librum edidit, quo singula Atheniensium Sacra complexus videtur; verum etiam *septemdecim* Libros alios περὶ τῶν Ἀθήνησιν Ἀγώνων *de Atheniensium Certaminibus* conscripsit: quemadmodum edidisse fertur Ἐπιτομὴν τῆς Διονυσίου πραγματείας περὶ Ἱερῶν *Epitomen Operis Dionysii de Sacris*; ut in vitiato Suidae textu legendum monuit Kusterus. Denique, ut plurimos Scriptores alios ommittam, quorum nomina, ac testimonia a Meursio, ceterisque Festorum enarratoribus exhibentur, Plutarchus etiam sese de singulis Atheniensium Festis, ac diebus scripsisse testatur. At praeclara haec Atticae Historiae, vel Antiquitatis monimenta partim temporis diuturnitas, partim

(1) In Σκίρον.

tim etiam Scriptorum illorum, qui proximis aetatibus floruere, incuria nobis invidit. Itaque Festorum nomina, ipsorumque ritus, origo, varietas ex innumeris pene Graecorum Scriptorum fontibus haurienda fuerat, ut ipsorum series contexi, eiusque praesidio plurima Scriptorum loca restitui, corrigi, vel illustrari subinde possent; & sacris etiam interdum divinisque Literis explicandis splendor aliquis affulgeret. Ceteris in hoc uberrimo argumenti genere facem praetulit Gyraldus, qui pauca quaedam Festorum Atheniensium nomina in Kalendario Attico memoravit; sed plurima quoque in praestantissimo Opere de *Diis* accuratissime disputavit. Quamvis enim Petrus Jacobus Montifalchius *de Sacris Celebritatibus* anno 1525. Libellum ediderit, eximiamque proinde laudem meritus sit, cum immensa Gyraldi eruditione conferri certe non poterit. Omnium tamen industriam longissime superavit Petrus Castellanus, qui de Graecorum omnium Festis uberrime disseruit. Proxime post editum Castellani Opus clarissimum Graecae eruditionis, Historiaeque lumen Meursius *Graeciam Feriatam* edidit, in qua singula Graecorum Festa in Libros IV. distributa ita complectitur, ut plurima Castellano indicta opportune adiecerit, alia emendaverit, alia novis Scriptorum testimoniis confirmaverit; ubique perennem, immensamque Graecarum rerum cognitionem ostenderit. Ex uberrimis istis Meursii, & Castellani fontibus novam Festorum Graecorum seriem alio ordine dispositam Fasoldus anno 1672., & Ionsthonus adornarunt: quarum utraque in VII. Graecarum Antiquitatum Tomo una cum Meursii, & Castellani Libris a Gronovio inserta fuit; quemadmodum etiam brevior ille Festorum Catalogus, quem in *Archaeologia Graeca* Potterus edidit, in amplissima illa Gronovii collectione reperitur.

III. Quamvis autem eiusmodi argumentum optime, uberrime, atque accurate a clarissimis Viris illis expositum fuerit; operae tamen pretium me facturum putavi si ex singulis ipsorum Libris ea seligerem, quae ad Operis huiusce mei consilium conferre poterant; atque vicissim eximiis ipsorum studiis splendor aliquis, si fieri id quidem liceat, accederet. Etenim primum non universa Graecorum omnium Festa, quemadmodum ceteri Scriptores omnes, sed Atheniensium solum, collegi; quamvis ipsorum plura a variis etiam Grae-

ciae Populis agerentur; ut suis in locis opportune observabitur. Ceteris Atheniensium Festis, quae a Castellano, aliisque recensita iam fuerant, nonnulla adieci, quae mihi nunc omnium primo ex Graecis Scriptoribus affulsere. Aliorum tempus, ac diem, qui vel ignotus, vel perperam ab aliis constitutus fuerat, partim coniecturis, partim etiam perspicuis, certisque characteribus demonstravi. Plurima Scriptorum loca, quae ab aliis temere sollicitata, vel parum feliciter explicata fuerant, restituere, vindicare, ac illustrare sum conatus; quemadmodum alia, quae mutila, seu vitiata merito videbantur, supplere, vel emendare studui. Ex Atheniensium Festorum numero ea omnia diligenter expunxi, quae a Scriptoribus aliis, ac Meursio praesertim, inter Atheniensium Festa prorsus immerito recenseri iam videram. Sic, ut exemplum unum hic proferam, clarissimus Scriptor ille *Dryopia* Festa ab Atheniensibus in Dryopi Apollinis filii honorem celebrata fuisse laudato Pausaniae [1] testimonio contendit; cum tamen Pausanias ipse nitide diserteque testetur Festa illa ab Ἀσιναίοις *Asinaeis*, Asines nempe civibus, de quibus accurate ibi differit, agitari. Denique, ne ceteris hic immorer, quae facile humanus aequusque Lector intelliget, qui mea cum ceteris comparaverit, *publica* Atheniensium Festa ita a *privatis* seiungenda putavi, ut privata illa prorsus omittens publica solum recensuerim; quamvis interdum privata Festa, perinde ac publica, uno, eodemque nomine appellari consueverint, ut pluribus exemplis ostendi posset.

IV. Ac certe plura Atheniensium Festa *privata* solum fuisse, hoc est privatim a civibus, incertis loco & tempore, agitari consuevisse tum ex ipsis Festorum nominibus, tum ex perspicuis etiam eorum Scriptorum testimoniis inferri poterit, quae mira, atque incredibili prorsus diligentia Meursius ipse congesserat. Eiusmodi certe fuerant

Ἀμφιδρόμια *Amphidromia*, in quibus infantes quinto post partum die circum domesticum larem, sive focum gestabantur, sicuti decimo nomen ipsis imponebatur.

Γαμήλια *Gamelia*, quae ipso nuptiarum die, sicuti Προτελεία *Protelia* pridie nuptiarum, celebrabantur.

Γενέθλια *Genethlia*, quae in ipso infantis ortu agebantur; si-

(1) Messen. c. 34.

ſicuti Γενέσια *Geneſia* natali die quotannis inſtaurabantur.

Εισιτήρια *Iſeteria*, quae ab Archontibus magiſtratum inituris agebantur.

Εξιτήρια *Exiteria* a ducibus ubi milites ad bellum educerent.

Επιδήμια *Epidemia* poſt reditum.

Επινίκια *Epinicia* victoria, ſive in bello, ſive in Ludis parta.

Εφηβεῖα *Ephebia* dum pueri exacto *decimoctavo* aetatis anno Epheborum albo inſcribebantur.

Κανηφόρια *Canephoria* ubi virgines nuptui traditae quidquid elegantius acu perfecerant in caniſtris ferentes Dianae offerebant.

Νεκύσια *Necyſia*, quae, *Nemeſiorum* inſtar, in mortuorum memoriam agebantur: quemadmodum Θανατέσια *Thanatuſia* quoque mortuis ipſis dicata fuiſſe Meurſius exiſtimavit; quamvis eiuſmodi Feſta nunquam Athenis vere celebrata, ſed a Luciano ſolum conficta fuerint, ut Vandalius obſervavit. At nihil eſt certe cur in privatis iſtis Athenienſium Feſtis hic ordine recenſendis immorer; quippequae non ſtata, legitimaque Menſis alicuius die, ſed incertis potius temporibus, agerentur; adeoque ex ipſorum tempore nihil in re Chronologica praeſidii haberi unquam poſſit, quod ex conſtanti publicorum Feſtorum tempore facile ſperari poſſe iam diximus. Ita quoque plurima Athenienſium *Sacra* omittenda putavi, quae, quamvis aliquo, & cognomine fortaſſe, feſto die, ſtato, legitimoque tempore, ac ritu celebrata videantur, perſpicuam hanc tamen Feſti notam minime praeſeferunt; aut certe a Scriptoribus non *Feſti*, ſed ſolum *Sacri* nomine decorantur. Ac plurima quidem eiuſmodi *Sacrorum* nomina facile ex Graecis Scriptoribus recenſeri poſſent. Vnicum Polemonis locum hic proferam, ut inſignis illa Athenienſium religio, atque in Diis rite colendis diligentia ſuperius expoſita confirmetur: Α᾽θηναῖοί τε γὰρ ἐν τοῖς τέτοις ἐπιμελεῖς ὄντες, κὶ τὰ πρὸς τὲς Θεὲς ὅσιοι Νηφάλια μὲν ἱερὰ θύεσι Μνημοσύνῃ, Μέσαις, Ἠοῖ, Ἡλίῳ, Σελήνῃ, Νύμφαις, Α᾽φροδίτῃ ἐρανίᾳ (1) *Athenienſes harum rerum obſervandarum ſtudioſi, & in Sacrificiis Deorum faciendis diligentes, ac pii, Nephalia Sacra faciunt Mnemoſyne, Muſis, Aurorae, Soli, Lunae, Nymphis, Veneri caeleſti.* Quemadmodum vero Mnemoſyne,

(1) In Timae.

ſyne, Muſis, ceteriſque Numinibus illis Sacra quaedam ab Athenienſibus agebantur; ita dubitari vix poterit quin eadem ipſo religionis ſtudio ceteris etiam Diis, atque Heroibus omnibus exhiberentur, quos fuſe, accurateque Pauſanias, atque ex Pauſania ipſo ceteriſque Scriptoribus inexhauſtus ille Graecae eruditionis theſaurus Meurſius (1) deſcripſit. Cumque eiuſmodi Deorum, atque Heroum cultus non privata ſolum Civium religione, ſed publicis etiam, legitimiſque ritibus inſtitutus, publicis etiam templis, atque aris confirmatus videatur, nihil certe veriſimilius haberi poterit, quam Sacris illis rite religioſeque peragendis ſtatum aliquem, ſacrumque diem ab Athenienſibus dicatum fuiſſe, qui proinde ceteris Athenienſibus Feſtis adiungi poſſe cenſeatur. Hinc totidem fere ſacri, feſtique dies facile recenſendi viderentur quot Deorum, atque Heroum nomina nobis occurrunt, qui vel ab univerſo Athenienſi Populo, vel certe in peculiaribus Atticae regionis partibus, hoc eſt in variis Atticae Populis, honorari conſueverant. De *Sacris* tamen iſtis, quaecumque illa fuerint, quocumque demum tempore, ac ritu peragerentur, mihi differendum eſſe non cenſui; cum publica ſolum Athenienſium Feſta recenſere decreverim, ipſorumque tempus inquirere, atque, ubi ex veteribus monimentis affulſerit, indicare.

V. Antequam tamen accuratam hanc Athenienſium Feſtorum ſeriem methodo iam conſtituta contexendam aggrediar, aliqua de celeberrimis etiam quatuor Graeciae Ludis in ipſo limine proponenda putavi, ut expoſitis annis utroque tempore, quo ipſorum quilibet redire, vel inſtaurari conſueverat, definiendo quoque Feſtorum aliorum tempori, plurimiſque Atticae, Graecaeque Hiſtoriae capitibus illuſtrandis ſplendor aliquis oriatur. Quo quidem loco ſingula in IV Agoniſticis Diſſertationibus a me pertractata, fuſeque expoſita retexere, iterumque exponere nec iuvat nec decet, ut in Praefatione iam monui; ideoque ſuprema ſolum veluti capita complectens verum *Olympiadum*, *Pythiadum*, *Nemeadum*, atque *Iſthmiadum* tempus opportunius alibi a me conſtitutum hic indicabo.

Ολύμ-

(1) Athen. Attic. Lib. II. & III.

Ο'λύμπια

Olympia

Itaque, ut ab Olympiis ipsis, ceteris nobilioribus, exordiar, Olympici Ludi ineunte primo cuiusque Olympiadis anno ita redire, vel instaurari solebant, ut ipsorum celebritas *undecimo* mensis *primi* Elidensis, simulque *Hecatombaeonis* Attici, die inciperet, ac *sextodecimo* iudicium de Victoribus fieret; ideoque maxima ac celeberrima Panegyris absolveretur. Qua vero ratione, quibusque legibus Olympici anni cum civilibus Atheniensium, Romanorum, aliarumque Gentium annis, atque Eponymis ipsarum magistratibus committi, sive conferri debeant, in Agonistica Dissertatione I. Num. 15. additis etiam exemplis exposui.

Πύθια

Pythia

Pythicos Ludos exeunte fere *secundo* Olympiadis anno celebratos esse Petavius, Dodvellus, aliique plurimi existimarunt: idque perspicuo Thucydidis testimonio demonstratum esse putarunt; quamvis Scaliger Pausaniam, Eusebiumque sequutus *tertiis* solum Olympiadum annis illos concesserit. Ego vero in Agonistica Differt. II. ita de vero Pythiadum tempore disputavi, ut aut splendide profecto ego fallar, aut nullus omnino dubitandi locus supersit quin Pythiades omnes non *secundis*, sed *tertiis* solum, Olympiadum annis celebrari consueverint; cum pluribus Pythiadum exemplis, atque ipso quoque Thucydidis testimonio id ostenderim, quod Petavio, Dodvello, ceterisque Chronologis omnibus imposuerat. Denique Pythiadas in *primum*, vel *septimum* Bysii Delphorum mensis, hoc est Munychionis Attici, diem incidisse, Dodvello duce observavi; Pythicosque Ludos nunquam *trietericos*, sed *pentaetericos* semper fuisse contra Dodvellum ipsum ostendi

Νέμεα

Nemea

Nemeades alias *aestivas*, *hibernas* alias fuisse, atque ipsarum singulas alternis annis peragi consuevisse perspicuo, constantique Scriptorum omnium testimonio erudimur. Ipsas vero *primis*, ac *tertiis* Olympiadum annis celebratas esse Scaliger, Petavius, Dodvellus, ceterique Scriptores omnes una veluti voce testantur. Eas tamen *secundis*, & *quartis* adscribendas esse pluribus, & perspicuis etiam, certisque Nemeadum exemplis ostendi: ut *aestivae* quidem *secundis* Olympicis annis *duodecimo* Panemi Corinthii, adeoque Hecatombaeonis Attici, die agerentur; hibernae vero in *quartos* Olympiadum annos, itemque in duodecimum Gamelionis Attici diem inciderent.

Ι'σθμια

Isthmia

Denique Isthmiades ipsae, Nemeadum instar, *trietericae* fuerant; ac *aestivae* quidem *primis* Olympiadum annis Hecatombaeone mense agebantur. Isthmiades autem illas, quae *tertiis* Olympiadum annis redibant, *hibernas* fuisse, ideoque Gamelione mense peragi consuevisse putavit Dodvellus. At variis ipse rationibus, praesertim vero pulcherrimo Xenophontis testimonio satis, ut opinor, ostendi quod Isthmiades illae vel Munychione, vel Thargelione potius, Attico peragebantur; ideoque non *hibernae*, sed *vernae* solum Isthmiades admitti debent.

VI. Α'γραύ-

VI.

Ἀγραύλια

Agraulia

Festa in Agrauli, quae Cecropis filia fuerat, honorem Athenis celebrata [1] Cyprii quoque *Aphrodisio* mense eidem Agraulo sacra facere, hominemque immolare consueverant [2]. Itaque, si uno eodemque anni tempore tum a Cypriis, tum ab Atheniensibus eiusmodi sacra, vel Festa peragi fortasse quis dixerit, cum *Aphrodisius* Cypriorum mensis exeunti Boedromioni Attico respondeat, ut sequenti Dissertatione ostendetur, Agraulia quoque Athenis eo mense celebrata forent. Ceterum non Festa solum, sed etiam τελέτας, καὶ μυστήρια *initiationes*, & *mysteria* Athenis peragi consuevisse scribit Athenagoras; idque facile in Agrauli Templo, quod supra Dioscurorum Templum fuisse refert Pausanias [3].

VII.

Ἀδώνια

Adonia

Quamvis Adonia Festa, in Adonidis nimirum, simulque Veneris [4] honorem Athenis instituta, fuse, accurateque descripserit Meursius, nihil tamen de anni tempore, quo peragi solerent, exposuit. Itaque tempus ipsum ex variis Scriptorum testimoniis, si fieri id quidem poterit, exsculpere, vel definire enitar; ut ambiguis praesertim Diodori, Plutarchi, aliorumque Scriptorum locis splendor opportune affundatur. Accuratus, ac diligens scriptor Plutarchus, ubi infelicem illam expeditionem memorat, quae in Siciliam Alcibiade auctore ab Atheniensibus suscepta fuit, asserit quod decernente bellum Populo, omnibusque ad navigandum paratis οὐ χρηστὰ παρῆν οὐδὲ τὰ τῆς ἑορτῆς. Ἀδωνίων γὰρ εἰς τὰς ἡμέρας ἐκεί-

(1) Pausan. Attic. c. 2. & Athenagor. in Legat. (2) Porphyr. de Abstin. Lib II. & Cyril. contra Iulian. Lib. IV. (3) Attic. c. 18. (4) Schol. Aristoph. ad Pacem Pag. 448.

νας καθηκόντων ἔιδωλα πολλαχῦ νεκροῖς ἐκκομιζομένοις ὅμοια πρέκειντο ταῖς γυναιξί [1]: *non fauſta erant vel ipſa Feſti* auſpicia; *nam, cum in eos dies inciderent Adonia, imagines ubique mortuis, qui efferuntur, ſimiles feminis proponebantur*; idemque prorſus in Niciae quoque Vita teſtatur. Mox, ubi varios Athenienſium caſus, atque victorias in Italia partas deſcripſiſſet, aſſerit illos aeſtate cum Siculis infeliciter dimicaſſe; Niciamque in Naxo hyemaſſe [2]. Ergo Adonia Feſta vere celebrata fuiſſe videntur, Munychione ſcilicet, aut Thargelione menſe; iis nimirum temporibus, quibus *poſt Dionyſia* Elaphebolione menſe celebrata *mare aperiri*, commodiuſque claſſibus iter praebere dicebatur [3]. Qua vero menſis die celebrari conſueverint, non facile profecto ego dixerim. Suſpicor tamen plenilunio potius, quam ineunte, vel exeunte menſe celebrata fuiſſe. Etenim Plutarchus aſſerit Athenienſibus praeter Adonia Feſta tunc oſtentum etiam aliud obiectum fuiſſe, ut ab expeditione Sicula deterrerentur; pleroſque nimirum Hermas, aut Mercurii ſtatuas una nocte truncatas fuiſſe: ut proinde haec Hermarum mutilatio in eosdem prorſus dies incidiſſe videatur, quibus Adonia Feſta ipſa contigerant. At Hermas novilunii, vel neomeniae tempore truncatos eſſe ſcribit Diodorus [4]; aſſerens Alcibiadem,alioſque plures veluti ſceleris admiſſi reos ab inquilino delatos eſſe, qui ſeſe intempeſta nocte ad lunae radios illos vidiſſe fatebatur. Quem Diodori locum Scaliger [5] arripuit ut oſtenderet civiles Athenienſium menſes non *lunares*, ſed *ſolares* potius fuiſſe: ut nempe plenilunium in civilis menſis initium, ſive neomeniam incidere ſubinde poſſet. Scaligeri tamen hypotheſim optime, accurateque ex ipſo Diodori loco refutavit Petavius [6]; cum Diodorus ipſe mox referat inquilinum manifeſti mendacii a Iudicibus convictum fuiſſe quod neomeniae tempore lunam fulſiſſe, ſeque eiuſmodi lucis praeſidio Alcibiadem, alioſque reos agnoviſſe dixiſſet. Haec ipſa quoque nitide, diſerteque Plutarchus memorat [7], Hermarumque mutilationem novilunii tempore contigiſſe teſtatur. Itaque, ſi Diodoro, vel Plutarcho fides habenda ſit, ac Adonia Feſta, ſi-

(1) In *Alcibiade* (2) In Nicia (3) Theophr. Char. c. 4. (4) Lib. XIII. c. 2. (5) De Emend. Temp. Libr. I. & in Can. Iſagog. Lib. III. c. 7. (6) Doctr. Temp. Libr. I. c. 8. (7) In Alcibia.

ſimulque Hermarum truncatio, iisdem temporibus peracta fuerint, Adonia feſta menſis initio celebrata fuiſſe videntur. At gravis mihi ſuſpicio ſuborta iam fuerat quod Diodorus, ac Plutarchus ipſe in definiendo ſceleris eiuſmodi tempore aberraverint. Certe Andocides, qui eadem ipſa aetate vixerat, ſimulque cum Alcibiade veluti ſceleris auctor in iudicium vocatus fuit, ſatis aperte, niſi fallor, oſtendit id plenilunii tempore contigiſſe. Etenim, ut obiectum ſibi crimen dilueret, argumenta ſingula exponit, quibus a Iudicibus, vel adverſariis premebatur; ingenueque teſtatur Alcibiadis, Andocidis, aliorumque nomen a Dioclidis ſervo delatum eſſe, qui ſe *plenilunii tempore*, dum Athenis in Lauraeum montem pergeret, tercentos fere viros Hermas obtruncantes vidiſſe dixerat. Vt vero vel teſtis, vel argumenti vim diluat Andocides, id unum aſſerit tercentos illos temere prorſus ab inquilino nominatos eſſe; nullibi vero reponit tunc novilunii, non plenilunii, tempus fuiſſe, adeoque teſtem ſibi non conſtare: quod facile profecto dicturus erat, ſi mendacium ipſum, atque inconſtantia a Iudicibus etiam iampridem cognita, atque obſervata fuiſſet; ut cum Diodoro contendit Plutarchus. Itaque Andocidis hac in parte ſilentium, vel tacita quoque conſenſio manifeſte nobis oſtendit Hermarum mutilationem vere *plenilunii* tempore contigiſſe; adeoque ſervus non ideo mendax habendus erit quod plenilunii tempore viros illos deprehendiſſe ſe dixerit, ſed quod neomeniae tempore id contigiſſe crediderit. Quod vero Plutarchus id novilunio potius, quam plenilunio, contigiſſe memoret, facile admitti poſſet, niſi Andocidis auctoritas longe Plutarchi, Diodorique teſtimonio gravior habenda foret. Atque iſta quidem de tempore, quo Adonia Feſta Athenis celebrata fuerint. Quod ſi perſpicuis fortaſſe characteribus oſtendi poſſet Adonia Feſta variis in locis, in quibus inſtituta illa fuerant, eodem prorſus anni tempore peragi conſueviſſe, ſubtilius adhuc, atque accuratius ipſorum dies definiri poſſet. Etenim Macrobius, cum *Adonidis* nomine apud Phoenices, atque *Attys* apud Phrygas ſolem deſignari dixiſſet, aſſerit in Attys, atque Adonidis memoriam duplex Feſtum ita celebratum eſſe, ut aliud quidem luctu, aliud vero laetitia perageretur: *ritu eorum καταβάσει finita, ſimulationeque luctus peracta, celebratur*

tur laetitiae exordium ad VIII. Kal. Aprilis; quem diem Hilaria *appellant, quo primum tempore sol diem longiorem nocte protendit* (1): eademque prorsus in Adoniis Festis luctus, laetitiaeque varietas a Meursio Procopii, & Cyrilli verbis exponitur. Itaque, si laetitia repente post lugubre, moestumque Festum agebatur, Adonia festa ineunte vere, sive Anthesterionis mensis exitu peracta forent; sin vero inter utrumque Festum semestre temporis spatium admittebatur, alterutrum ex illis ad VIII. Kal. Octobris, sive Boedromionem exeuntem, referri oporteret. At variis propemodum ritibus, varioque tempore Adonia Festa apud varias Gentes celebrata fuisse putaverim: ut immerito proinde Meursius universa Scriptorum loca, quibus Adonia describuntur, una congesserit; perinde quasi ipsorum singula ad Atheniensium Adonia referri possent. Certe ex superiori Plutarchi loco deducitur Adonia Festa apud Athenienses verno tempore non laetitia, ut apud alios, sed luctu solum celebrata fuisse; alioquin, si laetitia quoque peracta forent, faustum exinde auspicium expeditionis Siculae auctores arripere potuissent. Divinis quoque Literis erudimur quod a Iudeis etiam eiusmodi, vel similia Festa quarto mense, hoc est exeunte Iunio, vel Scirrhophorione, agebantur; quo die Ezechiel se vidisse dicit *mulieres plangentes Adonidem* (2): quem quidem Prophetae locum exponens. Hieronymus ait: *quem nos Adonidem interpretati sumus, & Hebraeus, & Syrus sermo* Thamuz *vocat; unde quia iuxta gentilem fabulam in mense Iunio* Adonis *amasius Veneris, & pulcherrimus iuvenis occisus, & deinceps revixisse narratur, eundem Iunium mensem eodem appellant nomine, & anniversariam ei celebrant solemnitatem*. Itaque excusari certe non poterit Meursii error, qui, cum in Cypriorum mensium laterculo Ἰούνιον *Iunium* vidisset, asserit illum antiquitus Ἀδωνίδα *Adonium* a Cypriis vocatum esse; idque postremis, quae recitat, Hieronymi verbis ostendi posse arbitratur (3). At doctissimi Viri pace perspicuus, ac integer Hieronymi contextus manifestissime ostendit ibi de Hebraeis, ac Syris quoque, si libeat, minime vero de Cypriis agi. Ad haec Hieronymus Iunium mensem non *Adonidis*, sed *Thamuz* nomine vocatum esse demonstrat; idque non antiquitus, & ante Augusti tempora, quibus nova Cypriorum men-

(1) Saturn. Lib. I. c. 21. (2) Cap. 8. ver. 14. (3) Cyprus Lib. II. c. 24.

mensium nomina irrepsere, sed sua potius aetate contigisse testatur. Ad haec Cypriorum mensis non Ἰένιος *Iunius*, sed Ἰέλος *Iulus* vocabatur; neque ab omnibus omnino Cypriis, sed a Paphiis solum adhibebatur; ac Ἰέλος ille non Iunio, sed Iulio potius respondebat. Denique, ne argumentis aliis hic immorer, Thamuz est quartus Chaldaeorum mensis, ut Grotius, aliique plurimi demonstrarunt, qui Romano Iunio respondet; adeoque Festa in Thamuz, quicumque ille fuerit, honorem a Chaldaeis celebrata cum Adoniis Festis aut a Cypriis, aut ab Atheniensibus Adonidi consecratis, ac quartus Chaldaeorum mensis cum Paphiorum *Iulo* confundi certe non poterit.

VIII.

Αἰάντεια

Aeacia

Athenis Aiaci lectus, atque integra militis, aut ducis armatura parabatur ex Schol. Pind. ad Nem. II. Itaque, sicuti a Salaminiis Aiacis Festum agebatur (1), ita quoque ab Atheniensibus etiam, qui Tribuum unam *Aiacis* nomine decoraverant, celebratum videtur.

IX.

Αἰώρα. Ἐώρα. Ἀλῆτις. Εὔδειπνος

Aeora. Eora. Erratica. Bonicoenium

In Erigones honorem Athenis celebrari solebant ex Etymol. Hesych. Eustath. Iliad. III. Athen. XIV. c. 3. Hygin. Astron. II.

X.

Ἀλεκτρύνων Ἀγών

Gallorum gallinaceorum Pugna

Quotannis Agon ille Athenis ex Themistoclis instituto committi consueverat; quod Themistocles ipse gallorum exemplo, quos invicem pugnantes conspexerat, milites ad Sala-

mi-

(1) Hesych.

miniam pugnam acrius incitaverit, ut Aelianus fuse memorat Libro II. c. 28. Itaque facile circa vicesimam Boedromionis diem, qua Athenienses ipsi, Themistocle duce, victoriam Salamine reportarunt (1), eiusmodi Certamen Athenis celebratum videtur: quod in quibusdam etiam Atheniensium Numis expressum esse iam diximus.

XI.

Ἁλῶα

Haloa

Rusticum Cereri sacrum Festum hoc esse scribit Etymologus, & Suidas etiam ostendit, qui sic appellatum esse testatur quod Festi tempore agricolae περὶ τὰς ἅλως *circa areas* versarentur. Eadem quoque vocis origo ab Harpocratione ex Philochoro profertur; simulque tempus indicatur, quo Haloa celebrari consueverant, nimirum *Posideon* mensis. Verum, cum areae nomine, ut est a Suida observatum, eae potissimum areae designentur, in quibus tritici grana e spicarum calycibus excutiuntur, adeoque rustici circa areas ipsas Hecatombaeone potius, quam Posideone mense, versari consueverint; suspicari fortasse quis possit Hecatombaeone potius aestivo, quam Posideone hyemali mense, rusticos in areis occupatos frugiferae Cereri operatos esse, ac Haloa Festa celebrasse. Quo vero ritu Haloa Festa peragi consueverint, divinari vix potest. Id unum ambiguo quodam Alciphronis testimonio (2) collegit Meursius; quod pluribus diebus agerentur. Clarius id tamen ex illustri Demosthenis loco ostendi posse putaverim, simulque demonstrari quod in iis sacrificia non a viris, sed a feminis Cereris sacerdotio fungentibus, offerebantur. Asserit Orator Archiam Hierophantam varias ob caussas ab Atheniensibus damnatum esse, καὶ ὅτι Σινώπῃ τῇ ἑταίρᾳ Ἁλώοις ἐπὶ τῆς ἐσχάρας τῆς ἐν τῇ αὐλῇ Ἐλευσῖνι προσαγούσῃ ἱερὸν θύσειεν. νομίμου ὄντος ἐν ταύτῃ ἡμέρᾳ ἱερεῖα μὴ θύειν οὐδὲ ἐκείνου οὔσης τῆς θυσίας, ἀλλὰ τῆς ἱερείας (3) sic enim locum illum antea mirifice depravatum legendum esse ex Casaubono iam viderat Maussacus: qui Casauboni tamen nomen dissimulavit, latinamque solum Dalechampii, ac Volfii interpretationem vellica-

(1) Plutar. in Camillo (2) Epist. Lib. II. 33. (3) In Neaeram Pag. 533.

licavit, ipsumque *mire deceptum esse* exclamavit. At iniquior hic certe in Volfium Maussacus: cum Volfius ipse ingenue adnotaverit sibi *divinandum hic fuisse ob codicem corruptum, ac mutilum*; neque tamen *absurdum* illum, *ac ratione carentem* sensum expresserit, quem illi temere Maussacus affingit. Itaque iuxta Athenaei textum, qui superiorem Demosthenis locum exscripserat (1), ita reddi potest: *& quia Sinope meretrici in Halois* Festis *victimam adducenti Eleusine in foco, qui est in aula sacrificavit; cum lege vetitum foret ea die sacrificare, & sacrificandi ius non ad illum, sed ad sacrificulam mulierem spectaret*. Ergo, si in Halois Festis aliqua die sacris operari vetabatur, perspicue apparet aliis Festorum diebus id licuisse, ideoque Haloa Festa plures dies durasse. Perspicuum est etiam in Festis illis θυσίας *sacrificia* non ad viros, sed ad mulieres ipsas spectasse; ut ne Hierophanta quidem eo munere tunc fungi posset, qui ceteris Eleusiniae Cereris sacris operabatur, neque Archias ille, quem Demosthenes asserit ex Eumolpidarum genere fuisse, illorum nempe, qui Vlpiano teste (2) Eleusine sacris operari consueverant: quae Demosthenis, Vlpianique observatio argumento esse poterit non ἐν τῇ ἀυλῇ Ἐλευσῖνι *Eleusine in aula*, ut in vulgatis Athenaei codicibus, sed ἐν τῇ ἀυτῇ Ἐλευσῖνι *in Eleusine ipsa* legendum esse, ut Aldus expresserat: perinde quasi Demosthenes ipse ostendere voluerit Archiae errorem longe, quam Neaerae scelus, leviorem fuisse; cum ille vetita quidem die, sed Hierophantae tamen munus obtinens, non vetito in loco, sed in Eleusine ipsa, ubi nimirum avito iure sacra peragere poterat, meretricis amore sacrificaverit. Ceterum Haloa Festa Eleusine praesertim peragi consuevisse testatur etiam Eustathius, qui illa non Cereri solum, sed etiam Baccho sacra fuisse subindicat: ἰςέον δὲ ὅτι ἐπί συγκομιδῇ τῶν καρπῶν, ἐφ᾽ ᾗ καὶ τα Θαλύσια ἐθύετο, ἑορτὴ ἤγετο Δήμητρος, ϗ Διονύσȣ κατὰ Παυσανίαν, Ἀλῶα καλȣμένη διὰ τὸ ταῖς ἀπαρχαῖς ϗ μάλιςα ἐν Ἀθήναις ἀπὸ τῆς ἅλω τότε καταχρᾶσθαι φέροντας ἐις Ἐλευσῖνα. (3) *sciendum est quod post comportationem frugum, sub quam Thalysia quoque sacrificabantur, Festum agebatur Cereris, & Bacchi, secundum Pausaniam, Haloa nuncupatum: quod tunc Athenis praesertim primitiae ex area Eleusinam delatae absumerentur*. Itaque,

(1) Libr. XIII. c. 7. (2) In Orat. adver. Androt. Pag. 27. (3) In Iliad. I.

que, si sub ipsam frugum comportationem Haloa agebantur, Hecatombaeoni potius, quam Posideoni, adscribi illa debent; nisi fortasse semel, iterumque diversis anni temporibus pro varia frugum natura peracta illa fuerint; ut proinde non Cereri solum, sed etiam Baccho dicari potuerint.

XII.

Ἀμαρύνθια, vel Ἀμαρύσια

Amarynthia, vel *Amarysia*

Haec in Amaryntho, ut videtur, Euboeae Vrbe instituta (1) Athenis etiam in *Amarysiae* Dianae honorem, quae praecipue in Athmonensi Populo colebatur, sunt celebrata (2).

XIII.

Ἀμμών.

Ammon

Festum Athenis, Hesychio teste; incertum tamen cui Deo, Deaeve, celebratum. Suspicor tamen ipsi Iovi dicatum fuisse, qui Hesychio eodem teste Ἄμμους *Ammus* ab Aristotele dictus fuit, quemadmodum Pindari Scholiastes ait. Quin etiam fortasse cum *Ammalo* confundi facile poterit, quod Festum Iovi sacrum fuisse dicit Hesychius, quamvis Vrbem, aut locum, ubi solemne foret, omiserit.

XIV.

Ἀνάκεια

Anacea

In Castoris, ac Pollucis, qui Ἄνακες *Anaces*, aut *Dioscuri* dicebantur, honorem instituta fore plerique Interpretes (3) existimarunt, qui Dioscuros alios a Polluce, & Castore distin-

(1) Schol. Pind. Olymp. XIII. vers. 159. (2) Hesych. & Pausan. Attic. c. 31.
(3) Athen. VI. c. 6. Polluc. Lib. I. c. 1. Segm. 37.

ſtinguendos eſſe non viderant. Mauſſacus (1) id omnium primus eleganti Ciceronis (2) teſtimonio demonſtravit; adeoque *Anaces*, ſive *Anactes*, ſive *Dioſcuros* Athenis honoratos tres a Caſtore, & Polluce diſtinctos, ipſorumque Templum Ἀνάκειον *Anaceum* vocatum eſſe probavit. Itaque in Polluce, ſimulque Heſychii loco, quem Meurſius exhibet, non *Caſtor*, & *Pollux*, ſed *Dioſcuri*, vel *Anaces* reddi debet; ac *Dioſcuria* Feſta Lacedaemone in Caſtoris, & Pollucis honorem celebrata cum Athenienſium Anaceis confundi certe non poterunt.

XV.

Ἀνδρογεώνια, vel ἐπ' Εὐρυγύῃ Ἀγών

Androgeonia; ſive *Certamen ob Eurygyan*

Heſychius (3) aſſerit Androgeum Minois filium *Eurygyan* etiam vocatum fuiſſe; ipſique Athenis in Ceramico funebre certamen inſtitutum eſſe. Certaminis, Feſtique origo Caſtellano, Meurſio, ceteriſque omnibus indicta facile, ut opinor, ex Diodoro (4) conſtitui poterit. Memorat ille Androgeum regnante Athenis Aegeo in ſolemni Panathenaeorum Feſto victoriam adeptum eſſe; moxque, cum Thebas ad Feſtum aliud contenderet, Aegei iuſſu prope Oenoem Atticae Populum occiſum eſſe; Athenienſes admiſſi ſceleris poenas dediſſe, quas ibi fuſe Diodorus, Plutarchus (5), aliique plurimi (6) deſcribunt. Itaque, ſi funebre Certamen illud, quod in occiſi Androgei honorem ab Athenienſibus inſtitutum fuit, iis temporibus, quibus ille interierat, celebratum dicatur, facile *Androgeonia* Feſta exeunte Hecatombaeone menſe, quo Panathenaea Feſta celebrata iam fuerant, peragi conſueviſſe videntur; cumque in Oxonienſi Marmore dicatur (7) anno Marmoris 1031. hoc eſt 519. ante Olympiadas, Apollinis oraculo Athenienſibus imperatum ut Minoi poenas darent, facile Feſtorum illorum origo ad aetatem illam revocari fortaſſe poterit.

(1) Ad Harpocr. Pag. 46. (2) Nat. Deor. Lib. III. c. 21. (3) In Ἐπ' Εὐρυγ. (4) Lib. IV. c. 62. 63. (5) In Theſeo. (6) Vid. Marm. Oxon. Pag. 189. (7) Epch. 20.

XVI.

Α᾽νθεςήρια

Anthesteria

De Festis istis Dionysio, vel Baccho sacris uberrime, accurateque Castellanus, & Meursius. Id unum obiter observasse iuverit quod Anthesterione mense, qui exinde nomen obtinuit, per tres continuos dies agebantur: ut *undecima* quidem Πιθοιγία *Pithoegia; duodecima* Χόες *Choes*; *tertiadecima* Χύτροι *Chytri* diceretur (1); quamvis Aristophanis Scholiastes Choas, & Chytros una, eademque die peragi consuevisse testetur.

XVII.

Α᾽πατέρια

Apaturia

Haec ipsa quoque post Castellanum Meursius erudite, ac uberrime explicavit. Anthesteriorum instar tribus & ipsa diebus constabant; quorum primus Δορπία *Dorpia*; secundus Α᾽νάῤῥυσις *Anarrhysis*; tertius Κυρεῶτις *Cureotis* dicebatur: quod Tribules omnes in *primo* ad vesperam una convivarentur; in *secundo* Iovi Tribuli, Minervaeque sacrificarent; in *tertio* naturales pueros, ac puellas a parentibus oblatas inter Tribules adscriberent. Eiusmodi vero Festa quotannis Pyanepsione mense celebrari consuevisse Harpocration, Hesychius, Theophrastus (2), Etymologus, & Aristophanis Scholiastes (3) asserit, quorum testimonia Meursius exscripsit. Itaque solum mensis dies, quo Apaturia peracta fuerint, explorandus supererit, quem Meursius, ceterique Festorum Scriptores ignorarunt. Corrigendus autem hic obiter insignis Meursii error, qui, cum Procli testimonio ostendisset Atheniensium pueros *tertio*, vel *quarto* aetatis anno in Apaturiis inter *Phratores*, sive Contribules adscriptos esse, subdit: *apud Aristophanem exagitat Archidemum Chorus, qui id necdum anno septimo fecisset*:

Βὐ-

(1) Schol. Aristoph. Acharn. Act. IV. Scen. 3. Vid. Harpocr. in Χόες. (2) Charact. c. 4. (3) Acharn. Act. I. Scena 4.

Βέλεσθε δῆτα κοινῇ
Σκώψωμεν Α᾽ρχέδημον
Ο῞ς ἑπτέτης ὢν ὐκ ἔφυσε φράτορας (1):

nam ex hoc Atheniensium more explicandus iste Comici locus, neque hic quicquam Scholiastes intellexit. At certe fallitur; Archidemus enim ille non septennis, sed adultus erat, ut Aristophanes ipse mox subdit:

Νυνὶ δὲ δημαγώγει (2)
Nunc Rempublicam administrat:

quemadmodum Xenophon asserit quod anno 3. Olymp. XCIII. quo Ranae prodiere, Αρχέδημος τότε προεςεκὼς ἐν Αθηναῖς, καὶ τῆς Δεκελείας ἐπιμελέμενος (3) *Archidemus, qui tuuc Athenis praeminebat, & Deceliae curam habebat.* Itaque non ex illo Atheniensium more, sed ex ipso potius Scholiaste Comici locus intelligi, & explicari debet; latineque reddi

Vultis igitur una
Taxemus Archidemum,
Qui septennis nondum Tribules edidit;

non ut ineptissime in Gronovii textu conspicitur:

Qui septennis non genuit Curiales;

perinde quasi Archidemus ille septennis esse, septimoque aetatis anno Curiales, aut liberos gignere potuerit.

XVIII.

Α᾽ῤῥηφόρια, Ε῾ρσεφόρια

Arrhephoria, vel *Hersephoria*

Festum Minervae (4), sive, ut alii referunt, Hersae Cecropis filiae sacrum a quatuor virginibus, quae *septimum* quidem aetatis annnum attigissent, *undecimum* vero non excessissent, celebratum (5). Hinc illae Α᾽ῤῥεφόροι *Arrephorae* dicebantur; ipsarumque binae Minervae Peplum ultima Pyanepsionis mensis die texere incipiebant (6). At Festum ipsum Scirrhophorione mense celebrabatur, ut Etymologus testatur.

(1) Ran. Act. I. Scena 7. (2) Ibi vers. sequ. (3) Rerum Graec. Lib. I. (4) Etymol. Suid. (5) Etymol. Harpocr. Suid. (6) Suid. Χαλκεια.

XIX.

Ἀσκληπίεια.

Asclepiea.

Ceteris Athenienſium Feſtis, quae fuſe, accurateque Meurſius, Caſtellanus, Faſoldus, aliique plurimi congeſſere, Aſclepiea quoque, vel Aeſculapio ſacra, adiungenda fore ipſe omnium primus obſervavi. Ipſa nimirum a pluribus Populis, atque praeſertim ab Epidauriis, inſtituto Rhapſoedorum, atque Athletarum Certamine, celebrata fuiſſe Meurſius veterum Scriptorum, Marmorumque praeſidio demonſtravit; nihilque tamen de Aſclepieis Athenienſium Feſtis eſt ſuſpicatus; quamvis illa perſpicuo Aeſchinis teſtimonio deſcripta deprehenderim. Etenim Orator ille teſtatur iuſſiſſe Demoſthenem ἐκκλησίαν ποιεῖν τὰς Πρυτάνεις τῇ ὀγδόῃ ἱςαμένυ τῦ Ἐλαφηβολιῶνος μηνὸς, ὅτε ἦν τῷ Ἀσκληπιῷ ἡ θυσία (1) *ut Prytanes concionem indicerent octava Elaphebolionis menſis die, quo tempore Aeſculapio Sacra fiebant.* Itaque iam nullus ambigendi locus ſupererit quin Athenis etiam Aſclepiea ita peragerentur, ut in ipſis Aeſculapio ſacra fierent, Senatus, & Concio feriari deberet: idque octava Elaphebolionis menſis die, ut nitide, diserteque Aeſchines ipſe teſtatur. At Epidauri Aſclepiea ipſa pentaeterica nono die poſt Iſthmicos Ludos celebrari conſueverant, ut Pindari Scholiaſtes ait (2); adeoque, cum Iſthmia aeſtiva 12. Hecatombaeonis menſis die peragi ſolerent, Aſclepiorum dies apud Epidaurios in viceſimam primam Hecatombaeonis menſis incidiſſet; ſin vero de Iſthmiis aliis intelligi debeat, quae non hieme, ut putavit Dodvellus, ſed labente vere celebrabantur, ut peculiari Diſſertatione iam monui, pentaeterica Aſclepii, vel Aeſculapii Feſta ab Epidauriis peracta exeunti veri concedi poterunt.

XX. Ἀσχῶ-

(1) De Falſa Legat. Pag. 283. Vid. Differt. III. Num. 14. & 24. (2) Nemeac. III. verſ. 146.

XX.

Α'σχώλια
Ascholia

De Festis, aut Ludis illis, in quibus ex pluribus, qui in utrem unctum, vinoque plenum uno pede insilirent, is, qui insiliendo simul insisteret, utrem ipsum veluti praemium accipiebat (1), Meursius, aliique differunt; nuperrimeque egregia Dissertatione Rodolphinus Venutus, quae ceteras inter ab Etruscae Academiae Sociis editas octavo loco occurrit. Eiusmodi vero Ludos κατα τὰς Α'ττικὰς κώμας *in Atticae pagis* celebratos esse testatur Phornutus (2); nec plurimum fortasse ego fallar si non alio, quam Dionysiorum illorum, tempore peragi consuevisse dixerim, quae κατ' ἄγρυς *in agris* Posideone mense agebantur (3), ut inferius ostendetur; quamvis ad Θεοίνια *Theoenia* quoque revocari facile possint, quae in Bacchi ipsius honorem κατὰ δήμυς *in Populis* Harpocratione teste celebrabantur.

XXI.

Α'φροδίσια
Aphrodisia

Non Corinthi solum, & in variis Cypri Vrbibus, sed Athenis etiam Aphrodisia Festa Veneri celebrata fuisse perspicuis Athenaei (4) verbis, quae Meursius exhibet, ostendi potest. Siquidem Xenophontis testimonium, quod Meursius ipse repente subiicit, ad Aphrodisia non ab Atheniensibus, sed a Thebanis celebrata referri debet. Cum enim Xenophon Cadmaeam Thebarum arcem aestate, dum Thesmophoria, vel Cerealia Festa a Thebanis mulieribus agerentur, a Phoebida Lacedaemoniorum duce occupatam esse dixisset, subdit Lacedaemonios illos Phyllidae cuiusdam fraude superatos esse, qui τάτε ἐπεμελεῖτο τοῖς Πολεμάρχοις, ὡς Α'φροδίσια ἄγεσιν ἐπ' ἐξό-

(1) Hesych. Schol. Aristoph. Pluto Act. V. Scena I. & Suidas. (2) De Natura Deor. c. 30. (3) Theophr. Char. c. 4. (4) Lib. III. c. 21. & XIV. c. 22.

ἐξόδῳ τῆς ἀρχῆς (1) *cum cetera curasset Polemarchis Aphrodisia Festa in exitu Magistratus agentibus*, Polemarchos ipsos hac fraude circumventos assumpta coniuratorum manu interemit. Denique exercitum a Lacedaemoniis contra Thebanos Cleombroto duce, μάλα χειμῶνος ὄντος (2) *quum maxime hiems rigeret*, emissum memorat. Itaque dubitari non poterit quin Aphrodisia a Xenophonte memorata ad Thebanos ipsos spectaverint: cumque legitimus mensis ille, quo Polemarchi annuum imperium suscipere consueverant, hibernum solstitium proxime sequeretur, ut observavit Plutarchus (3); atque Cadmaea arx, interemptis Lacedaemoniis, hieme recepta fuerit, ut obscurius Xenophon, diserteque Plutarchus ipse testatur; perspicuum fiet Aphrodisia Festa a Thebanis exeunte Posideone mense Attico, qui Boeotico Damatrio respondebat, celebrari consuevisse. An vero Athenis etiam eodem illo tempore peragi consueverint, definiri certe vix potest; cum eadem prorsus Festa variis omnino, distinctisque anni temporibus apud varias Gentes celebrata fuisse deprehenderim: ut ex hoc ipso Xenophontis loco de *Thesmophoriis* alibi ostendam. Interim tamen addidisse iuverit quod Athenaeus Πανδήμου Ἀφροδίτης *Popularis*, publicaeque *Veneris* Festum *quarta* mensis die Athenis celebratum asserit (4).

XXII.

Βάκχεια

Bacchica, Bacchanalia

Meursius, ceterique Festorum Scriptores eiusmodi Festa, veluti a Dionysiis, aliisque Baccho sacris distincta, enumerant. At Hesychius a Meursio laudatus id unum asserit illa *Dionysii Festum* ἑορτὴν Διονύσου fuisse; quemadmodum prorsus Plutarchus ipse, qui a Meursio profertur, Φωσφόρια, & Βακχεια *Phosphori*, & *Bacchi sacra* celebrari consuevisse testatur. Itaque, sicuti *Phosphoria* Plutarchi aetate a Promethei, Vulcani, ac Panathenaeis Festis minime distinguebantur, ita quoque *Bacchica* facile ad Dionysia, quae mox occurrent, revocari fortasse poterunt.

XXIII. Βαλ-

(1) Lib. V. pag. 240. (2) Pag. 244. (3) In Pelopida. (4) Lib. XIV. c. 22.

XXIII.

Βαλλητὺς

Balletis

Quamvis Hesychius haec Athenis propter Demophontem Celei filium celebrari dixerit, Athenaeus[1] tamen haec Eleusine peragi consuevisse testatur.

XXIV.

Βενδίδεια

Bendidia

Festum a Thracibus in Dianae honorem[2], moxque ab Atheniensibus etiam, Hesychio, & Strabone teste[3], celebratum; idque Socratis aetate institutum[4]. Magnifica primum, solemnisque pompa in eo exhibita, tum ad vesperam lampadum, simulque equestre Certamen celebratum, in quo nimirum viri equis insidentes, accensasque lampades manu ferentes cursu certabant. Eiusmodi vero Certamen, ac Festum in Piraeeo peragi consuevisse testatur Simplicius[5], & Plato; idque *vicesima*, sive potius *undevicesima* Thargelionis mensis die contigisse tradit Proclus[6]. Itaque praeclare fallitur Meursius, qui lampadum, & equestre Certamen hic a Platone memoratum, non ad Bendidia, sed ad Panathenaea *minora* spectasse credidit[7], atque ipsa postridie Bendidiorum celebrata putavit: cum tamen Panathenaea Festa, sive *maiora*, sive *minora* illa fuerint, Hecatombaeone mense celebrari, lampadumque Certamen in Bendidiis etiam agitari consueverit; ut opportunius alibi, Petito duce, demonstrabitur, ubi de Panathenaeis ipsis agendum erit. Interim vero graviorem alium Meursii ipsius errorem, simulque tempus ostendam, quo Bendidia Festa Athenis instituta fuerint: quod non Meursio solum, sed ceteris etiam Festorum Scriptoribus ignoratum esse con-

(1) Lib. IX. c. 17. (2) Hesych. in Βένδις. (3) Lib. IX. Pag. 471. (4) De Republ. Libr. I. (5) Simpl. in V. Phys. (6) In Timeum Com. I. (7) Panathen. c. 8. & Graec. Fer. in Bentidiis, & Lampas.

conspicio. Id *Platonis aetate* contigisse scribit Meursius. At ex perspicuo Platonis testimonio, quod Meursius exscripserat, id facile refelli potest, ubi cum ceteris Scriptoribus conferatur. Asserit Plato Socratem, dum Bendidiorum visendorum caussa in Piraeeum descenderet, Cephalum Lysiae Oratoris patrem valde quidem senem, sed adhuc superstitem, convenisse. Exinde vero manifestissime deduci debet quod Bendidia Festa ante Olymp. LXXXIV. Athenis instituta fuerant. Siquidem Plutarchus, ubi dixisset Lysiam Archonte Philocle, hoc est anno 2. Oly. LXXX. natum esse, subdit: ἐπεὶ δὲ τὴν εἰς Σύβαριν ἀποικίαν ἔστελλεν ἡ πόλις, ᾤχετο σὺν τῷ πρεσβυτάτῳ ἀδελφῷ Πολεμάρχῳ (ἦσαν γὰρ αὐτῷ καὶ ἄλλοι δύο, Εὔδιδος, καὶ Βράχιλλος) τοῦ πατρὸς ἤδη τετελευτηκότος, ὡς κοινωνήσων τοῦ κλήρου, ἔτη γεγονὼς πεντεκαίδεκα ἐπὶ Πραξιτέλους Ἄρχοντος. (1) *Cum autem civitas coloniam ad Sybarin mitteret, eo profectus est una cum fratre maiore natu, qui nominabatur Polemarchus, (habuit etiam alios duos fratres Eudidum, & Brachillum) mortuo iam patre, ut in partem sortis veniret. Actum hoc anno aetatis quinto supra decimum Archonte Praxitele.* Ergo, si Praxitelis Archontis anno, dum Lysias decimum quintum aetatis annum ageret, hoc est anno 1. Olymp LXXXIV. Cephalus Lysiae pater e vivis excesserat, Bendidia Festa ipso adhuc superstite celebrata ante Olymp. LXXXIV. referri debent: cumque Socrates in Cephali domo non Polemarchum modo natu maximum, sed Euthydemum quoque, ac Lysiam ipsum reperisse se dixerit, dubitari certe non poterit quin Socratis in Piraeeum descensus, adeoque Bendidia Festa post Olymp. LXXX. contigerint; ut ipsorum proinde institutio ad Olympiadem LXXXII. sive LXXXIII. revocari facile debeat, ut viginti nimirum annis Platonis ortum praecesserint; cum praesertim Lysias ipse cum Polemarcho fratre anno solum 1. Olymp. XCII. Callia Archonte Athenas redierit; (2) iterumque exinde anno 1. Olymp. XCIV. Polemarcho fratre e vivis sublato septem annorum spatio exsulaverit. Quandoquidem vero Lysias ipse testatur quod Cephalus pater Athenas Periclis hortatu concessit, ibique ἔτη τριάκοντα ᾤκησε *triginta annis commoratus est* (3), perspicue apparet Cephalum ipsum circa Olympiadem LXXVII. quadragesimo circiter aetatis anno Athe-

(1) Vita X. Rhet. in. Lysia. (2) Plutar. loc. cit. & Dionys. in Lysia. (3) Orat. XI

Athenas appulisse. Denique, cum in Platone Cephali fiilius, Lysiaeque frater Εὐθύδημος *Euthydemus* vocetur, depravatum ipsius nomen in superiori Plutarchi textu restitui debet; adeoque pro Εὔδιδος *Eudidus* rescribi Εὐθύδημος *Euthydemus*.

XXV.

Βοηδρόμια

Boedromia

Boedromione mense in *Boedromii*, **ut mox indicabitur,** Apollinis honorem celebrata. Atque Etymologus quidem, & Suidas vocis originem exponentes asserunt auxilium, & cursum his indicari, quo Xuthus Atheniensibus contra Eumolpum dimicantibus opem tulit; quamvis Etymologus ipse mox referat instituta Boedromia quod Ion Atheniensibus contra Eleusinios pugnantibus opem tulerit: quemadmodum Harpocration suppetias illas non a Xutho, sed a Ione Xuthi filio, Erechtheo Athenis regnante, latas memoravit; *non enim*, inquit Maussacus (1), *Xuthus ipse, sed filius eius Ion Atheniensibus auxilium tulit, quod a nobis eruditissime probatum est in c. 6. Lib. V. Lectionum nostrarum, in quo plura de Vlpiani loco a nobis allata sunt; explicata etiam Plutarchi in Theseo, Etymologi, & Suidae verba, quae fraudi fuere magnis Viris.* At modestissimi Viri pace ipsi quoque Harpocrationis verba fraudi fuere, quibus auxilium illud a Ione Erechthei regis aetate oblatum asserit. Siquidem, ut accuratissime ex Pausania demonstravit Valesius (2), Xutus ipse Ionis pater Cecropi coaevus, adeoque Erechtheo posterior fuit. Ergo vel Ion alius Xuthi pater admitti, vel Harpocrationis error agnosci debet, quem Maussacus ipse non viderat. Quid vero si in explicando quoque Demosthenis, & Harpocrationis loco Maussacus ipse Vlpiani vestigiis insistens aberraverit? Ait Harpocration quod *Boedromia* festa a Demosthene in *Philippicis* memorantur. Maussacus observat nullibi in Philippicis illis, quae supersunt, eiusmodi nomen reperiri; adeoque suspicatur *Harpocrationem usum esse quibusdam codicibus, in quibus exaratum inveniebatur* Βοηδρόμια *Boedromia, quo loci nunc legitur*

(1) Ad Harpocr. Pag. 138. (2) Not. ad Harpocr.

tur βοΐδια *bucculas* : eiusque coniecturae vadem exhibet Vlpianum, qui ad Olynth. III. verba illa ἢ βοΐδια πέμψωσιν ὅτοι *bucculas isti mittant* adnotavit γράφεται καὶ βοηδρόμια. καὶ γὰρ φασιν ὅτε ἔπεμψε τὴν λείαν ὁ Χάρης βοηδρόμια ἦν. τὸ δὲ βοΐδια ὑποκοριστικὸν ἐστι ἐν συναιρέσει, Αττικῷ ἔθει *scribitur etiam Boedromia. etenim ait: quando Chares praedam misit Boedromia* Festa *agebantur. Boedia vero diminutivum* nomen *est per synaeresim, Attico more*. At clarior est certe Demosthenis locus, quam ut in illo pro βοΐδια temere βοηδρόμια rescribi liceat. Siquidem, cum Demosthenes Atheniensibus exprobrasset quod summa potestas olim non a ducibus, ac Magistratibus, sed a Populo exercebatur; moxque depravatis ipsorum animis, quidquid a ducibus temere gerebatur, probari consueverat, ait ἀγαπῶντες ἐὰν μεταδιδῶσι θεωρικῶν ὑμῖν, ἢ βοΐδια πέμψωσιν ὅτοι *contenti estis theatrali pecunia, quam isti vobis impertiunt, aut bucculis, si quas forte illi miserint*. Itaque neque Charetis praeda, neque Boedromia Festa, neque diminutivum ipsorum nomen effingi potest; sed βοΐδια vox in Demosthene retineri; Vlpianique codex, in quo βοηδρόμια nomen irrepserat, omnino depravatus censeri debet. Vix tamen adducor ut Harpocrationem quoque depravato codice deceptum esse concedam, ut Boedromiorum nomen ex superiori solum Demosthenis loco citaverit, quem facile vel depravatum esse conspexisset. Itaque suspicor Harpocrationem eiusmodi nomen ex alia potius *Philippica*, quae prorsus exciderit, exsculpsisse. Certe Demosthenis Oratio *de Halonesо*, quae circumfertur, non a Demosthene, sed Hegesippo conscripta fuit, ut ex Libanio, Photio, Suida, Etymologo demonstravit Faber [1]; adeoque in sincera, quam Demosthenes ipse de Halonesо, vel contra Philippum ediderat, fortasse Boedromia Festa memorabantur. Quod si *Philippicae* Orationis nomine Olynthiaca quoque donanda sit, ut Schottus, ac Fabricius optime existimarunt, *Boedromiorum* vocem non ex superiori, sed ex alio potius eiusdem Olynthiacae III. loco ab Harpocratione desumptam esse putaverim. Etenim Demosthenes ibi memorat Athenienses Boedromione mense suppetias non Charete, sed Charidemo duce Olynthiis misisse ... Ἑκατομβαιῶν, Μεταγειτνιῶν, Βοηδρομιῶν. τούτου τοῦ μηνὸς, μόλις μετὰ τὰ Μυστήρια, δέκα ναῦς

(1) Vid. Fabr. Bibl. Graec. Lib. II. c. 26. num. 8.

ναῦς ἀπεςείλατε ἔχοντα Χαρίδημον κενάς (1) . . *Hecatombaeon*, *Metagitnion*, *Boedromion* . *eo mense*, *vix post Mysteria* , *Charidemum decem naves habentem vacuas ablegastis* . Ergo, cum Boedromia Festa, simulque Boedromion mensis ab una eademque voce, vel historia nomen acceperint, facile Harpocration *Boedromiorum* etymon, vel originem explicaturus locum illum Demosthenis indicasse videtur, in quo non *Boedromia* quidem ipsa, sed *Boedromion* tamen mensis exprimitur. Ceterum, quocumque demum ex fonte Vlpiani, vel Harpocrationis etiam, si mavis, error prodierit, gravior est certe, longeque verisimilior Plutarchi, quam Harpocrationis, Etymologi, Suidaeque, auctoritas, qui Boedromia Festa Thesei aetate instituta putavit, postquam Amazones superaverat: ait enim ἡ μὲν ὖν μάχη Βοηδρομιῶνος ἐγένετο μηνος. ἐφ᾽ ἧ τὰ Βοηδρόμια μέχρι νῦν Ἀθηναῖοι θυεσιν (2). *pugnatum est mense Boedromione* : *cuius pugnae causa in hunc usque diem Athenienses sacrificia Boedromia peragunt* . Eadem quoque a Callimachi Scholiaste (3) memorata conspicio, qui quamvis neque Theseum, neque Eumolpum exprimat, Apollinem tamen ab Atheniensibus *Boedromium* vocatum ait; quod ipsis in hostes victoriam promiserit si μετὰ βοῆς *cum clamore* in hostes ipsos irruerent.

XXVI.

Βορεασμοί

Boreasmi

Vnicus est Hesychii locus, in quo eiusmodi Atheniensium Festa memorentur: Βορεασμοί . Ἀθήνησιν οἱ ἄγοντες τῷ Βορεᾳ ἑορτὰς, κ᾽ θοίνας, ινα ἄνοτοι πνέωσιν, ἐκαλῦντο δε Βορεασμοί. Locum hunc mirifice depravatum esse putavit Meursius (4), adeoque rescribendum asserit Ἀθήνησιν αἱ ἤγοντο ἑορταὶ, κ᾽ θοῖναι, ἵνα οἱ Νοτοι πνέωσιν, ἐκαλῦντο Βορεασμοί. *Athenis*, *quae agebantur Boreae Festa*, *& repotia*, *ut Noti spirarent*, *vocabantur Boreasmi* Sed, ut praeteream coniecturam illam, quae universa fere Hesychii verba perturbet, vix facile admitti posse, quis unquam fieri potuisse existimet ut Boreae vota, ac Festa peragerentur non ut Boreas

Rr 2 ipse

(1) Pag. 11. (2) Plutar. in Theseo. (3) Ad Hymn. in Apoll. ver. 69. (4) Lect. Attic. Lib. II. c. 1. & Graec. Fer.

ipse spirare inciperet, sed ut Notus exoriretur? Certe vota, ac repotia, quae excitando, vel demerendo Noto peragerentur, non Boreae, sed ipsi Noto sacra censeri debebant. Itaque suspicor potius cum Casaubono (1) ἄνοσοι *salubres* legendum esse; &, quamvis ille primam Hesychii vocem minime reiecerit, libentius legerem Βορεαςαὶ. *Boreastae. Borea celebrantes*. Sic enim certe perspicuo, facilique sensu integer ille Hesychii locus redderetur: *Boreastae. Borea celebrantes; qui Athenis Boreae Festa, ac repotia celebrant, ut salubris spiret*. Haec *autem* Festa *Boreasmi dicebantur*.

XXVII.

Βουφόνια

Buphonia

Cum Diiopoliis ab Aeliano (2), ceterisque confundi solent; quod una cum Diopoliis ipsis occiso bove celebrarentur eo ritu, qui fuse a Porphyrio (3) describitur Itaque corrigendus est Etymologus, &, qui Etymologum hac in parte sequitur, Meursius, ubi Festum ipsum *a boum, qui in eo mactabantur, multitudine* vocatum asserit. Quamvis enim Etymologus dicat quod in Buphoniis πολλοὶ ἐθυοντο βόες *multi mactabantur boves*; Porphyrius tamen, Aelianus, Pausanias (4), Suidas (5), aliique a Meursio laudati unicum solum bovem in iis mactari consuevisse testantur. Ceterum Buphonia Festa Σκιρροφοριῶνος μηνὸς τετάρτῃ ἐπὶ δέκα *quartadecima Scirrhophorionis mensis* die peragi consuevisse scribit Etymologus; quamvis in Suida legatur ἥν φασιν ἄγεσθαι μετὰ τὰ Μυςήρια *quam festivitatem ferunt peragi post Mysteria*: ubi Meursius rescripsit ἃ φασιν ἄγεσθαι τὰ Μυςήρια, *qua ferunt agi Mysteria*: quemadmodum certe in Agrauliis etiam τέλετας, καὶ μυςήρια *initiationes, ac mysteria* peragi consuevisse iam diximus.

XXVIII. Βραυ-

(1) Ad Athen. Lib. IV. c. 5. (2) Var. Hist. Lib. VIII. c. 3. (3) De Abstin. Lib. II. (4) Attic. (5) In Buphon.

XXVIII.

Βραυρώνια

Brauronia

In Braurone Atticae Populo in Brauroniae Dianae honorem celebrabantur a virginibus, quae neque infra *quintum*, neque ſupra *decimum* aetatis annum forent, ut nitide, diſerteque Suidas teſtatur. Minus vero feliciter, accurateque notavit Meurſius, & Faſoldus quod virgines illae *eo tempore* ἀρκτεύειν *dicebantur;* ἄρκτοι *indigetabantur*; *tempus ipſum*, *quod ita exigebant*, ἄρκτεια *nuncupatum* erat; denique δεκατεύειν *dicebantur*. Siquidem Harpocration ait ἀρκτεῦσαι nihil aliud eſſe quam τὸ καθιερωθῆναι τὰς παρθένυς τῇ Ἀρτέμιδι τῇ Μυνιχίᾳ, ἢ τῇ Βραυρωνίᾳ *conſecrari virgines Dianae Munichiae*, *vel Brauroniae;* ac virgines illas ita conſecratas ἄρκτυς vocari dicit, ipſamque conſecrationem ἀρκτείαν vocatam eſſe ſcribit Heſychius. At conſecratio illa non ad Brauronia Feſta, ſed ad ſacra potius referri debet, quae a virginibus, antequam nuberent, ſive Munichiae, ſive Brauroniae Dianae peragebantur, ut facile ex Suida deduci poterit. Quinetiam Heſychius ipſe cum aſſerit περὶ τὸν δεκαετῆ χρόνον *circa decimum aetatis annum;* atque Harpocration ait illas δεκαετίδας *decennes* conſecrari, de Brauroniis certe Feſtis intelligi non poſſunt, quae longe ante decimum aetatis annum peragere conſueverunt. Denique, ne coniecturas alias hic perſequar, cum Suidas aſſerat quod ἐψηφίσαντο οἱ Ἀθηναῖοι μὴ πρότερον συοικίζεσθαι ἀνδρὶ παρθένον εἰ μὴ ἀρκτεύσειε τῇ θεῷ *Athenienſes decreverunt*, *ne quae Virgo nuberet*, *niſi prius Dianae ſacra feciſſet*, aegre intelligi, defendique poterit univerſas Atticae regionis virgines ad Brauronia Feſta confluxiſſe, ut in iis Dianae ſacra peragerent, ipſique tunc ſolum, ex legis praeſcripto, conſecrarentur: cum praeſertim Dianae ipſi non *Braurone* ſolum, ſed *Chitone* quoque, in *Limnis*, *Munichia*, & *Halis Araphenidis* honores, atque Feſta fortaſſe exhiberi conſueverint, ut a Callimacho erudimur (1). Eiuſmodi vero Feſta Dianae Brauroniae conſecrata, ſimulque a virginibus celebrata *pentaeterica* fuiſſe Meurſius, Iungermannus, Khunius, alii-

(1) Hymn. in Dianam ver. 172. 259.

aliique plurimi existimarunt; idque Pollucis testimonio confirmarunt, qui inter pentaetarica Festa a *decem* Atheniensium Hieropoiis, sive Sacrificis peracta Brauronia quoque Festa recensuit [1]. Sed clarissimos Viros illos deceptos esse iam monuit Hemsterhuisius, qui perspicuis Veterum [2] testimoniis ostendit *Brauronia* quaedam in Bacchi honorem non a virginibus, sed ebriis viris, ac meretricibus etiam peragi cosuevisse, atque haec ipsa non annua, sed pentaetarica fuisse credidit [3]; quod Meursius ipse laudato eorundem veterum, simulque Pollucis testimonio iam dixerat [4]; quamvis immemor, sibique non constans mox oppositum existimaverit [5]. At, quoniam nec Meursius, nec Hemsterhuisius ipse, nec ullus omnino Veterum diserte docuit an *pentaeterica* Festa Dianae potius, quam Baccho dicata fuerint, observari maxime velim quod in Brauroniis Dianae sacris mulieres ipsae *sacerdotio* fungebantur, unde Dinarchus τῆς ἱερείας τῆς Ἀρτέμιδος τῆς Βραυρωνίας [6] foeminae *sacerdotis Dianae Brauroniae* meminit; in pentaetericis vero a Polluce memoratis sacra a Decem-Viris Sacrificis peragebantur. Ergo pentaeterica Festa Polluci memorata non Dianae, sed Baccho potius consecrata censeri debent; adeoque Brauronia alia Dianae sacra non pentaeterica, sed annua solum fuisse videntur.

XXIX.

Γῆς ἑορτή

Telluris Festum

Telluris templum in ipsa Athenarum arce fuisse scribit Thucydides [7]; atque Certamen, sive Agonem quendam in Telluris ipsius honorem edi consuevisse testatur Pindarus [8].

XXX. Γε-

(1) Lib. VIII. c. 9. seg. 107. (2) Suid. Schol. Aristoph. ad Pacem. (3) Ad Polluc. Libr. IX. c. 6. segm. 74. (4) De Pop. Attic. in Brauron. (5) In Graec. Feri. (6) Orat. adv. Aristogit. (7) Lib. II. (8) Pyth. IX. ver. 177.

XXX.

Γεφυρισμοὶ

Gephyriſmi

Eiuſmodi Feſtum, quamvis ab Aeliano ſeorſim, veluti a ceteris Athenienſium Feſtis diſtinctum, memoretur [1], ad Eleuſinia tamen Feſta referri debet, ut oſtendit Meurſius [2]. Itaque in ſextam Myſteriorum, hoc eſt viceſimam Boedromionis menſis diem incidebat Gephyriſmorum dies, in quo nimirum ii, qui Eleuſinam aſcendebant, a maleferiatis civibus, qui Cephiſi ponti inſidebant, iocis, ſalibus, acerbiſque ſcommatis impetebantur.

XXXI.

Δελφίνια

Delphinia

Delphinium Apollinem ab Athenienſibus honoratum eſſe ex Plutarcho obſervavit Meurſius; ſimulque Delphinia Feſta in Apollinis ipſius honorem ab Aeginetis celebrata fore demonſtravit. Sed Athenis etiam vel Sacra, vel Feſta quaedam in Delphinio, ſive Apollinis Delphinii templo celebrari conſuevisse non obſervavit; quamvis id nitide, diſerteque Plutarchus ipſe teſtetur [3]. Aſſerit enim Theſeum in Cretam navigaturum in Delphinio templo ſacrae Oleae ramum alba lana involutum pro ſociorum ſalute Apollini obtuliſſe: tum ſubdit εὐξάμενος δὲ κατέβαινεν ἕκτῃ μηνὸς ἐπὶ θάλασσαν ἱσαμένου Μουνυχιῶνος, ᾗ καὶ νῦν ἔτι τὰς κόρας πέμπουσιν ἱλασομένας εἰς Δελφίνιον *voto concepto deſcendit ad mare ſexta die Munychionis: quo die etiam nunc puellas mittunt ſupplicatum in Delphinium.* Itaque ceteris Athenienſium Feſtis, aut Sacris *Delphinia* quoque adiungi facile debent. Illud etiam hic obiter obſervaſſe iuverit, quod immerito prorſus, atque inconſulto ſcribit Meurſius Apollinis Delphinii templum Athenis excitatum a Diogene Laertio memorari,

(1) Hiſt. Anim. Lib. IV. c. 43. (2) Eleuſin. c. 27. (3) In Theſeo. Pauſ. Attic. c. 28. & Pollux Lib. VIII. c. 10. ſect. 116.

rari, cum ait Θαλῆς Μιλήσιος Ἀπόλλωνι Δελφινίῳ Ἑλλήνων ἀριστεῖον, δὶς λάβων [1] Thales Milesius *Apollini Delphinio Graecorum praemium, quod bis acceperat*, dedicavit. Vt enim optime iam, accurateque demonstravit Menagius, non Δελφινίῳ *Delphinio*, sed Δυνδιμαίῳ *Dindimaeo* rescribi ibi debet: & quamvis etiam *Delphinii* vox retinenda foret, ut Menagius ipse Pellissonii coniecturis indulgens subdubitat; Delphinius tamen Apollo non Athenis, ut putavit Meursius, sed Mileti honoratus, eiusque templum non Athenis, sed Mileti excitatum in laudato Laertii textu intelligi profecto debet.

XXXII.

Δήλια

Delia

Haec Apollini Delio sacra fuisse, singulisque quinquenniis peragi consuevisse ex Polluce [2], ac Thucydide [3] demonstravit Meursius. Sed clarissimus Scriptor ille alterius etiam generis *Delia*, quae quotannis agi solebant, ignoravit. Perspicuis tamen Plutarchi [4], Platonis [5], aliorumque testimoniis erudimur quod singulis etiam annis ab Atheniensibus *Theoris*, vel sacra navis, qua Theseus Athenas e Delo redierat, ita Delum mittebatur, ut puppis solemni pompa ab Apollinis Sacerdote coronaretur; peractisque in Delo sacris iterum Athenas rediret. Interim vero, dum navis, ac pompa illa Athenis Delum, iterumque Delo Athenas contenderet, neminem Athenis occidi licebat [6]; unde Plato observavit Socratem iam morti damnatum integros *triginta* dies post Iudicum sententiam in carcere detentum fuisse; quod illo nimirum pridie, quam navis coronata foret, damnato navis reditus expectari debuerit, ut moreretur. Exinde vero manifestissime inferri poterit quod Delia Festa quotannis etiam ab Atheniensibus agebantur; simulque tempus ostendi, quo celebrari consueverint. Etenim Socrates, ubi in iudicio contenderet, asseruit se ἑβδομήκοντα, καὶ πλείω [7] *annos septuaginta, eoque amplius* vixisse; ergo, cum anno

(1) Lib. I. seg. 29. (2) Lib. VIII. c. 9. sect. 107. (3) Lib. III. c. 104. (4) In Theseo. (5) In Phaedone. (6) Xenoph. Memorab. Lib. IV. (7) Plato in Apol. Socr.

anno 3. Olymp. LXXVII. *sexta* Thargelionis mensis die natus esset, [1] ut *septuagesimum* annum absolvere potuerit, ipsius iudicium post *sextam* Thargelionis diem anno 1. Olymp. XCV. agi debuit; cumque certissime Socrates Lachetis Archontis anno, hoc est 1. Olymp. XCV. e vivis excesserit, antequam nimirum Scirrhophorion ultimus anni mensis exiret, si mensem integrum post sententiam, sacraeque navis expeditionem in carcere exegit, Theoridis expeditio, ac Deliaca pompa post *sextam*, & ante *trigesimam* Thargelionis diem contigisse debuit; adeoque Delia Festa exeunti Thargelioni adscribenda merito existimaverim. Clarius id etiam ex Laertio deduci poterit, qui Atheniensem Vrbem *sexta* Thargelionis die lustrari consuevisse testatur [2]. Itaque, cum Plato dixerit pompam in Delum, lustrata iam Vrbe, si commode venti spirarent, mitti solere, Delia Festa, vel expeditio circa *decimam* Thargelionis mensis diem contigisse debuit. Quod vero ad *pentaetericam* pompam aliam attinet, vel quinquennalia Festa, quae lustrata Delo instituta fuisse narrat Thucydides, illa, si eodem ipso tempore constanter acta fuerint, quo primum instituta fuerant, *tertio* quolibet Olympiadum anno hieme, seu vere potius celebrata videntur. Etenim Thucydides asserit hieme anni 3. Olymp. LXXXVIII. Delon lustratam fuisse; tumque primum Delia Festa *quinquennalia* instituta: ut optime proinde quinquennalia ad *tertios* Olympiadum annos, simulque ad vernum aliquem mensem referri posse videantur [3] Id unum certe constitui, vel inferri poterit quod Delia Festa a Platone memorata cum *quinquennalibus* Deliis istis a Thucydide descriptis confundi non possunt; adeoque non modo pentaeterica cum Meursio, sed annua quoque Delia Festa admitti debent.

XXXIII.

Δημήτρια

Demetria, vel *Cerealia*

Eiusmodi Festa in Cereris honorem instituta ab Hesychio [4], & Cleomede [5] memorantur, atque a Polluce una cum

(1) Vid. Disser. IX. Num. 30. & 31. (2) Lib. II. seg. 44. (3) Vid. Plutar. in Nicia.
(4) In Μόροττον. (5) Lib. II.

Eleusiniis, ac *Thesmophoriis* recensentur [1], ut ab illis proinde distinguenda, simulque, ipsorum instar, Athenis celebrata merito videantur. Id optime, ut opinor, Meursius ipse coniecerat ubi Δεμήτρια seorsim ab aliis exposuit. At, ubi perspicuo Pollucis testimonio Cleomedis etiam testimonium adiecit, profecto fallitur; cum Cleomedes ipse Demetriorum, vel Cerealium nomine non alia, quam Thesmophoria, Festa intellexerit. Asserit enim ex verbis illis, quibus Epicurus utitur, haec quidem absona, ac lutulenta fore, *τὰ δὲ ὅμοια τοῖς λεγομένοις ἐν τοῖς Δημητρίοις ὑπὸ τῶν θεσμοφοριαζȣσων γυναικῶν haec vero iis similia, quae in Cerealibus* Festis *a mulieribus Thesmophoria celebrantibus adhibentur*. Itaque ex postremis Cleomedis vocibus ὑπὸ τῶν θεσμοφοριαζȣσων γυναικῶν, quas Meursius omiserat, perspicue apparet Cleomedem ipsum Cerealia Festa cum Thesmophoriis confudisse; adeoque prorsus immerito ipsius testimonium ad Demetria, vel Cerealia sola transferri. Quid vero si & ipse quoque Theophrasti locus, quem Meursius hic protulit, a Demetriis istis abhorreat, longeque diversa ratione, quam Meursius coniecerat, in Theophrasti textu rescribi debeat? Narrat Theophrastus oraculo praenunciatum esse quod, ubi oleaster Megaris in foro consitus excisus esset, Civitas ipsa occupanda, ac diripienda fuerat: ὥσπερ ἐγένετο Δημήτριος. Meursius rescribendum hic asserit Δημητρίοις; ut nempe exprimatur Megarensis Vrbis excidium in Demetriis Festis contigisse. Sed clarius, ut opinor, iudicium, aut characterem alium temporis usurpasset Theophrastus; aliorumque Scriptorum instar, veterique more, quem Theophrastus ipse alibi observavit, vel Archontis nomen, vel Megarensis excidii auctorem expressisset. Itaque, cum a Demetrio Poliorceta anno 3. Olymp. CXXII. ipsius nempe Theophrasti aetate Megarensis civitas obsessa, ac direpta fuerit, paullo ante Pythia, quae Demetrius Athenis ideo celebravit quod Delphi ab Aetolis occuparentur [2], facile in mutilo, depravatoque Theophrasti textu pro Δημήτριος non Δημητρίοις, sed ὑπὸ Δημητρίȣ, sive ἐπὶ Δημητρίȣ rescribi poterit. Si cui tamen in superiori Theophrasti loco Δημητρίοις *Demetriis* retinendum esse videatur, id per me licet. Cum tamen Theophrasti aetate alterius etiam generis *Demetria* in Demetrii

trii

(1) Lib. I. c. 1. *seg.* 37. (2) Plutar. in Demetr.

trii ipsius honorem ab Atheniensibus instituta sint, solemnique pompa celebrari consueverint, ut Meursius ipse mox memorat, non video plane cur Theophrasti locus ad Cerealia potius, quam Demetria Festa non Cereri, sed regi Demetrio sacra revocari repente debeat; cum praesertim Demetria ista splendidiora forent, quippequae, Plutarcho teste, *annuos Ludos*, *& pompam*, *& sacrificium* complecterentur. Eiusmodi vero Demetrii Festa *trigesima* Munychionis mensis die peragi consuevisse scribit Meursius quod Plutarchus ipse dixerit τῶν τε μηνῶν τὸν Μουνυχιῶνα, Δημητριῶνα, κὴ τῶν ἡμερῶν τὴν ἕνην κὴ νέαν Δημητριάδα προσηγόρευον κὴ τῶν ἑορτῶν τὰ Διονύσια μετωνόμασαν Δημήτρια *ex mensibus Munychionem*, *Demetrionem*, *ex diebus trigesimam*, *Demetriadem appellarunt*; *atque ex Festis Dionysia*, *mutato nomine*, *Demetria nuncuparunt*. Tantum tamen abest ut exinde Demetriorum dies exsculpi possit, ut oppositum potius inferatur. Etenim, si Dionysia Festa, mutato solum nomine, Demetria sunt appellata, eodem ipso die, quo Dionysia peragi consueverant, celebrata videntur Demetria; adeoque, cum Dionysia non trigesima Munychionis die, sed Anthesterione solum, Elaphebolione, ac Posideone mense agitari consueverint, ad menses illos Demetria quoque Festa, quandiu Athenis durarunt, referri debent. Suspicor tamen Dionysia illa, quae mutato nomine *Demetria* sunt appellata, non alia fuisse quam quae *urbana* dicebantur, atque Elaphebolione mense peragi consueverant. Ista nimirum Dionysiis aliis, quae ruri Posideone agebantur, celebriora fuerant; adeoque facilius ista Demetrio, quem impudenti quadam assentatione Athenienses honorarunt, consecrata videntur. Accedit etiam quod Plutarchus perspicue asserit *ingenti gelu*, *quod praeter anni tempus obortum fuit* Dionysiorum pompam, quae in Demetrii honorem agebatur, interruptam fuisse (1), quod certe Elaphebolioni potius, quam Posideoni mensi conveniet; cum Posideon ipse Decembri nostro respondens, hiemalis esset; adeoque gelu tunc obortum *praeter anni tempus* ingruisse censeri non potuerit.

(1) In Demetr.

XXXIV.

Διάσια

Iovialia

Iovi Μειλιχίῳ, sive *placido* Athenis celebrababantur; ut Aristophanis Scholiastes (1), simulque Thucydides (2) docent, qui varios quoque ritus exponunt, quibus illa peragebantur. Ipsa vero *decimanona* Munychionis mensis die agi consuevisse putavit Meursius; quod Plutarchus (3) afferat hac ipsa die τῷ Διῒ τὴν πομπὴν *Iovi pompam* ab equitibus ductam esse. At Scholiastes ille nitide, diserteque dixerat Diasia Festa μηνὸς Ανθεστηριῶνος φθίνοντος *sub mensis Anthesterionis exitum* celebrata fuisse; adeoque Festa a Plutarcho memorata a Diasiis accuratissime distingui debent, ut Potterus ipse iam viderat.

XXXV.

Διϊπόλια

Diipolia

Diipolia quoque, vel Vrbani Iovis Festa a Diasiis ipsis distingui debent, quippequae Athenis ipsis in arce celebrarentur (4) *quartadecima* Scirrhophorionis die, ut superius ostensum fuit ubi de Buphoniis ageretur; quae a Diipoliis ipsis minime distinguebantur. Itaque, sive tempus, sive locum spectaveris, Diipolia a Diasiis secerni debent; quamvis illa Fungerus una confundi posse putaverit (5).

XXXVI.

Διόμεια

Diomia

Eustathius (6) haec a Diomo Iove, Etymologus (7) autem a Diomo heroe nominata fuisse dicit, ut notavit Meursius. Suspi-

(1) Ad. Nubes Act. I. Scen. 4. (2) Lib. I. c. 126. (3) In Phocione. (4) Etymol. (5) Ad Hesych. (6) Iliad. Δ. (7) In Δίομος.

Suspicor tamen illa in Herculis potius honorem celebrata fuisse, aut certe in Diomeiis ipsis Herculi sacra peragi consuevisse. Etenim, cum Aristophanes dixisset

. . . . ἐφρόντισα

Ὁπόθ' Ἡράκλεια, τἀν Διομείοις, γίνεται[1]

. . . . cogitabam

Quando Herculana Sacra in Diomiis fierent.

Scholiastes adnotavit Diomiam Atticae Populum esse a Diomo Herculis amasio nominatum, ibique Herculis templum fuisse, περὶ οὗ φησι Δηλῶν ὅτι Δίομος Ἡρακλῆς ἐγένετο; *de quo Delo ait quod Diomus Hercules erat.* Itaque *Diomi*, vel *Diomii* nomine Hercules ipse vocabatur; & Diomia Festa vel Herculi sacra fuerant, vel certe Herculis etiam Festa complectebantur. Hinc optime Interpretes Ἡράκλεια τἀν Διομείοις reddiderunt *Herculana Festa in Diomia* Populo celebrata; ut ea nimirum, quae in Diomeia, hoc est in Cynosarge, agebantur, ab Herculanis Festis aliis distinguerent, quae Marathone, vel Melite celebrabantur. Itaque, quamvis a Diomo Herculis amasio, sive a Diomeia Atticae Populo nomen acciperent, ut notavit Etymologus; exinde tamen inferri non potest quod ipsa Diomo, vel Iovi *sacra* forent, ut putavit Meursius.

XXXVII.

Διονύσια

Dionysia, vel *Bacchanalia*

De celeberrimis Festis illis Meursius peculiari Libro disserere meditabatur; sed acerbiori fato literis praereptus votis defuit, aut Liber ille prorsus interiit. Vberrime tamen, atque accurate argumentum ipsum pertractarunt Castellanus[2], Palmerius[3], Prideauxius[4], aliique plurimi, ex quibus universa fere Dionysiorum varietas, simulque tempus haberi poterit, quo ipsorum singula Athenis peragi consueverint. Quandoquidem vero clarissimi Scriptores illi subinde dissident ubi Festa quaedam temere confundunt, aut subtilius inqui-

(1) Ran. Act. II. Sc. VI. (2) Heortolog. (3) Exercit. pag. 617. (4) Marm. Oxon. pag. 35.

inquirunt quae nam *maiora*, sive simpliciter *Dionysia*, vocari debeant, a subtilioribus controversiis illis deflectam; simulque suprema rerum capita complectar, ut, quae certiora fortasse fuerint, exponam. Itaque, ut a clarioribus exordiar, Dionysia quaedam ἐν ἄστει *Vrbana*; alia κατ' ἀγροὺς *rustica*; alia Λήναια *Lenaea* dicebantur; quibus *Anthesteria* quoque superius exposita adiungi debent. Ac urbana quidem ante *decimam octavam*, sed post *octavam* tamen Elaphebolionis mensis diem celebrata fore perspicuo Aeschinis testimonio demonstratur, quod opportunius alibi exposui (1): quemadmodum Dodvellus (2) Dionysia illa ad *duodecimam* eiusdem mensis diem revocanda fore coniecerat. De Festis illis Aristophanis Scholiastes intelligendus ubi ait ὁ τῶν Διονυσίων ἀγὼν ἐτελεῖτο δὶς τοῦ ἔτους. τὸ μὴν πρῶτον ἔαρος ἐν ἄστει . . καὶ δεύτερον ἐν ἀγροῖς, ὁ ἐπὶ Ληναίῳ λεγόμενος . . χειμὼν γὰρ λοιπὸν ἦν (3) *Dionysiorum certamen bis in anno peragebatur, primum quidem vere in Vrbe . . secundum vero in agris, quod dicebatur ad Lenaeum . . . etenim hiems ingruebat*. Rustica vero, sive κατ' ἀγροὺς, Posideone mense celebrata fuisse nitide, diserteque docet Theophrastus (4): idque superior etiam Scholiastae locus ostendit, quo *ingruente hieme* peragi consuevisse illa dicit; quemadmodum alibi (5) ἐν τῷ μετωπώρῳ *in autumno* celebrata scripserat. A Dionysiis istis accuratissime distingui debent non Anthesteria solum, quae *undecima*, duabusque pone sequentibus Anthesterionis diebus celebrata fuisse iam diximus; sed Lenaea quoque, quae ab Atticis Scriptoribus frequentissime memorantur. Quamvis enim Scholiastes Aristophanis, & Stephanus (6) Lenaea Festa cum Dionysiis illis confuderit, quae in agris agebantur; adeoque Meursium, Palmerium, aliosque plures in errorem induxerit, perspicuum est tamen Lenaea ipsa neque in agris, neque Posideone mense celebrata fuisse: ut optime proinde a rusticis Dionysiis illis distingui debeant. Ac certe quod Lenaea non Posideone mense, sed Anthesterine celebrari consueverint invictissime demonstravit Prideauxius, qui Lenaeonem veterem illum Atheniensium mensem, qui a Festis illis, Hesychio teste, nomen acceperat, non Posideoni, sed Anthesterioni respondisse docuit, ut sequenti Dissertatione opportunius exponam.

(1) Differt. III. Num. 14. (2) Diss. VI. sect. 18 (3) Ad Acharn. Act. II. Scen. 5. & Scen. 2. (4) Charact. c. 4. (5) Ad Acharn. Act. II. Scena 2. (6) In Ληναιος.

nam. Itaque Palmerius hic fallitur asserens quod Lenaeon, & Posideon *erat unus, & idem mensis*; frustraque in Hesychii textu ubi depravate nunc legitur: τὰ μὲν κατ' ἀγροὺς μηνὸς Ποσειδεῶνος, τὰ δὲ κλαῖα μηνὸς Ληναιῶνος τὰ δὲ ἐν ἄστει Ἐλαφηβολιῶνος [1] *Dionysia in agris quidem Posideone mense . . . . vero Lenaeone, in Vrbe autem Elaphebolione* agebantur, rescribi voluit τὰ δὲ ἀρχαῖα μηνὸς Ἀνθεστηριῶνος *antiqua vero mense Anthesterione*; quod ibi nimirum non de Lenaeis, quae Palmerius ipse cum rusticis confuderat, sed de antiquioribus Dionysiis aliis agi putaret. At sive Lenaea, sive antiquiora Festa hic Hesychius expresserit, Lenaeonis tamen nomen retineri debet, cum Lenaeon ex Hesychii hypothesi cum Posideone, adeoque Lenaea cum rusticis Dionysiis confundi certe non possint. Quod vero Lenaea ipsa non in agris, sed in Vrbe solum agitari consueverint Hesychius ipse a Meursio laudatus expressit Ἐπὶ Ληναίῳ ἀγών. Ἔστιν ἐν τῷ ἄστει Λήναιον, περίβολον ἔχον μέγα, καὶ ἐν αὐτῷ Ληναίου Διονύσου ἱερὸν, ἐν ᾧ ἐπετελοῦντο οἱ ἀγῶνες Ἀθηναίων πρὶν τὸ θέατρον οἰκοδομηθῆναι [2]. *In Lenaeo certamen. Est Lenaeum in Vrbe, ambitum magnum habens, atque in eo Lenaei Bacchi templum, in quo Atheniensium certamina agebantur antequam theatrum exstrueretur.* Itaque Lenaea Festa, & agones sive antiquitus in Limnis, Lenaeique Bacchi templo, sive mox in theatro peragerentur, semper tamen in Vrbe, non in agris, celebrata fuerunt; adeoque a Dionysiis ruralibus distingui debent: quamvis & a Dionysiis aliis perspicue distinguerentur, quae in Vrbe celebrata ἐν ἄστει dicebantur; unde Aristophanis Comoediae modo ἐν ἄστει, *in Vrbe*, modo ἐν Ληναίοις *in Lenaeis* prodiisse dicuntur. Sic, ut testimoniis aliis a Prideauxio allatis illustrius aliud adiiciam, a Demosthene nitide distincteque recensetur ἡ πομπὴ τῷ Διονύσῳ ἐν Πειραιεῖ, καὶ οἱ κωμῳδοὶ, καὶ οἱ τραγῳδοί. καὶ ἐπὶ Ληναίῳ πομπὴ, καὶ οἱ τραγῳδοὶ καὶ οἱ κωμῳδοί. τοῖς ἐν ἄστει Διονυσίοις ἡ πομπή.. καὶ οἱ κωμῳδοὶ, καὶ τραγῳδοί *pompa Baccho sacra in Pireaeo, & Comoedi, & Tragoedi; & in Lenaeo pompa, & Comoedi, & Tragoedi; & in urbanis Dionysiis pompa, & Comoedi; & Tragoedi*; quo perspicue erudimur Comoedorum, Tragoedorumque certamen non in Lenaeis solum, ac Vrbicis Dionysiis, sed in Piraicis etiam institui consuevisse; quod nullus tamen ex Festorum Scriptoribus observavit. Haec ipsa vero Dionysia, quae in Li-

(1) In Ἐπὶ Ληναίῳ. (2) In Ἐπὶ Ληναίῳ.

Limnis, in Lenaei Bacchi templo, Lenaea denique dicebantur, contra Palmerii hypothesim eadem ipsa fuisse putaverim, quae ἀρχαιότερα *antiquiora* a Thucydide nominantur; ut immerito proinde Palmerius antiquiorem illam Dionysiorum celebritatem Aristophanis, ac Thucydidis aetate viluisse coniecerit; nullumque Agonem in *antiquioribus* Dionysiis illis celebratum esse contenderit. Quod si Lenaea Festa a ruralibus Dionysiis distingui, eademque prorsus cum antiquioribus Dionysiis in Limnis celebratis censeri debeant, dubitari certe non poterit quin Anthesterione mense quotannis ea peragi consueverint, cum Lenaeon Anthesterioni respondeat; Dionysia antiquiora Thucydides τῇ δωδεκάτῃ ἐν μηνὶ Ἀνθεστεριῶνι (1) *duodecima die Anthesterione mense* celebrata fuisse dixerit; atque Demosthenes antiquissimum Bacchi Templum in Limnis positum semel quotannis τῇ δωδεκάτῃ τοῦ Ἀνθεστηριῶνος μηνός *duodecima Anthesterionis mensis die* aperiri consuevisse testetur (2). Hinc *antiquiora*, vel *Lenaea* Dionysia in ipsos Anthesteriorum dies incidebant; nisi fortasse potius ita Anthesteriis adnexa illa fuerint, ut postquam *duodecima* Anthesterionis die Bacchi templum reseratum fuerat, sequentique die *Chytrae* ultimus Anthesteriorum dies actus erat, Lenaea ipsa successerint. Certe Laertius Lenaea a Chytris ipsis distinguenda fore demonstrat ubi Tragicorum Dramatum certamina Διονυσίοις, Ληναίοις, Παναθηναίοις, Χύτροις (3) *Dionysiis*, *Lenaeis*, *Panathenaeis*, *Chytris* committi consuevisse testatur; atque Athenaeus etiam Λήναια, καὶ Χύτρους (4) *Lenaea*, *& Chytros* veluti distincta recenset. Ceterum, an *maiorum* Dionysiorum nomine Anthesteria ipsa, ut Vlpianus (5), ipsique adhaerens Casaubonus (6), & Pridauxius (7) existimavit; aut urbana potius Dionysia, ut Palmerio (8), & Pottero videbatur, intelligi debeant, alii viderint. Mihi certe Palmerii sententia ceteris accuratior videri solet; quod in urbanis illis non modo civium, sed exterorum quoque frequentia maior esset, qui ex Vrbibus aliis advenerant ut Athenas tributa afferrent (9). Itaque praeclare fallitur, sibique non constat Scholiastes ille, qui, cum antea dixisset quod Dionysiorum agon τὸ μὲν πρῶτον

ἔαρος

(1) Lib. II. c 15. (2) Orat. in Neaer. pag. 528. (3) Lib. III. segm. 56. (4) Lib. IV. c. 1. (5) Ad Orat. Demosth. in Leptin. (6) Ad Theophr. Charact. c. 4. (7) Mar. Ox. pag. 36. (8) Exerc. pag. 617. (9) Schol. Aristoph. ad Achar. Act. II. Scen. 2. & 5.

ἔαρος ἐν Ἄστει *primum quidem vere in Vrbe* celebrari, Dionysiorumque urbanorum tempore tributa afferri solebant; alicubi tamen asserit [1] urbana Dionysia *trieterica* fuisse: quod certe miror Prideauxio [2] imposuisse, ut urbana ipsa non *annua*, sed *trieterica* existimaret. Siquidem Dionysia illa, quae *pentaeterica* dicebantur, non in Vrbe, sed Braurone solum Atticae Populo agebantur [3]: quemadmodum *Nyctelia* quoque, *Theoinia*, & *Omophagia* Festa in Bacchi honorem, apud Athenienses peragi consueverant; quae tamen singula a Dionysiis ipsis superius memoratis accurate secerni debent. At urbana illa non *trieterica* certe, sed *annua* solum admitti debent; ut perspicuo quoque Plutarchi testimonio confirmari poterit, quod nemini tamen observatum, vel laudatum esse conspicio. Asserit enim ille quod *Xenocrates semper in Academia moratus est, unica dempta die, qua quotannis in Astu ivit Dionysiis* [4], ut Tragicorum certamen spectaret.

XXXVIII.

Ἑβδόμη

Septima mensis dies

Septimam cuiuslibet mensis diem non Athenienses [5] solum, sed Delphenses etiam Apollini sacram esse putarunt; quod is *septima* Thargelionis mensis die in lucem prodiisset. Cumque Plutarchus [6] asserat quod Bysio Delphorum mense oracula reddebantur, ac Delphenses ipsi ἑβδόμην ταύτην νομίζουσι τοῦ θεοῦ γενέθλιον *septimam illam* mensis diem *Deo* Apollini *natalem existimant*, optime, accurateque Scaliger [7] existimavit Bysium ipsum Thargelioni Attico respondisse. At Munychioni potius ipsum respondere putat Dodvellus [8] quod Bysius Plutarcho teste *initio veris* contingeret; neque Thargelionis solum, sed Munychionis etiam, aliorumque mensium *septima* Apollini sacra, ac natalis optime censeretur. Ceterum ritus illos, quibus ab Atheniensibus, ac praesertim Ephebis *septima* mensis

(1) Ad Pacem (2) Ad Marm. Oxon. Pag. 36. 37. (3) Vide supra in *Brauron*. (4) De Exilio. (5) Plut. Symp. Libr. VIII. quaest. 1. & Procl. in Timaeum. (6) Quaest. Graec. qu. 9. (7) Emend. Temp. (8) Differ. V. Sect. 2.

sis dies celebrari consueverat, ex Proclo [1], Gellio [2], alisque Scriptoribus ostendit Meursius.

XXXIX.

Ἑκαλήσια

Hecalesia

Haec ab Hecale Atticae Populo in Iovis honorem, quem Hecaleium appellari consuevisse testatur Stephanus [3], agebantur. Plutarchus [4] tamen Festa ipsa in Hecales memoriam a Theseo instituta dicit quod illa Theseum adversus Marathonium taurum proficiscentem benigne excepisset. Itaque mirari subit cur Meursius ipse, qui *in Theseo* [5] haec omnia uberrime, accurateque descripserat, in recensendis tamen Atheniensium Festis *Hecalesia* praeterierit; nisi fortasse, sed prorsus immerito, existimaverit haec a Theseo solum, non vero posteris etiam temporibus ab Atheniensibus celebrata fuisse. Certe Etymologus, Plutarchus, Petronius, & alii a Meursio laudati *Hecalesia* Festa non a Theseo solum, sed ab Atticae quoque Populis Hecale proximis agitari consuevisse testantur.

XL.

Ἑκατήσια

Hecatesia

Quamvis eiusmodi Festa Meursius praeterierit, ceteris tamen adiungi illa debent: cum a Stratonicensibus [7], atque Atheniensibus [6] etiam celebrari consueverint, ut ostendit Fasoldus. Quod ad Athenienses attinet, novilunio quolibet apud illos Hecati coena in trivio parabatur [8]; ac in triviis etiam ipsius statuae collocari solebant, ut ab Aristophanis Scholiaste erudimur.

XLI. Ἐλευ-

(1) Loco cit. (2) Libr. XV. c. 2. (3) In Ἑκάλη. (4) In Theseo. (5) Cap. 10. (6) Strab. XIV. (7) Aristoph. Schol. in Vespas. (8) Aristoph. Pluto Act. 2. Scen. 5. & Suidas.

XLI.

Ἐλευθέρια

Elautheria

Eleutheria Festa in *Eleutherii*, sive *Liberatoris* Iovis honorem a Plataeensibus agitata fuisse perspicuis Veterum testimoniis demonstravit Meursius. At ubi *quinquennalia* primum haec Aristidis decreto fuisse; moxque a Plataeensibus quotannis illa celebrari consuevisse putavit, *annua* Festa, quae a Plataeensibus solum peragi solebant, cum *quinquennalibus* Festis aliis confudit, quae a Graecis omnibus aqud Plataeas agebantur; perinde quasi Eleutheria annua pentaetericis Eleutheriis illis successerint. Pentaeterica tamen, simulque annua Festa celebrata fuisse ex testimoniis illis, quae Meursius hic protulit, ostendi posse putaverim. Siquidem Pausanias [1] nitide, diserteque testatur suis etiam temporibus Eleutheria Festa *quinquennalia* fuisse; ac Plutarchus [2] ipse, qui dixerat Eleutheria Festa, ex Aristidis decreto, singulis quinquenniis indicta fuisse, nuspiam ex quinquennalibus annua evasisse illa memorat. Vbi vero Festa alia rescribit, quae quotannis *sextadecima* Maemacterionis mensis die a Plataeensibus agitari consueverant, non Eleutheria ipsa, ut immerito existimavit Meursius, sed parentalia potius, ac inferias exposuit, quae Graecis in Plataeensi pugna pro libertate Graeciae defunctis solvebantur. Itaque *quinquennalia* Graecorum Eleutheria ab *annuis* Plataeensium Eleutheriis accuratissime distingui debent; cum praesertim ritus in Eleutheriis istis observati, atque a Plutarcho descripti, a ritibus illis dissideant, quibus communia, vel pentaeterica Graecorum Eleutheria peragi consuevisse testatur Pausanias. At neque ritibus solum, sed etiam tempore haec Festa distinguebantur. Siquidem Plataeensium Parentalia *sextadecima* Maemacterionis die agebantur; quinquennalia vero Eleutherii Iovis Festa *quarta* Boedromionis mensis die peragi consuevisse testatur Plutarchus; eadem illa nimirum, qua Graeci Plataica pugna victoriam adepti fuerant, & qua se Ludos, ac *Eleutheria* Festa celebraturos

(1) Boeotic. c. 2. (2) In Aristide.

turos promiſerant, ſi victoria potirentur; ut ex Diodoro obſervavi. Itaque, cum Plataica pugna in annum 2. Olymp. LXXV. inciderit, (1) haec Eleutheria *ſecundo* quolibet Olympiadum anno redire, vel celebrari debebant. Eleutheriis iſtis, quorum tempus a Meurſio, ceteriſque Feſtorum Scriptoribus diſſimulatum expoſui, Feſtum aliud ab Athenienſibus eidem *Eleutherio*, vel *Servatori* Iovi celebratum adiungendum eſſe putaverim; quamvis hoc a Meurſio, ceteriſque minime memoretur. Etenim Plutarchus (2) ipſe teſtatur quod Athenienſes, ut Demoſthenem ab exilio revocarent, ſimulque tamen mulctam illi inflictam exigerent, cum ſolerent ἐν τῇ θυσίᾳ τȣ̃ Διὸς τȣ̃ Σωτῆρος *in Sacris Iovis Servatoris* argentum iis pendere, qui aram inſtruerent, ac ornarent, Demoſtheni tunc Sacra illa 50. talentis peragenda commiſerunt. Itaque, cum Demoſthenes Hecatombaeone menſe anno 1. Olymp. CXIV. ab exilio redierit, antequam nempe Metagitnione menſe pugna ad Cranonem contingeret, Feſtorumque praeſides integro ante ſolemnem diem menſe eligi conſueverint, Servatoris Iovis Sacra, quae ſolemniter adeo diſponi debebant, facile ad quartam ipſam Boedromionis diem ſpectaverint, ac ipſa quoque, Plataeenſium inſtar, Eleutherio Iovi dicata cenſeri poterunt; cum unus idemque Iuppiter, Heſychio (3) teſte, *Eleutherius* ab aliis, ab aliis *Soter*, ſive *Servator*, diceretur: τȣ̃τον ἔνιοι καὶ Σωτῆρά φασι. Quemadmodum certe Plutarchus (4) ait Arimneſto Plataeenſium duci victoriam a *Servatore* Iove promiſſam fuiſſe. Ceterum, ſive *Soteria*, ſive *Eleutheria* potius haec Feſta vocari debeant, perſpicuum eſt certe reliquis Athenienſium Feſtis adiungenda illa fore; iiſdemque prope temporibus celebrari conſueviſſe, quibus Eleutheria alia apud Plataeenſes agebantur. Plutarchus, ut id obiter moneam, in alia Demoſthenis Vita teſtatur ſplendidam aram illam Servatori Iovi in Piraeeo adornatam eſſe, mulctamque Demoſteni irrogatam non 50. ſed 30. talentorum fuiſſe (5); unde facile ſuperior eiusdem Plutarchi locus aut corrigi, aut illuſtrari fortaſſe poterit.

XLII. Ἐμ-

(1) Diod. Lib. XI. c. 26. & ſeq. (2) In Demoſth. (3) In Ἐλευθέριος, & Σωτηρ. (4) In Ariſtide (5) Vita X. Rhet. in Demoſth.

XLII.

Ἐμπλόκια

Emplocia

Huius Festi nomen apud Hesychium unum occurrit: Ἐμπλόκια ἑορτὴ παρὰ Ἀθηναίοις, ὡς τὸ σὺν ταῖς θριξὶ πλεκόμενον γυναιξίν *Emplocia. Festum apud Athenienses: quasi aliquid crinibus implicitum feminis.*

XLIII.

Ἐπικλείδια

Epiclidia

Istud etiam uni Hesychio memoratum Ἐπικλείδια ἑορτὴ Δήμητρος Ἀθήνησι. *Epiclidia. Festum Cereris Athenis* celebratum.

Ἐπισκίρα

Episcira

Vide in Σκίρα *Scira*.

XLIV.

Ἕρμαια

Mercurialia

Ab Ephebis illis, qui in Gymnasio, sive palaestra exercebantur, eiusmodi Festa Mercurio sacra Athenis agi consueverunt, ut Aeschines contra Timarchum testatur. Quo vero tempore, quibusve ritibus id fieret, incognitum est.

XLV.

Ἐυμενίδεια

Eumenidia

Eumenidas, ſive σεμνὰς Θεὰς *graves, venerandaſque Deas* ab Athenienſies honoratas eſſe ex veteribus Atticae Scriptoribus plurimi teſtantur. Pompam vero, vel Sacra Eumenidibus ipſis inſtituta fuiſſe; eaque non a ſervis, ſed a liberis ſolum, qui probatae, inculpataeque vitae cenſerentur, peragi conſueviſſe perſpicuo ſolum Philonis teſtimonio demonſtravit Meurſius. Sed illuſtrius certe, longeque gravius teſtimonium ex ipſo Demoſthene proferri poſſe conſpicio: ubi ſe fuiſſe teſtatur ταῖς σεμναῖς Θεαῖς ἱεροποιὸν αἱρεθέντα ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων τρίτον ἀυτὸν, καὶ καταξάρμενον τῶν ἱερῶν (1) *venerandis Deabus ſacerdotem ex Athenienſibus omnibus electum cum duobus collegis, victimaſque ferientem*. Quem certe inſignem Demoſthenis locum temere ſollicitavit Mauſſacus (2), ſimulque maxima verborum iactantia Vlpiano, Budaeo, Sigonio, omnique fere Eruditorom catervae dicam, ac minas etiam intendit. Sed audaciam hanc modeſtiſſimus, doctiſſimuſque Palmerius (3) compreſſit, perſpicue oſtendens Eumenidibus non *decem*, ut temere volebat Mauſſacus, ſed *tres* ſolum Sacerdotes eligi conſueviſſe, qui ſolemnia ſacra illa peragerent.

XLVI.

Ἥραια

Iunonia

Maxima, ſolemnique pompa, ludis, certamine haec ab Argivis, Argivorumque colonis Aeginetis, aliiſque etiam Vrbibus celebrata fuiſſe optime, accurateque demonſtravit Meurſius. In recenſendis tamen Vrbibus illis, quae Iunonia Sacra celebrare conſueverant, Athenas omiſit, quamvis illa ab Athe-

(1) Orat. in Midi. pag. 401. (2) Not. ad Harpocr. pag. 360. (3) Exercit. Pag. 630.

thenienſibus etiam peragi conſueviſſe perſpicuo Plutarchi (1) teſtimonio oſtendatur, quod Meurſius ipſe in explicandis *Agrioniis* Feſtis exhibuit: καὶ οὔτε ἐν Ἥρας Ἀθήνησι, οὔτε Θήβησιν ἐν Ἀφροδίτης ἴδοι τὶς ἂν κιττὸν Ἀγριωνίοις δὲ καὶ Νυκτελίοις *ſed neque Athenis in Iunonis, neque Thebis in Veneris* Feſto *videre quis hederam, ſed in Agrioniis, & Nyctеliis*.

XLVII.

Ἡράκλεια

Herculana

A Diomeiis (2), ſimulque Melitenſibus (3) Atticae Populis Herculana ſacra celebrari conſueviſſe Meurſius, aliique Feſtorum Scriptores obſervarunt; idque quinto quoque anno peractum eſſe perſpicuo Pollucis (4) teſtimonio demonſtrarunt. Quo vero anni tempore celebrata illa fuerint, quove Olympiadum anno *pentaeterica* illa Feſta contigerint, ignorarunt. Sed eximius ille Demoſthenis locus, quem opportunius alibi expoſui (5), manifeſte nobis oſtendit quod Herculana ſacra circa Scirrhophorionis menſis finem agebantur. Etenim Orator aſſerit audita Phocenſium clade, civibuſque terrore perculſis τετράδι φθίνοντος Σκιῤῥοφοριῶνος *viceſima ſeptima Scirrhophorionis* menſis die ab Athenienſibus decretum eſſe τὰ Ἡράκλεια ἐν ἄςει θύειν *Herculana Sacra* non in agris, ſed *in Vrbe fieri*. Ergo, ſi Orator hic illa Feſta memoraverit, quae ſimpliciter *Herculana*, adeoque ceteris ſplendidiora, ac *pentaeterica* dicebantur, dubitari certe non poterit quin exeunte Scirrhophorione menſe celebrata illa fuerint; cumque Phocenſium clades, ut accurate iam demonſtravi, in annum 2. Olymp. CVIII. inciderit, Herculana Feſta annis *ſecundis* Olympiadum adſcribi debent. Sin vero Demoſthenes non *pentaeterica* quidem, ſed alia prorſus, atque *annua* ſolum, Herculis Feſta memoraſſe dicatur, ignotum plane ſupererit quo tempore, quove loci pentaeterica celebrari conſueverint. Perſpicuum tamen exinde fiet Herculana quaedam, quaecumque illa fuerint,

(1) Quaeſt. Roman. Num. 112. (2) Ariſtoph. Ran. Act. II. Sc. 6. (3) Heſych. (4) Lib. VIII. c. 9. num. 107. (5) Diſſert. III. Num. 15.

rint, in agris exeunte Scirrhophorione menſe peragi conſueviſſe. Quamvis autem Meurſius non alia Herculis Feſta agnoverit, quam quae a Melitenſibus, ac Diomeiis agebantur; adeoque *pentaeterica* Feſta Polluci memorata ad alterutrum ex Feſtis illis revocaverit; video tamen etiam Marathone, & longe quidem ſplendidiori pompa, maiorique cultu, Herculi ſacra celebrata fuiſſe. Siquidem Harpocration ſuperiorem illum Demoſthenis locum exponens ait: *πόλλων ὄντων τῶν κατὰ τὴν Ἀττικὴν Ἡρακλειῶν, νῦν ἂν ὁ Δημοσθένης μνημονεύοι ἤτοι τῶν ἐν Μαραθῶνι, ἢ τῶν ἐν Κυνοσάργει. ταῦτα γὰρ μάλιστα διὰ τιμῆς εἶχον Ἀθηναῖοι* [1], ſive potius, ut habet Suidas, qui integrum locum iſtum ex Harpocratione, ut videtur, exſcripſerat, *ἦγον Ἀθηναῖοι* *Cum multa fuerint Herculis Feſta* (non Templa, ut Portus interpretratur) *in Attica, Demoſthenes nunc illa memorat, quae Marathone, vel in Cynoſarge celebrabantur. Haec enim maxime in honorem ab Athenienſibus habebantur*. Itaque ex Harpocrationis hypotheſi Herculana Feſta Scirrhophorione menſe celebrata vel in Diomeia, vel Marathone agebantur: quamvis enim Harpocration ipſe Cynoſargem etiam adiecerit, perſpicuum eſt tamen Cynoſargem Diomeiae proximum, eodemque Diomeiae nomine appellatum fuiſſe [2]; ut proinde Feſta illa, quae ab Ariſtophane *Ἡράκλεια τὰν Διομείοις* [3] *Herculana in Diomiis* appellantur, non alia profecto eſſe poſſint, quam quae Harpocration in Cynoſarge peragi memoravit. Atque haec ipſa Cynoſargis celebritas argumento eſſe poterit *pentaeterica* Feſta in Cynoſarge potius, quam Melite, vel Marathone celebrari conſueviſſe; ſuperiorique loco Demoſthenem de Feſtis illis intelligendum, quae in Cynoſarge ipſo celeberrimo Athenienſium Gymnaſio agebantur.

XLVIII.

Ἡφαίστια

Vulcanalia

Illa quotannis in Ceramico, addito Lampadum Certamine, peragebantur, ut Harpocration [4], & Ariſtophanis Scho-

(1) In Ἡράκλεια. (2) Steph. in Cynoſarge. (3) Vide ſupra in *Diomiis*. (4) In Λάμπας.

Scholiastes (1) ostendit; quorum testimonia, simulque ritus omnes elegantissime Meursius exposuit.

IL.

Θαργήλια

Thargelia

Apollini Delio, simulque Dianae sacra solemni pompa, ac Certamine Athenis sexta, septimaque Thargelionis mensis die celebrabantur: quod Diana quidem *sexta*, Apollo vero *septima* eius mensis die in lucem prodiisset (2); quamvis vna eademque *septima* dies utrique natalis ab aliis diceretur (3).

L.

Θεοίνια

Theoenia

Vide in Ἀσχόλια *Ascholia*.

LI.

Θεοξένια

Theoxenia

Haec a Pellenensibus in Achaia Mercurio, & Apollini celebrata fuisse Meursius ipse iam viderat. Ab Atheniensibus autem, ac innumeris Vrbibus aliis in exterorum Deorum honorem peragi consuevisse adiecit Potterus. Hesychius tamen, quem Potterus hic vadem exhibet, quamvis de innumeris Vrbibus illis nihil loquatur, Athenas ipsas, licet obscurius, expressit. Ait enim: Θεοὶ ξενικοὶ παρὰ Ἀθηναίοις τιμῶνται.. *Dii peregrini apud Athenienses honorantur*; moxque, interiectis pluribus aliis, subdit Θεοξένια κοινὴ ἑορτὴ πᾶσι τοῖς Θεοῖς: ubi Fungerus optime addendum observat ξενικοῖς: *Theoxenia Festum commune Diis omnibus peregrinis*. Itaque ex utroque Hesychii loco satis

(1) Ad Ranas. (2) Laert. Libr. III. seg. 2. & II. seg. 44. (3) Apul. de Platon.

satis aperte colligitur Theoxenia Festa ab Atheniensibus in peregrinorum Deorum honorem instituta fuisse; quamvis doctissimus Casaubonus (1) vulgatam illam, ac mutilam Hesychii lectionem sequutus Theoxenia Festa ab Atheniensibus non ulli *privatim*, sed omnibus *communiter* Diis celebrata fuisse putaverit; quod de multis etiam Graeciae Civitatibus Castellanus asseruit. Illud hic tamen optime, accurateque ab ipso Casaubono observatum quod Theoxenia Festa Athenaeo memorata apud Delphos Apollini sacra peragebantur; idque facile *Theoxenio* mense contigisse putaverim, quem ceteris Delphensium mensibus accensendum esse ipse omnium primus Dissert. XIV. ostendam; simulque cum Atheniensibus committere enitar. Interim vero addidisse iuverit quod haec ipsa quoque Theoxenia Thebis agebantur, ut ex illustri Plutarchi (2) loco deprehendi, ubi clarissimus Scriptor ille testatur Pindari posteris eximiam sacrorum portionem in Theoxeniis illis concedi consuevisse. Illud hic etiam observari poterit, quod *Theoxenia* quaedam Agrigenti quoque celebrabantur, quae a Pindaro Olympiaca III. memorantur. Quandoquidem vero Scholiastes hic observavit quod Theroni Agrigentinorum tyranno Theoxenia celebranti victoria ab ipsius equis Olympiae parta nunciata fuit, Theoxenia illa circa *vicesimam* Hecatombaeonis Attici diem celebrata censeri facile poterunt; cum *sextadecima* eius mensis die de victoribus in Olympia decerneretur, ut in Differtationibus Agonisticis demonstravi. Theoxenia vero Pallene non aestate, sed hieme celebrari consuevisse ex Pindari Scholiaste observavi (3).

LII.

Θεσμοφόρια

Thesmophoria

In *legiferae* Cereris honorem instituta, solemnique ritu ab Atheniensibus feminis celebrata, ut uberrime, accurateque demonstravit Meursius. Ac Pyanepsione quidem mense illa peragi consuevisse perspicuis, certisque Veterum testimoniis

(1) Ad Athen. Lib. IX. c. 3. (2) De sera Numinis vind. (3) Ad Olymp. III.

niis erudimur; ut exinde quoque dierum numerum, quibus eadem celebrabantur, satis aperte collegerit Meursius. Etenim, cum Aristophanes dixerit (1) *tertiam* Thesmophoriorum diem ipsorum *mediam* fuisse, dubitari non poterit quin Thesmophoria *quinque* dies complecterentur: cumque Plutarchus (2) asserat Demosthenem *sextadecima* Pyanepsionis die defunctum esse, qua mulieres Thesmophoria agentes ieiunant, atque Athenaeus (3) testetur ieiunium illud in *mediam*, adeoque *tertiam*, Festorum diem incidisse, manifestissime inferri debet Thesmophoria Festa *decimaquarta* Pyanepsionis die incepisse. Eleusinam tamen, ubi Thesmophoria agebantur, mulieres *undecima* mensis die ascendebant, iisque ritibus ad peragenda sacra disponebantur, quae fuse Meursius exponit. Atque optime haec quidem Meursius; sed ubi mox feminis Thesmophoria celebrantibus sacerdotem aliquem *Stephanephori* nomine decoratum adstitisse scribit, qui a *Mystarum Synodo* eligeretur, perspicue fallitur. Quandoquidem vero Meursius, & Fasoldus ipse id ex veteri quodam Marmore deduci posse putavit, Marmor ipsum subiiciam; non modo ut Meursii coniectura refellatur, sed etiam ut Marmor illud, si fieri id quidem poterit, aliqua ratione illustretur. Ita Gruterus Pag. 309. Marmor ipsum exhibuit *e Schedis Velseri*

Venetiis apud Contarenos
in lapide togatam sustinente statuam

Η. Συνοδος. των Μυστων. της. μεγαλης
Θεας. θεσμοφορου. Δημητρος. Μητροδωρον
Ερμογενους. του Μητροδωρου. Ματρωον
συμμαρτυρας. τον. Στεφανηφορον

At Gruterus ipse Pag. 1097 num. 3. ex *Ioh. Corovii ad Puteanum Schedis* Inscriptionem hanc exhibet

E Graecia Venetias translatus lapis

Η. Συνοδος. των Μυστων. της. μεγαλης. Θεας προπολεως. θεσμοφορου Δημητρος. Μετροδωρον. Ερμογε

 νους.

(1) Thesmophor. ver. 86. (2) In Demosth. (3) Libr. VII. c. 16.

νους. του. Μητροδωρου. Ματρεαν. σημαρτυραν . . . . .
. . . . του Στεφανηφορον

Maxima varietas, qua postremae Marmoris voces in exemplis istis efferuntur, perspicue, ut opinor, ostendit alterutrum, vel utrumque potius, ita vitiatum esse, ut commodus exinde sensus exsculpi non possit. Atque in Gruteri quidem Opere Marmor ipsum ita latine redditur

Conventus Sacerdotum magnae
Deae legiferae Cereris Metrodorum
Hermogenis fil. *Metrodori* nep.
Matris Deum Sacerdotem
pronuncians coronam-gestantem

Proclive est etiam vel συμμαρτυρῦσα, vel συμμαρτύρησε, vel συμμαρτυρεῖ restituere (1); sed aliqua semper ambiguitas, atque perplexitas est futura; nec expediri facile poterit cur unus idemque Civis *Matris Deum* Sacerdos, ac Mystarum Cereris *Stephanophorus* dicatur. Certe, si Metrodorus ille & Atheniensis, & a Mystarum Synodo electus censeri debeat, illum non *Matris Deum*, sed *Cereris* potius Sacerdotem fuisse ego dixerim; cum Μητρός *Matris* nomine Ceres ipsa, Hesychio teste (2), vocaretur; eiusque Antistitae antiquitus quidem Μέλισσαι, deinde vero Μητρόπολοι dicerentur. At Marmor illud, si quid coniecturis hic assequor, neque ad Atheniensem Civem, neque ad Thesmophoria Eleusine celebrata referri fortasse poterit. Suspicionem hanc mihi iampridem iniecerat quod Metrodori quidem pater, atque avus, sed nullus Atticae *Populus* hic exprimatur, cum tamen in Atticis eiusmodi Marmoribus semper Atticae Populus memoretur. Ad haec *Stephanophori* nomen, ac dignitas alio prorsus sensu apud Atticos usurpari consueverat, ut ex Harpocratione, ceterisque Scriptoribus facile ostendi potest; cumque saepissime in Atticis Scriptoribus, ac Marmoribus etiam, quae Dissert. XI. opportune iam protuli, Hierophanta, aliique inferioris etiam ordinis Ministri memorentur, nullibi tamen *Stephanophori* mentio, vel nomen occurrit. Accedit etiam quod Thesmophoria ita a solis feminis agebantur

(1) Vid. Van-Dal. Diss. V. Pag. 370. & Pag. 159. (2) In Μετροπολ.

gebantur, ut iis viri interesse certe non possent; ut Meursius ipse observavit. Denique nullus Athenis *Mystarum Conventus* ex veteribus Monimentis illis ostendi poterit; cum *Mystarum* nomine ii omnes censerentur, qui Mysteriis initiati iam fuerant, nondumque *Epoptae* facti penitiora quoque, & arcana inspexerant. Itaque suspicor Marmor ipsum ad Graecam Vrbem aliam, ac Smyrnam fortasse, referendum esse, in qua *Stephanophori* nomen, ac dignitatem usurpatam esse ex Monimentis aliis erudimur[1]; atque Marmor ita explicandum esse putaverim, ut Mystarum Conventus Metrodorum illum non *Stephanophorum* eligat, aut *renunciet*, sed ipsum potius Stephanophori munere iam decoratum *togata statua honoret*. Legiferam vero Cererem Smyrnae, alibique celebratam esse clarius est certe, quam ut fusius ostendi nunc debeat; quemadmodum Thesmophoria non Athenis solum, sed Abderae quoque, sive Mileti *trium* dierum spatio celebrata fuisse Laertius[2] ostendit. Sic Thebis etiam Thesmophoria peragi consuevisse testatur Plutarchus[3], qui Cadmeiam Thebarum arcem a Lacedaemoniis occupatam fuisse scribit dum Thesmophoria agerentur; idque media aestate contigisse diligentissimus, & coaevus Scriptor Xenophon memoravit. Itaque praeclare fallitur Dodvellus, qui, quamvis ab illo Thebana Thesmophoria memorari dixerit, quae anno $\frac{2}{3}$ Olymp. IC. occupatae Cadmeiae tempore peragebantur, illa tamen non aestate, sed hieme celebrata fuisse contendit[4]: quod nimirum, inquit ille, Thesmophoria Athenis Pyanepsione, adeoque hiberno mense, agerentur. At innumeris exemplis aliis ostendi facile poterit quod eadem prorsus Festa apud varias Gentes variis prorsus, distinctisque anni temporibus celebrari consueverant; ut proinde ex Atheniensium Thesmophoriorum tempore Thebanorum mensis constitui, atque gravissimum Xenophontis testimonium refelli plane non possit.

LIII. Θη.

(1) Vide Differ. VIII. Num. 22 & Marm. Oxon. Pag. 33. & Van-Dal. Pag. 370.
(2) Lib. IX. seg. 43. (3) In Pelopida. (4) Annal. Xenoph.

LIII.

Θησεῖα

Theseia

Quamvis *octava* cuiuslibet mensis dies Theseo sacra apud Athenienses foret, atque in illa sacrificium ὀγδόδιον *ogdodium* vocatum offerri soleret, non facile tamen Pottero concesserim Theseia Festa *singulorum mensium die octavo* celebrari consuevisse. Id de conviviis quidem, ac Sacris etiam ab Hesychio, & Aristophanis Scholiaste memoratis intelligi poterit; Certamina tamen, ac illustriora Festa, quae a Gellio, & Aristophane recensentur, ad *octavum* potius mensis alicuius diem spectaverint. Ac certe Potterus ipse mox subdit *octavam* Hecatombaeonis mensis diem prae ceteris solemnius celebratam, quod ea die Theseus Athenas rediisset: idque optime ille quidem, atque accurate. Vbi vero *octavam* quoque Pyanepsionis diem eadem ipsa celebritate Theseo dicatam fuisse scribit, quod illa, Plutarcho teste, Creta Athenas incolumis Theseus revertisset, profecto fallitur. Etenim Plutarchus asserit non *octavo*, sed *septimo* Pyanepsionis die Theseum Creta reducem Athenas intrasse; simulque constat *septima* illa die non Theseia, sed *Oscophoria* ab ipso Theseo instituta celebrari consuevisse. Neque reponere, vel suspicari quis poterit Theseiis ipsis proximum, octavumque diem destinatum fuisse. Siquidem Plutarchus ipse testatur pridie Theseiorum *Connideia* Festa Athenis peragi solere: quod fieri certe non poterat nisi Connideia ipsa septima Pyanepsionis Attici die celebrarentur, adeoque cum Oscophoriis temere permiscerentur. Itaque Theseiis *octava* potius Hecatombaeonis dies adscribi poterit; qua Troezene Athenas Theseus rediit; simulque *sextadecima* eiusdem mensis dies, qua varios Atticae Populos in corpus unum coniunxit: cui quidem foederi, initaeque societati memorandae Theseia Festa instituta fuisse Aristophanis Scholiastes testatur. Quamvis tamen haec maximam veri speciem praeseferant, suspicor etiam eiusmodi Festa ea potius die quotannis peragi potuisse, qua Thesei ossa in Scy-

ro

ro reperta Athenas a Cimone honorifice sunt delata, Tragoedorumque certamen magnifice commissum fuit. Siquidem Theseo, ut Heroi, Apollinis oraculo honores tunc primum sunt instituti; nihilque versimilius effingi potest, quam celebrem hanc diem anniversaria solemnitate quotannis celebrari consuevisse. Itaque, cum primos honores illos, atque certamen Phaedonis Archontis anno, hoc est 4. Olymp. LXXVII. contigisse contra Meursium ostenderim [1], Theseiorum origo ad Olympiadem illam revocari facile poterit.

LIV.

Ἰλίεια

Iliea

Ceteris Atheniensium Festis haec etiam accensenda fore fusius, atque opportunius alibi admonui, ubi Numum *Iliadis Minervae* nomine insignitum exposui [2]; simulque eximium Hesychii locum a Castellano laudatum, atque a Meursio sollicitatum asserui.

LV.

Ἰοβάκχεια

Io-Bacchia

Haec a Demosthene memorata [3] ceteris Atheniensium Festis Baccho sacris adiungi debent; quamvis facile cum ipsorum aliquo confundi etiam possint.

LVI.

Καλλυντήρια

Callynteria

Solum eiusmodi Festorum nomen conservavit Etymologus asserens illa, Plynteriorum instar, ab Atheniensibus celebrata. Clarissimus vero Dodvellus ex inedito Photii Lexico

(1) Dissert. IX. Numer. 31. (2) Dissert. XII. Pag. 281. (3) Orat. adver. Neaeram.

co periochem quandam exhibuit, qua Festorum origo, simulque tempus ostenditur, quo peragi solerent. Ait enim Photius Καλλυντήρια, καὶ Πλυντήρια, ἑορτῶν ὀνόματα. Γίνονται μὲν αὗται Θαργηλιῶνος μηνὸς, ἐννάτη μὲν ἐπὶ δέκα Καλλυντήρια. δευτέρα δὲ φθίνοντος τὰ Πλυντήρια. Τὰ μὲν Πλυντήρια φησί. Διὰ τὸν θάνατον τῆς Ἀγραύλου ἐντὸς ἐνιαυτοῦ μὴ πλυνθῆναι ἐσθῆτας, εἶθ' οὕτω πλυνθείσας, τὴν ονομασίαν λαβεῖν ταύτην. Τὰ Καλλυντήρια, ὅτι πρώτη δοκεῖ ἡ Ἄγραυλος γενομένη ἱέρεια τοὺς Θεοὺς κοσμῆσαι, δι' ὃ καὶ Καλλυντήρια αὐτῇ ἀπέδειξαν. Καὶ γὰρ τὸ κοσμεῖν, καὶ λαμπρύνειν ἐστίν. *Callynteria, & Plynteria Festorum nomina. Celebrantur autem illa Thargelione mense, undevicesima quidem die Callynteria, vicesima vero & nona Plynteria. Plynteria vero vocantur quod, ob Agrauli mortem, vestes anni vertentis tempore non abluuntur; ipsis vero deinde ablutis hoc Festo nomen imponi. At Callynteria, quod Agraulos, cum sacerdotio fungeretur, omnium prima Deos ornasse videtur, ideoque ipsi Callynteria tribuerunt:* eiusmodi nempe nomen *ornare, splendidumque reddere significat.* Itaque Callynteria in Aglauri honorem instituta videntur, quamvis ab Aglauriis distingui debeant: quemadmodum certe Plynteria ab Aglauriis ipsis, & Callynteriis distinguuntur.

LVII.

Κεραμέικια

Ceramicia

Athenienses omnes, qui in bello occubuerant, in exteriori Ceramico, sive Academia tumulari consuevisse fusius, ac opportunius alibi exposui (1). Ipsis vero Ἐπιτάφιος Ἀγὼν *Funebre Certamen* quotannis institui, atque a Polemarcho curari consuevisse perspicuo Pollucis (2), & Philostrati (3) testimonio erudimur. Eiusmodi vero Certamen, aut funebre Festum a Castellano quidem, Meursioque prorsus omittitur, sed a Pottero tamen ceteris Atheniensium Festis iure, meritoque accensetur: cumque ille Festum hoc Κεραμεικια appellave-

(1) Differt. IV. Num. 4. (2) Libr. VIII. c. 9. seg. 91. (3) Vitae Sophist. Libr. II. Num 30.

laverit, hoc ipſo nomine deſignandum eſſe putavi: quamvis in Ceramico plures Agones alii celebrari conſueverint (1); ideoque potius Ἐπιτάφιος Ἀγών *Funebre Certamen*, quam Κεραμεικία *Ceramicia* vocari potuiſſe videatur.

LVIII.

Κοννίδεια

Connideia

Connides Theſei tutor mactato in ipſius honorem ariete colebatur; idque pridie Theſeiorum fieri conſueviſſe ex Plutarcho iam vidimus.

LIX.

Κοτύττια

Cotyttia

Nefarium, ac turpiſſimum hoc Feſti genus Athenienſes a Thracibus acceperunt, ut Strabo teſtatur (2). Plura de illo, eiuſque ritibus, ac Numine Caſtellanus. Meurſius tamen illud praeteriit.

LX.

Κρόνια

Saturnalia

Hecatombaeone menſe, qui ideo Plutarcho teſte olim *Cronius*, ſive *Saturnius*, dicebatur, haec Feſta Athenis peragi conſueviſſe optime Potterus coniecerat, cum plerumque Feſtorum, ſimulque menſium nomina conſpirent. Certius id tamen, longeque illuſtrius oſtendi poſſe obſervavi ex Demoſthenis teſtimonio, quo vera quoque Feſtorum dies hactenus incognita demonſtratur; illa nimirum *duodecima* Hecatombaeonis die celebrari conſueviſſe, qua, Κρονίων ὄντων *dum Saturnalia Feſta forent*, legem a Timocrate latam eſſe Demoſthenes ipſe conqueritur (3).

(1) Vide Num. 15. (2) Lib. X. pag. 470. 471. (3) Orat. adv. Timocr. Pag. 465.

LXI.

Κυβερνήσια

Gubernatoria

A Theſeo in Nauſithei , ac Phaeacis honorem inſtituta, quibus Theſeus ipſe, veluti navis gubernatoribus , ſive nauclеris , in Cretam tranſiturus uſus eſt : quemadmodum monumenta quoque ad Scironis Fanum ipſis exſtruxit. Qua vero die eiuſmodi Feſta celebrari conſueverint, definiri non poteſt . Id unum ex Plutarcho obſervaſſe iuverit ,quod Theſeus *ſexta* quidem Munychionis merſis die navem conſcendit, *ſeptimaque* Pyanepſionis redux Athenarum Vrbem eſt ingreſſus, ut optime accurateque Meurſius *in Theſeo* ex Plutarcho, ceteriſque Scriptoribus obſervavit [1]; quamvis *Cyberneſia* Feſta in recenſendis Athenienſium Feſtis aliis omiſerit.

LXII.

Λαμπάδος Ἀγών

Lampadis Certamen

ſive

Λαμπαδηδρομίαι

Lampadis Curſus

Eiuſmodi Certamen ſacro conſtantique ritu in Panathenaeis, Hephaeſtiis, ac Prometheis Feſtis agebatur , ut in ſingulis Feſtis illis expoſui : quemadmodum in Bendidiis quoque lampade certatum eſſe contra Meurſium oſtendi.

LXIII.

Λήναια

Lenaea

De Feſtis iſtis Baccho conſecratis in *Dionyſiis* opportunius diſſerui.

LXIV. Μαι-

(1) Cap. 12. & 16.

LXIV.

Μαιμακτήρια

Maemacteria

Haec Iovi *Maemactae*, *turbido* nimirum, ac *procelloso*, sacra fuerant, ac Maemacterione mense, qui inde nomen accepit, agebantur; ut perspicuo Harpocrationis testimonio demonstravi ubi de Maemacterionis ipsius situ in civilium mensium ordine disputavi Dissert. XIV.

LXV.

Μεταγείτνια

Metagitnia

Apollini Μεταγειτνίῳ *Metagitnio* sacra fuerant, & Metagitnione mense, qui inde nomen accepit, a Melitensibus Atticae Populo colebantur, qui ex Melite in Diomeia migrarunt, ut Plutarchus testatur [1].

LXVI.

Μετοίκια

Metoecia

Theseus, cum duodecim Atticae Vrbes in unam Athenarum Vrbem transtulisset, hoc est ex omnibus Atticae Populis veluti Populum unum conflasset, ut opportunius alibi ostendi [2], in foederis, ac societatis huius memoriam Festa illa instituisse dicitur, quae Μετοίκια, hoc est *Migratoria*, a Plutarcho [3]; a Stephano [4] Συνοίκια; a Thucydide [5] vero Ξυνοίκια *Contubernalia* vocantur. Eiusmodi vero Festa *sextadecima* Hecatombaeonis Attici die celebrari consuevisse Plutarchus ipse testatur; quamvis Thucydidis Scholiastes illa Metagitnioni mensi tribuere videatur: quod nimirum ipsa, ut opinor, cum

(1) De Exilio. (2) Differtat. V. Numer. 2. (3) In Theseo. (4) In Ἀθῆναι
(5) Libr. II. c. 15.

Metagitniis ita confuderit, ut migrationem illam, qua Melitensis Populus in Diomeia concessit, cum altera confuderit, qua universi Atticae Populi in unam Athenarum Civitatem constituendam inito foedere conspirarunt.

LXVII.

Μουνύχια

Munychia

Sextadecima Munychionis mensis die quotannis ab Atheniensibus in Dianae *Munychiae*, sive Lunae honorem solemni ritu peragebantur, quod illa Atheniensibus, ceterisque Graecis Salamine pugnantibus pleno orbe fulserit, ut ex Plutarcho (1) alibi quoque observavi (2). Quandoquidem vero placentae quaedam, quae *Amphiphontes* dicebantur, in eiusmodi Festo in Munychiae Dianae templum deferri, infixisque illi facibus illustrari consuevisse testatur Pollux (3), & Suidas (4); Pausanias (5) autem, & Stephanus Munychiae Dianae templum in ipso Munychiae portu extitisse scribit; facile haec Festa non Athenis ipsis, sed in Munychia praesertim peracta fuisse putaverim. Illud vero facile non concesserim, quod Meursius, & Pinedus hic asserit, Munychionem mensem a Festis illis nomen obtinuisse; cum potius & mensis ipse, & Festa, & Diana a Munychiae loco nomen accepisse merito videantur; mensisque nomen longe Salaminia pugna, adeoque Munychiis Festis antiquius censeri debeat. Munychiis istis Festum aliud ceteris Scriptoribus indictum accenseri facile poterit *sexta* Munychionis die celebratum, ᾗ καὶ νῦν ἔτι τὰς κόρας πέμπουσιν ἱλασομένας εἰς Δελφίνιον (6) *qua die* Athenienses *etiam nunc puellas mittunt supplicatum in Delphinium*; nisi potius Festum hoc ad *Delphinia* revocari debeat, de quibus superiori loco disserui.

LXVIII. Μέσσε-

(1) De Gloria Athen. (2) Differ. II. Numer. 13. (3) Libr. VI. c. 11. segm. 75.
(4) In Ἀνάστατοι. (5) Attic. c. 1. (6) Plutar. in Theseo.

LXVIII.

Μύσεια

Musia

Haec a Macedonibus, Thespiensibus, aliisque Populis celebrari consuevisse Meursius demonstravit. Sed Athenis etiam in Scholis, incerto tamen ritu, & tempore, peracta fuisse ex eodem illo Aeschinis testimonio perspicue apparet, quod Meursius exscripsit; ubi Orator ille leges quasdam editas esse testatur περὶ Μυσείων ἐν διδασκαλείοις, καὶ περὶ Ἑρμαίων ἐν ταῖς παλαίστραις (1) *de Festo Musarum in Scholis, & de Festo Mercurii in palaestris.*

LXIX.

Νεμέσεια

Nemesia

Festum hoc Nemesi dicatum esse observavit Meursius, unicumque Moschopuli locum istum exhibuit: Νεμέσεια. ἑορτὴ Νεμέσεως, καθ' ἣν τοῖς κατοιχομένοις ἐπετέλουν τὰ νομιζόμενα. *Nemesia. Festum Nemeseos, quando mortuis iusta persolvebant*. Sed certius id tamen, longeque illustrius ex Demosthene, Harpocratione, & Suida deduci poterat; simulque perspicue ostendi Festum illud a Moschopulo, ceterisque Scriptoribus memoratum Athenis peragi consuevisse. Cum enim Demosthenes dixisset (2) Polieucti filiam minam argenti εἰς τὰ Νεμέσια *ad Nemesia* contulisse, Harpocration observavit μή ποτε ἑορτή τις ἦν Νεμέσεως, καθ' ἣν τοῖς κατοιχομένοις ἐπετέλουν τὰ νομιζόμενα *fortasse Festum aliquod Nemeseos* hoc fuit, *quo defunctis iusta solvebant*. Harpocrationem totidem omnino verbis Suidas exscripsit; nisi quod iste repente subdit: Νεμεσία οὖν ἡ ἐπὶ τοῖς νεκροῖς γινομένη πανήγυρις, ἐπεὶ ἡ Νέμεσις ἐπὶ τῶν νεκρῶν τέτακται *Nemesia igitur* dicitur *conventus in defunctorum honorem celebratus, quia Nemesis mortuis tribuitur*. Ita-

(1) Orat. adv. Timar. (2) Orat. adv. Spudiam.

Itaque dubitari non poteſt quin Nemeſia iſta Athenis celebrata fuerint, ſed ambiguum eſt tamen an publice, ſtatoque tempore, aliorum inſtar, haec agerentur; an vero potius privata, incertique temporis haberi illa debeant.

LXX.

Νίκη ἐν Μαραθῶνι

Victoria Marathonia

Sexta Boedromionis Attici die, qua celeberrima Marathone pugna, atque Athenienſium victoria contigerat, ſolemne Feſtum Athenis in victoriae ipſius memoriam quotannis inſtaurari conſueviſſe teſtatur Plutarchus (1), cuius teſtimonia opportunius alibi expoſui (2). Quingentos autem haedos *Agroterae* Dianae tunc ex Callimachi Polemarchi voto immolari Plutarchus ipſe poſt Herodotum (3), & Xenophontem (4) memorat, ſolemnemque pompam illam ad Agram, ubi Dianae templum erat, deduci.

LXXI.

Νίκη ἐν Νάξῳ. κ. τ. λ.

Victoria in Naxo etc.

Plutarchus in Libro, qui *de Gloria Athenienſium* inſcribi ſolet, ut oſtenderet illos bello, quam pace, clariores fuiſſe, obſervat non Poetarum victorias in theatro partas, ſed bellicas ſolum a ducibus, ac militibus variis in locis reportatas veteri conſtantique ritu celebrari conſueviſſe: ταῦτα ἡ πόλις εορτάζει, κὶ ὑπὲρ τȣ́των θύει τοῖς Θεοῖς, ȣ̓κ ἐπὶ ταῖς Αἰσχύλȣ νίκαις, ἢ Σοφοκλέȣς . . ἕκτῃ μὲν ἱςαμένȣ Βοηδρομιῶνος ἐσέτι νῦν τὴν ἐν Μαραθῶνι νίκην ἡ πόλις ἑορτάζει. ἕκτῃ δὲ μηνὸς οἰνοχοεῖται τῆς Χαβρίȣ περὶ Νάξον ἐπινίκια ναυμαχίας. τῇ δὲ δωδεκάτῃ χαριςήρια ἔθυον ἐλευθερίας, ἐν ἐκείνῃ γὰρ οἱ ἀπὸ Φυλῆς κατῆλθον. τρί-

τῃ

(1) De Gloria Athen. & de Herod. malignit. (2) Differt. II. Numer. 13. (3) Lib. VI. (4) Exped. Cyri Lib. III.

τῇ δ' ἱςαμένυ μὲν ἐν Πλαταιαῖς μάχην ἐνίκων. τὴν δὲ ἕκτην ἐπὶ δέκα τῦ Μυνυχιῶνος Α'ρτέμιδι καθιέρωσαν, ἐν ᾗ τοῖς Ε'λλησι περὶ Σαλαμῖνα νικῶσιν ἐπέλαμψεν ἡ Θεὸς πανσέληνος. τὴν δὲ δωδεκάτην τῦ Σκιῤῥοφοριῶνος ἱερωτέραν ἐποίησεν ὁ Μαντινιακὸς ἀγών: *ob haec populus festos agitat dies, ac Diis sacrificat; non ob Aeschyli, aut Sophoclis victorias .... sextam Boedromionis diem hodieque Athenae festam celebrant memoria Marathoniae pugnae. Sexta ultra decimam eiusdem mensis vinum funditur ob victoriam navalem Chabriae apud Naxum ea die partam. Duodecima gratiarum ob receptam libertatem agendarum caussa sacrificabant: tunc enim a Phyle in Vrbem redierunt. Tertia autem eiusdem mensis die apud Plataeas proelio vicerunt. Decimam sextam Munychioni Dianae consecraverunt. Tunc enim Luna vincentibus apud Salaminam Graecis pleno orbe apparuit. Duodecimam Scirrhophorionis sacram fecit pugna ad Mantineam.* Quemadmodum ergo *sexta* Boedromionis Attici dies, qua Marathonia pugna, sive victoria contigerat, a Meursio inter sacros festosque Atheniensium dies recensetur, ita quoque eodem ipso iure, & perspicuo Plutarchi testimonio recensendam esse putaverim ἕκτην ἐπὶ δέκα, sive ἕκτην μεσῦντος *sextamdecimam*, (ita nimirum vitiatus ille Plutarchi locus ex Plutarcho ipso (1) restitui, suppierique debet) qua Naxia; *duodecimam*, qua reditus ex Phyle; *tertiam*, qua Plataica pugna contigit: quemadmodum *sextamdecimam* Munychionis ob Salaminiam; *duodecimam* Scirrhophorionis ob Mantiniacam victoriam celebratam esse conspicimus. Accenseri denique poterit *quinta* Hecatombaeonis, qua prius ad Gaereston, mox ad Leuctra Athenienses victoriam reportarunt; & *vicesimaquinta* Boedromionis, qua Arbelis feliciter dimicarunt (2).

LXXII.

Νικητήρια Α'θηνᾶς

Victoria Palladis

Neptunum cum Pallade certasse ferunt quis Athenarum Vrbi nomen imponeret; cumque Neptunus equum, velut

(1) In Camillo. (2) Vide Plutar. loc. cit. & Petav. Doctr. Temp. Libr. I. c. 8.

ut a plerisque, sive, ut ab aliis asseritur, circumflui maris aestum, oleam vero Pallas, quasi recentis, novaeque Vrbis ornamentum, & pignus, produxisset; Pallas ipsa, Deorum iudicio, Neptunum hoc invento superasse visa fuit, Vrbemque sibi eo pignore vindicavit, ut illa proinde Ἀθῆναι ex ipso Palladis nomine vocaretur. Eius victoriae memoriam celebri solemnique festo ab Atheniensibus instaurari, colique consuevisse testatur Proclus (1). Non facile vero dixerim an ad victoriam illam spectaverint illustre Palladis nomen, quo Νίκη-Ἀθηνᾶ *Victoria-Pallas*, sive *Victrix Pallas* vocabatur, & simulacrum, quod in ipsa Athenarum arce dicatum erat, ut alibi memoravi (2). Ita quoque incertum plane, & obscurum existimo an haec ipsa Palladis victoria in Numis illis expressa fuerit, quibus inscriptum legitur ΑΘΗΝΑ ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ: ut Differt. XII. ad Numum 53. demonstravi.

LXXIII.

Νεμηνία

Neomenia, sive *Novilunium*

Quum Athenienses, aliorum Graecorum instar, civiles annos ad Lunae cursum dirigerent, ideoque lunaribus omnino mensibus uterentur, ut prima proinde mensis dies in neomeniam, sive novilunium, incideret, primam illam cuiuslibet mensis diem velut Apollini, sive, ut ab aliis asseritur, Diis omnibus sacram celebrare consueverant; ut in illa Certamen aliquod edi, vota pro publica, privataque Civium salute nuncupari, sacra denique, quae ἐπιμηνία *menstrua* vocabantur, offerri solerent; quorum rituum singulos fuse, accurateque Meursius exposuit.

LXXIV.

Ὀλύμπια

Olympia

Non in Elide solum, aliisque pluribus Orientis Vrbibus, sed Athenis etiam ipsis Ludos Olympicos celebratos esse in *Ago-*

(1) In Timeum Comment. I. (2) Differ. XII. Num. 4. & 16.

Agonisticis Dissertationibus contra Dodvellum ostendi (1). Ac de Atheniensibus quidem Olympiis istis optime, accurateque Meursius, qui Olympicos Ludos alios Smyrnae, Nicaeae, Alexandriae, atque in Macedonia celebratos describens, Elidenses sibi nominandos solum esse putavit; quod illi abunde a Scriptoribus aliis expositi, ac illustrati iam forent. At ubi subdit quod in Olympiis illis, *quae Elide erant*, *praemium victori dabant coronam ex apio, ut notissimum*, profecto fallitur. Siquidem coronam Olympionicis illis concessam non ex *apio*, sed ex *oliva*, contextam fuisse perspicuis, atque innumeris fere Scriptorum testimoniis erudimur. Olympiades autem illas, quae Athenis celebrari consueverant, duplices fuisse ipse omnium primus observavi; ut aliae quidem antiquioribus etiam temporibus, Pindarique aetate floruerint; aliae vero Hadriani Caesaris aetate institutae, atque Elidensium instar numeratae fuerint, ut in Agonistica Diss I. Num. 14. perspicuis monimentis, & characteribus demonstravi.

LXXV.

Ὀσχοφόρια

Oschophoria

De Festis istis, ipsorumque ritibus, ac institutione fuse, accurateque Meursius. Quandoquidem vero pluribus Veterum testimoniis ostenderat quod in Oschophoriis ephebi nobiles e singulis Tribubus electi palmitem uvis onustum ferentes ex Bacchi Templo ad Sciradis Minervae Fanum cursu contendebant, & ephebus ille, qui vicerat, ex πενταπλόᾳ *quintuplice* phiala potionem vino, melle, caseo, farina, oleoque compositam bibebat, atque in Sciris etiam Festis pompam ad Sciradis Minervae Templum duci consuevisse iam dixerat, *Oschophoria* ipsa cum *Sciris* Meursius confudit; unde expositis Scirorum tempore, variisque ritibus repente subdit: *tum quoque cursu ephebi certabant vitis ramum gestantes uvis onustum, quem* ὄσχην *nuncupabant; unde &* Ὀσχοφόρια *id certamen. Currebant autem a Bacchi templo usque ad Minervae Sciradis &c.*

(1) Differt. I. Nume. 13.

&c. (1). Oſchophoria tamen a Sciris & loco, & tempore diſtinguenda fore teſtimoniis illis oſtendi facile poteſt, quae Meurſius ipſe congeſſerat. Siquidem in Sciris umbella alba ex arce in Sciron, quod in via *ſacra* inter Athenas ac Eleuſinem ſitum erat, a Minervae, Neptuni, & Solis ſacerdotibus Eteobutadis ferebatur; eoque ritu Minervae Sciradi ibi cultae, ſive iuxta alios Cereri, & Proſerpinae dedicato tempus illud aedificando idoneum eſſe innuebatur. At in Oſchophoriis pompa, vel curſus ipſe a Templo Bacchi ad illud Minervae Sciradis templum ducebatur, non quod in Sciro, ſed in Phalero collocatum erat, & viginti ferme ſtadiis ab Vrbe diſtabat, ut nitide, diſerteque Meurſius ipſe teſtatur. Ad haec Scira Feſta *duodecima* Scirrhophorionis Attici die celebrabantur, ut ex Ariſtophanis Scholiaſte docet Meurſius. At Oſchophoria Feſta non ad Scirrophorionem ipſum, aut ver, ſed ad Pyanepſionem potius, ſive autumnum, ſpectabant. Etenim Athenaeus ex Ariſtodemo docet *τοῖς Σκεἰῤῥοις Ἀθήναζε ἀγῶνα ἐπιτελεῖσθαι τῶν ἐφήβων δρόμȣ. τρέχειν δ' αὐτȣ̀ς ἔχοντας ἀμπέλȣ κλάδον κατάκαρπον τὸν καλȣ́μενον ὄσχον* (2) *in Sciris prope Athenas Certamen fieri Epheborum; illos autem currere vitis ramum uvis onuſtum geſtantes, quem Palmitem appellant*: quemadmodum Proclus ait *κλῆμα ἀμπέλȣ κομίζοντες μεςὸν εὐθαλῶν βοτρύων* (3) *vitis palmitem ferentes plenum florentibus uvis*. Itaque, ſi in Oſchophoriis *vitis ramus uvis onuſtus*, & *vitis palmes florentibus uvis plenus* ferebatur, idque Scirrhophorioni menſi convenire certe non poteſt, perſpicuum fiet Oſchophoria non Scirrhophorione, Sciororum inſtar, ſed autumno peragi conſueviſſe. Denique, ne coniecturas alias hic perſequar, certius ac illuſtrius adhuc ex Plutarcho deprehendiſſe videor Oſchophoria ineunte Pyanepſione menſe celebrata fuiſſe. Etenim ille, cum dixiſſet Oſchophoria a Theſeo primum inſtituta ab Athenienſibus ſolemni ritu celebrari, ut ipſorum originem, cauſamque exponeret, ait Theſeum in Cretam tranſmiſſurum duos ſecum pueros muliebri veſte indutos duxiſſe; tum ſubdit: *ἐπεὶ δὲ ἐπανῆλθεν, αὐτόντε πομπεῦσαι, ϗ τȣ̀ς νεανίσκȣς, ȣ̆τως ἀμπεχομένȣς ὡς νῦν ἀμπέχονται τȣ̀ς ὀσχȣ̀ς φέροντες. Φέρȣσι δὲ Διονύσῳ ϗ Ἀριάδνῃ χαριζόμενοι, διὰ τὸν μῦθον, ἢ μᾶλλον*

ὅτι

(1) Popul. Atticae in Σκίρον & Graecia Feria. in Σκίρα. (2) Libr. XI. cap. 13. (3) In Chreſtomath.

ὅτι συγκομιζομένης ὀπώρας ἐπανῆλθον (1) *postquam rediit, ipse, ac iuvenes illi pompam duxerunt eo habitu, quo nunc utuntur qui ramos Oschophoriis gestant. Eos autem gestant in honorem Bacchi, & Ariadnae fabulam sequuti; aut potius quod iam fructibus autumno comportatis redierant*: tum varios etiam ritus alios exponit, quos in Oschophoriis constanter servatos esse Meursius ex aliis etiam Scriptoribus observavit. Ergo, si Oschophoria a Theseo instituta quotannis instaurabantur, iisdemque omnino ritibus agebantur, qui a Theseo constituti, vel usurpati fuerant, dubitari certe vix poterit quin eodem ipso tempore peracta illa fuerint, quo a Theseo primum celebrata fuere; ideoque, cum Theseus Plutarcho ipso teste, *sexta* Munychionis mensis die cum pueris illis Athenis discesserit, & *septima* Pyanepsionis, sepulto patre, in Vrbem redierit, Oschophoriorum celebritas paulo ante Pyanepsia, adeoque ineunte Pyanepsione mense contigisse debuit; ut illa proinde, contra Meursii, & Fasoldi quoque sententiam, a Sciris tum loco, tum ritibus, tum etiam tempore distinguantur. Video quidem ab Aristodemo apud Athenaeum ita Oschophoriorum ritum describi perinde quasi ille τοῖς Σκείῤῥοις *in Sciris* agerentur. Sed fieri fortasse potest ut Scriptor ille Sciradis Minervae templum in Sciro positum cum altero eiusdem Sciradis Minervae fano, quod in Phalero fuerat, ideoque *Oschophoria* cum *Sciris*, confuderit. Fieri etiam potest ut in vitiato ipsius textu pro τοῖς Σκείῤῥοις rescribi debeat τοῖς τῆς Σκιράδος. Fieri postremo potest ut Oschophoria quoque alio fortasse nomine Σκίρα *Scira* vocarentur: quod ipsorum pompa in Phalericum *Sciradis* Minervae templum dirigeretur, quod *Sciro* auctore conditum fuerat, Scironisque fano, Plutarcho teste, proximum erat, & honores etiam Scironi exhibitos complecteretur. Ceterum, quocumque demum ex fonte error ille, sive opinio profluxerit, gravior est certe, longeque clarior Plutarchi auctoritas, atque narratio, quam ut ambiguis Aristodemi verbis refelli, vel in dubium revocari posse videatur.

(1) In Theseo.

LXXVI.

Παιώνια

Paeonia

Ceteris Graecorum Festis a Meursio recensitis hoc etiam Gronovius inseruit, quod illud in Apollinis honorem Athenis celebratum ex Aristophanis Scholiaste deprehendisset. Cum enim Lamachus exclamasset

Ἰώ, Ἰώ. παιὰν, παιάν
Heu heu. Paean Paean!

Dicaeopolis repente subdit

Ἀλλ' ὀχὶ νυνὶ τήμερον Παιώνια (1)
At hodie nunc haud celebrantur Paeonia;

ubi Scholiastes adnotavit ἔστι δὲ ἑορτὴ Ἀθήνησιν Ἀπόλλωνι ἴσως ἀνακειμένη *est autem festum Apollini fortasse consecratum*. Non facile tamen dixerim quantum eiusmodi Scholiastae coniecturae tribui debeat. Etenim, quamvis *Paean* Apollini plerumque adscribi consueverit, Pausanias tamen τῆς Παιωνίας Ἀθηνᾶς *Paeoniae Minervae* statuam, atque aram Athenis fuisse dicit (2), quae a Plutarcho quoque in Lycurgi Rhetoris Vita memorantur. Ita quoque Hesychius Bacchum Παιώνιον *Paeonium* vocatum fuisse scribit (3): ac Suidas asserit quod Παιὼν ἔστι ὕμνος χαριστήριος *Paeon est hymnus, qui gratiarum Diis agendarum caussa canitur*. Denique *Paeon* Deorum medicus erat: ut is proinde facile, Toxaridis instar, ab ipsis Atheniensibus honorari, Festoque die coli potuerit. Itaque non Apollini potius, quam Minervae, vel Paeoni Festum istud ab Atheniensibus dicatum censeri facile poterit.

LXXVII. Πανα-

(1) Acharn. Act. V. Sce. 2. ver. 1211. (2) Attic. c. 2. & 34. Vid. Meurs. Athen. Attic. Libr. II. c. 3. (3) In Παιώνιος.

LXXVII.

Παναθήναια

Panathenaea

De celeberrimis iſtis Athenienſium Feſtis, plurimiſque ipſorum ritibus integro ſingulari Libro Meurſius uberrime, & accuratiſſime diſſeruit. Itaque ſuprema ſolum capita breviſſime complectar, quae ad rem chronologicam ſpectare poterunt; quandoquidem in iis definiendis Meurſius, ac Dodvellus ipſe minus accurate feliciterque aliquando diſputarunt. Atque illud in primis obſervaſſe nunc iuverit, quod Panathenaea Feſta duplicia fuerant; ut alia quidem *parva*, alia *magna*; ſive, ut Scriptores aliqui appellant, alia *minora*, alia vero *maiora* dicerentur: quamvis utraque eodem fere ritu, ac pompa agitari, atque Minervae Athenienſis Vrbis Praeſidi celebrari conſueverint. Ac *minora* quidem, ut inde exordiar, ſingulis annis redire, vel inſtaurari ſolebant, ut innumeris certiſque Veterum teſtimoniis erudimur. Id vero *viceſima* Thargelionis Attici die contigiſſe Meurſius exiſtimavit (1), quod Proclus nitide diſerteque teſtetur Bendidia, ac Panathenaea περὶ τὸν αὐτὸν χρόνον *circa idem tempus* celebrari, atque ex Ariſtotele Rhodio dixerit Bendidia *viceſimo* Thargelionis die inſtaurari, ἕπεσθαι δὲ τὰς περὶ τὴν Ἀθηνᾶν ἑορτὰς *ſequi vero, quae ad Minervam ſpectant, Feſta*. Itaque, concludit Meurſius, cum Bendidia *viceſima*, ſive potius, ut a pluribus Scriptoribus aliis aſſeritur, *undeviceſima* Thargelionis die agerentur, Panathenaea *minora* ſequenti, adeoque *viceſimae*, eiusdem menſis diei adſcribi debent. At inſignem hunc Procli, Meurſiique errorem perſpicue, accurateque confutavit Petitus (2); ſimulque oſtendit Platonis verba λαμπὰς ἔςαι πρὸς ἑσπέραν ἀφ᾽ ἵππων τῇ Θεῷ (3) *lampas erit ad veſperam ex equis Deae*, non de Pallade, lampadiſque certamine, quod in Panathenaeis agebatur, cum Proclo, & Meurſio, ſed de Diana, Bendidiiſque Feſtis, de quorum origine, variiſque ritibus Plato proxime loquutus erat, intelligenda fore; ideoque Panathenaea prorſus immerito Bendidiis ipſis adiungi.

Il-

(1) Panathen. c. 6. (2) Ad Leges Attic. (3) De Republ. Lib. I.

Illud etiam accuratiſſime Petitus ipſe obſervavit, quod anno 4. Olymp. CVI. *duodecima* Hecatombaeonis Attici die, qua Timocrates legem a Demoſthene impugnatam edidit, Panathenaea Feſta nondum peracta fuerant; cum Timocrates legem *τὴν διοίκησιν, καὶ τὸ τῆς ἑορτῆς προσησάμενος κατεπεῖγον* (1) *per ſpeciem urgentis Feſti neceſſitatis* ediderit: ergo, cum certiſſime *minora* illa fuerint, minora ipſa, maiorum inſtar, Hecatombaeoni menſi concedi debent. Qua vero menſis die peracta illa fuerint in tanto veterum Scriptorum ſilentio definiri vix poteſt. Suſpicor tamen id ante *viceſimam* Hecatombaeonis menſis diem contigiſſe. Id innuere videtur Demoſthenes, qui concionem a Timocrate *duodecima* menſis die, quamvis in illam *Saturnalia* inciderent, indictam eſſe teſtatur *ἐπὶ τῇ τῶν Παναθηναίων προφάσει praetextu* urgentis Feſti *Panathenaeorum*; perinde quaſi Feſtum ipſum proxime immineret: neque tamen Demoſthenes ipſe reponit concionem illam in aliam potius diem indici, ſive differri commode potuiſſe quod Panathenaeorum dies non adeo urgeret, ſed plures adhuc dies expectanda foret. Ad haec Vlpianus hanc ipſam Demoſthenis Orationem exponens ait quod *κυρίαι Ἐκκλησίαι ſtatae*, legitimaeque *Conciones* ter ſingulis menſibus haberi conſueverant (2), *undecima* nimirum, *viceſima*, ac *triceſima* menſis die. Ergo, ſi Panathenaea Feſta poſt *viceſimam* celebranda fuiſſent, atque in eandem ipſam menſis diem, quae maioribus conſtituta fuerat, hoc eſt, ut mox oſtendetur, *viceſimam octavam*, incidiſſent, facile Demoſthenes obieciſſet nihil in cauſſa fuiſſe cur Panathenaeorum praetextu inſueta, ſacraque die concio indiceretur, ſi *viceſima*, ſtata nimirum, ac legitima, dies expectari potuiſſet. Itaque, ſi Demoſthenes praetextum illum variis indiciis, & argumentis aliis vanum fuiſſe demonſtrat, clariores tamen, certioreſque rationes iſtas, aut temporis characteres diſſimulat, facile, ut opinor, oſtendit Panathenaea Feſta vere impendiſſe, adeoque brevi poſt *duodecimam* Hecatombaeonis Attici diem celebrari conſueviſſe. Denique, ne coniecturas alias hic perſequar, Panathenaea Feſta ante *ſextamdecimam* menſis diem incidiſſe ex ipſa illorum origine, atque inſtitutione inferri poſſe putaverim. Etenim Plutarchus, cum ex pluribus Atticae Populis Vrbem unam

(1) Pag. 465. (2) Vid. Pollux Libr. VIII. c. 9. ſeg. 95. 96.

unam a Theseo conflatam esse dixisset, repente subdit τήντε πόλιν Ἀθηνὰς προσηγόρευσε, καὶ Παναθήναια θυσίαν ἐποίησε κοινήν. ἔθυσε δὲ καὶ Μετοίκια τῇ ἕκτῃ ἐπὶ δέκα τοῦ Ἑκατομβαιῶνος, ἣν ἔτι νῦν θύουσι (1) *& Vrbem appellavit Athenas, & Panathenaea instituit commune Festum: sacrificavit etiam Metoecia die sextadecima Hecatombaeonis, qua nunc quoque sacrificant*. Itaque, si in Festis illis hic ordine recensendis verum ipsorum tempus Plutarchus expressit; & Panathenaea, Metoeciorum instar, eodem illo tempore Athenis agebantur, quo primum a Theseo instituta vel celebrata fuerant, ipsorum celebritas ad *quartamdecimam*, sive sequentem, Hecatombaeonis Attici diem ita referri poterit, ut illa Metoecia proxime praecedere, sive etiam complecti videantur. Quod vero ad maiorum Panathenaeorum tempus attinet, illa Meursius *vicesimatertia* Hecatombaeonis Attici die celebrata fuisse contendit (2); idque perspicuo Procli testimonio demonstratum esse putavit, qui de celeberrimis Festis illis accurate differens ait τὰ γὰρ μεγάλα τοῦ Ἑκατομβαιῶνος ἤγετο τρίτῃ ἀπιόντος *magna enim Hecatombaeonis desinentis tertia* die *agebantur*. Doctissimi tamen, atque immortalis Viri pace, τρίτη ἀπιόντος *tertia desinentis* dies non *vicesimam tertiam*, ut Meursius, &, quod mirari quis possit, Dodvellus etiam existimavit; sed *vicesimam octavam* significat; ideoque Panathenaea maiora ex verisimillima Procli sententia ad octavam illam ac vicesimam mensis diem referri debent. Perspicuam hanc tamen Procli sententiam ita Dodvellus reiiciendam esse putavit, ut nitide diserteque dixerit Proclum in ipso quoque Panathenaeorum mense definiendo aberrasse: quippequae Thucydidis testimonio non Hecatombaeone, ut Proclus asseruit, sed *vigesima prima* Scirrhophorionis Attici die committerentur. Etenim Thucydides, ubi dixisset anno 4. Olympiadis XIC. Argivos, Mantineos, atque Eleos foedera cum Atheniensibus in centum annos sanxisse, subdit ἀνανεοῦσθαι δὲ τοὺς ὅρκους, Ἀθηναίους μὲν, ἰόντας ἐς Ἦλιν, καὶ ἐς Μαντίνειαν, καὶ ἐς Ἄργος, τριάκοντα ἡμέραις πρὸ Ὀλυμπίων. Ἀργείους δὲ καὶ Ἠλείους, καὶ Μαντινέας ἰόντας Ἀθήναζε, δέκα ἡμέραις πρὸ Παναθηναίων τῶν μεγάλων (3) *hoc autem iusiurandum renovent, Athenienses quidem euntes Elin, & Mantineam, & Argos, triginta diebus ante Olympia. Argivi vero, & Elei, & Mantinei eun-*

(1) In Theseo. (2) Cap. 6. (3) Lib. V. c. 47.

euntes Athenas, decem diebus ante magna Panathenaea. Itaque, laudato Thucydidis teſtimonio concludit Dodvellus, *vix eſt cur dubitemus quin eodem die partis utriuſque Legati fidem renovarint* (1). ideoque, ſi ex perſpicuo Thucydidis calculo, Foederiſque textu Panathenaea viginti diebus Olympia Feſta praeceſſerint, quae *undecima* ſolum Hecatombaeonis Attici die committebantur, Panathenaeorum dies in *viceſimam primam* Scirrhophorionis incidiſſe debuit. Deinde vero plurima Dodvellus ipſe ſubtiliter, ingenioſeque congeſſit, ut Procli ſententiam cum ſuperiori Thucydidis teſtimonio componeret; idque ex mutata civilium menſium ſede contigiſſe credidit; ut menſis ille, qui vere Scirrhophorion eſſe debuerat, Hecatombaeon vocaretur. Sed doctiſſimo certe Viro levius illud, & fallax coniecturae genus impoſuit. Tantum enim abeſt ut una eademque menſis Attici die partis utriuſque Legati fidem ſeu foedera renovarint, ut ne uno quidem eodemque anno id praeſtare potuerint. Etenim Olympia quidem ineuntibus *primis* Olympiadum annis redire, vel inſtaurari conſueverant; Panathenaea vero *maiora* nonniſi *tertiis* Olympiadum ipſarum annis agebantur; ergo fides aut foedera ab Athenienſibus quidem *undecima* Scirrhophorionis die anno *quarto* Olympiadum; ab Argivis autem, Elidenſibus, & Mantineis ineunte, ſive, ſi cum Dodvello libeat, exeunte anno *tertio* renovari iubebantur; ut proinde in ipſa quoque Dodvelli hypotheſi unius anni ſpatium interceſſerit. Ergo, ſi foedera non uno eodemque, ſed variis potius diſtinctiſque annis confirmari conſueverant, qui fieri, vel inferri unquam poterit quod una prorſus, eademque die confirmata illa fuerint, adeoque Panathenaea Feſta in *viceſimam primam* Sirrhophorionis diem inciderint? Quandoquidem vero eiuſmodi maiorum Panathenaeorum celebritas maximo atque incredibili ſplendore, & Certaminum varietate pluribus diebus agebatur, curandis iis riteque diſponendis *Agonothetae* decem eligebantur (2), qui integro pentaeteridis ſpatio ſingula diſponerent, quae in Panathenaeornm Feſto mox futuro tum Athenienſibus tum ceteris Graecis omnibus, qui frequentiſſimi convolabant, exhibenda forent. Ac facile id quidem pluribus Veterum teſtimoniis, ac Marmoribus etiam

(1) Annal. Thucyd. (2) Polluc. Libr. VIII. Vid. Differt. XI. Num. 18.

etiam ostendi posset; sed insignem solum Philostrati locum subiecisse nunc iuverit, ut is opportune illustretur, simulque Meursii error ostendatur. Philostratus ipse, ubi varios honores, ac munera memorasset, quae ab Herode Attico splendide, magnificeque suscepta fuerant, ait ςεφανωθεὶς δὲ ϗ τὴν τῶν Παναθηναίων, ϗ υμᾶς, ἔιπεν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ϗ τῶν Ἑλλήνων τȣ̃ς ἥξοντας, ϗ τῶν Ἀθλητῶν τȣς ἀγωνισμένȣς ὑποδέξομαι ςαδίῳ λευκȣ̃ λίθȣ (1). Integrum hunc Philostrati locum Meursius exscripsit ut exinde quoque concluderet quod *Panathenaeorum victor praemii loco coronam accipiebat*: quemadmodum prorsus latinus Philostrati interpres eiusmodi verba reddiderat *coronatus vero ob victoriam in Panathenaeis partam, & vos, inquit, viri Athenienses, & ex Graecis, qui venient, & Athletarum eos, qui certaturi sunt, excipiam in stadio candidi lapidis*. Doctissimo tamen Viro obscurior illa, & ambigua Philostrati phrasis imposuit. Etenim, ut optime Fabricius hic observavit, ςεφανωθεὶς voce non corona quaedam ab Herode veluti victore parta, sed Agonothetae munus ipsi delatum exprimitur: ideoque non *coronatus ob victoriam in Panathenaeis partam* reddi debet, sed *decoratus etiam Panathenaeorum curandorum munere*, quod facile ex integro Scriptoris ipsius contextu, & exemplis aliis (2) ostendi posset: quemadmodum certe Fabricium ipsum in eodem illo Philostrati loco explicando deceptum esse iam dixi (3). Ceterum Athletis illis, qui Panathenaeorum Certamine palmam retulerant, oleagineam coronam, simulque phialam oleo plenam Solonis, ut arbitror, instituto concedi consuevisse plurimis Veterum testimoniis ostendit Meursius; atque ipse quoque opportunius alibi indicavi (4).

LXXVIII.

Πάνδημον

Pandemum

Antiquissimum Athenis hoc Festi genus, quod cum ab universo Populo, sive certe ab Artificibus omnibus in Mi-

(1) Vitae Sophist. Libr. II. Num. 1. §. 5. (2) Libr. II. Num. 16. (3) Dissert. X. Num. 17. (4) Dissert. I. Numer. 25.

nervae, sive Vulcani potius honorem ageretur, Πάνδημον vocabatur. Antea tamen Ἀθήναια *Athenaea* dicebatur, quod Minervae sacrum foret; deinde vero Χαλκεῖα, vel Χάλκεια *Chalcia* vocari, atque a fabris agitari coepit quod Vulcanus ipse τὴν χαλκευτικὴν *fabrilem* artem in Attica invenisse putaretur (1). Trigesima vero Pyanepsionis mensis die illud celebrari consuevisse Harpocration ipse testatur (2).

LXXIX.

Πάνδια

Pandia

Festum hoc Iovi sacrum fuisse Pollux (3), & Theodoretus (4) etiam asseruit. Vlpianus (5) tamen observat ab aliquibus Iovi, ab aliis Lunae sacrum censeri; quod illa non interdiu solum, ut Sol, sed etiam noctu videatur; ideoque Πανδια *Pandia* vocetur, ut perspicuo Etymologi testimonio notavit Meursius: Πάνδια ἑορτὴ Ἀθήνησιν ἀπὸ Πανδίας τῆς Σελήνης *Pandia Festum Athenis a Luna, quae Pandia vocatur*; non, ut infeliciter apud Gronovium reddit interpres, *ab Pandia Lunae filia*. Eiusmodi vero Festum repente post Dionysia celebratum esse ex Demosthene (6), & Vlpiano Castellanus observat. Itaque, cum Dionysia illa, ut Dodvellus existimat, *duodecima* Elaphebolionis die agerentur, Pandia quoque Festa eidem Elaphebolioni mensi adscribi debent.

LXXX.

Πανδρόσια

Pandrosia

Athenagoras (7) Festi meminit, quod Pandroso Cecropis filiae sacrum erat, ut in illo τελετὰς, καὶ μυστήρια *initiationes, & mysteria* Athenienses agerent in Pandrosi templo, quod Minervae Fano proximum fuerat (8). Sacrum illud Pandro-

(1) Harpocr. & Suidas in Χαλκεῖα. (2) Vid. Meurs. Lect. Attic. Libr. IV. c. 24.
(3) Libr. I. c. 1. seg. 37 (4) Graec. Affect. Libr. VII. (5) In Orat. adver. Midiam.
(6) Orat. adv. Midiam Pag. 386. (7) In Apologia. (8) Pausan. Attic. c. 27.

droso factum Ἐπίβοιον *Epiboeum* dicebatur (1): quod Minervae bos, ipsique Pandroso ovis immolaretur.

LXXXI.

Πανὸς ἑορτή

Panis Festum

Quamvis Meursius, ceterique Scriptores omnes Festum istud omiserint, perspicuo tamen Herodoti testimonio deprehendisse videor illud ab Atheniensibus veteri, solemnique ritu celebrari consuevisse. Etenim, ubi dixisset Herodotus Phidippidi Athenis Lacedaemonem properanti Panem apparuisse, seque Graecis Marathone dimicaturis praesidio futurum promisisse, subdit quod victoria parta Athenienses ἱδρύσαντο ὑπὸ τῇ Ἀκροπόλει Πανὸς ἱερὸν. καὶ αὐτὸν ἀπὸ ταύτης τῆς ἀγγελίης θυσίῃσι ἐπετείῃσι, καὶ λαμπάδι ἱλάσκονται (2) *templum Pani infra Arcem statuerunt, ipsumque ob illum* victoriae *nuncium sacris annuis, & lampadis certamine propitium sibi reddunt*. Eadem fere de Panis adyto, fano, ara, sacrisque Pausanias (3), Lucianus, Euripides, & Oecumenius a Meursio (4) laudati prodidere. Non facile vero ego dixerim an ad Festum istud, eiusque ritus, vel ad peculiare Festum aliud spectaverit quod Phylasii omnium optime Pani sacra peragere dicerentur, ut ex *Callipidis ad Cnemonem* Epistola apud Aelianum erudimur: θύω τοίνυν τῷ Πανὶ, καὶ Φυλασίων τοὺς μάλιστα ἐπιτηδείους εἰς τὴν ἱερουργίαν παρακαλῶ *sacrifico igitur Pani, eosque ex Phylasiis, qui aptissimi fuerint, ad sacrificium advoco*.

LXXXII.

Παράλια

Paralia

Eustathius unus eiusmodi Festorum meminit in Commentariis ad Odys. Δ. ubi, cum observasset Παράλιον *litora-*

 lem

(1) Harpocrat. & Suid. Vid. Meurs Lect. Attic. III. c. 22. (2) Libr. VI. c. 106.
(3) Attic. c. 28. (4) Athenae Atticae Libr. II. c. 8.

lem regionem in Attica reperiri, indeque Parali navis nomen acceptum esse subdit ὥπερ ὁμώνυμος ἑορτὴ παλαιὰ, τὰ Παράλια. *cui similis appellationis est Festum quoddam vetus Paralia*. Haec autem Paralo heroi sacra fuisse optime coniecit Meursius.

LXXXIII.

Πιθοίγια

Pithoegia

Vide in *Anthesteria*. Etenim prima Anthesteriorum, hoc est *undecima* Anthesterionis mensis die, agebantur ex Plutarcho Symp. Libr. III. c. 7.

LXXXIV.

Πλυντήρια

Plynteria

In Festis istis Minervae consecratis ipsius vestes e simulacro detractae a Praxiergidis feminis abluebantur, iterumque Deae statua vestibus amiciebatur, ut Plutarchus (1), & Xenophon (2) testantur. Praeter orgia arcana a Praxiergidis ipsis, Plutarcho teste, celebrata, pompa quoque Hesychio, atque Etymologo memorata ducebatur; in qua *Hegetoria*, sive *Hegeteria*, hoc est ficuum massa, ferebatur: quod eiusmodi mitium fructuum genus omnium primum ab hominibus usurpari coeperit. Eam vero Thargelionis Attici diem, qua Plynteria agebantur, omnium maxime nefastam fuisse Plutarchus, & Pollux (3) etiam asseruit. Quandoquidem vero Plutarchus Festum illud ἕκτῃ φθίνοντος *sexta desinentis*, hoc est *vicesima quinta*, mensis die celebrata testatur, clarissimus Meursius, & Fasoldus etiam perspicue fallitur, qui Plynteria *vicesimae sextae* concessit: quippequi hic, alibique saepius decem desinentis mensis dies non retrogrado ac inverso, sed recto potius ordine numeratas esse perperam existimavit. Ita fortasse Meursius ipse cum Castellano, & Fasoldo

(1) In Alcibiade. (2) Histor. Graec. Libr. I. (3) Libr. VIII. c. 12.

do fallitur ubi *doctissimum Grammaticum* Hesychium, & *quos ille secutus est*, *Auctores errasse* dicit in definiendo Numine, cui Plynteria consecrata forent. Dixerat Hesychius: Πλυντήρια. ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἣν ἐπὶ τῇ Ἀγραύλῳ τῇ Κέκροπος θυγατρὶ τιμὴν ἄγουσιν *Plynteria. Festum Athenis, quod in Agrauli Cecropis filiae honorem celebrant.* Itaque, cum Meursius a Plutarcho ceterisque Scriptoribus eiusmodi Festa non *Agraulo*, sed *Minervae*, adscribi observasset, Hesychium errasse dicit, eiusque erroris originem hanc esse putat quod Minerva ipsa Ἄγλαυρος *Aglauros*, sive Ἄγραυλος *Agraulos* vocabatur; ideoque Festa Minervae *Agraulo* sacra in Agraulum Cecropis filiam, quae Minervae ipsi nomen indiderat, temere ab Hesychio translata fuerint. Sed mitius hic certe cum Grammaticorum principe agendum putaverim: cum praesertim ipsius testimonium cum Plutarcho ceterisque conciliari, componique facile possit. Etenim Hesychius, ubi Plynteria Agrauli memoriae atque honori dicata fuisse testatur, id unum innuere, ut opinor, videtur quod illa Minervae quidem sacra, eiusque vestibus abluendis, ornandoque simulacro destinata fuerant; sed ritus tamen ille in Agrauli memoriam, honoremque peragebatur, quam omnium primam Deos ornasse perspicuo Photii testimonio erudimur, quod opportunius alibi exscripsi (1) δι' ὃ καὶ Καλλυντήρια αὐτῇ ἀπέδειξαν *quapropter Callynteria quoque* Festa *ipsi adscripserunt*. Itaque facile intelligi, componique poterit quod Plynteria Festa Minervae sacra, simulque in Agrauli honorem instaurata fuerint; ideoque nihil in Hesychii textu corrigi, reprehendique debet. Quandoquidem vero Plutarchus asserit Plynteria Festa *vicesimaquinta* Thargelionis die celebrari; Photius vero *vicesimanona* peragi consuevisse testatur, diffidentes illas Scriptorum sententias ita Dodvellus (2) optime componi posse putavit, ut illa non unico, sed pluribus fortasse diebus agerentur; ideoque Plutarchus primum, ultimum Photius expresserit. Cum tamen Xenophon perspicue dixerit Alcibiadem in Piraeeum appulisse die, ῇ Πλυντήρια ἦγεν ἡ πόλις *qua Plynteria celebrabat Civitas*, longe verisimilius existimo unica solum die peracta illa fore, adeoque vel Photium, vel Scriptorem illum, quem Photius expresserat, aberrasse.

LXXXV. Πο-

(1) In Callynteriis. (2) Differ. VIII. sect. 25. & Annal. Xenoph. an. 1. Oly. 93.

LXXXV.

Ποσειδώνια

Neptunalia

Caſtellanus Feſtum iſtud omiſit; Meurſius vero Neptunalia, vel Poſidonia Feſta ab Aeginetis ſolum celebrata perſpicuo Athenaei (1) teſtimonio memoravit. Sed illa Athenis etiam veteri, conſtantique ritu celebrari conſueviſſe pluribus Scriptorum teſtimoniis oſtendi facile poterit. Etenim Plutarchus in *Lycurgi Rhetoris Vita* teſtatur quod ille διετάξατο τὴν ἱεροσύνην τῦ Ποσειδῶνος Ἐρεχθέως *conſtituit ſacerdotium Neptuni Erechthei*: quemadmodum de Media quodam ex Lycurgi poſteris dixerat ὃς την ἱεροσύνην Ποσειδῶνος Ἐρεχθέως ἔσχε *qui ſacerdotium Neptuni Erechthei habuit*: atque Athenagoras (2) Neptuno Erechtheo ab Athenienſibus ſacra fieri conſueviſſe teſtatur. Eiuſmodi vero ſacerdotium in Lycurgi poſteris haereditario iure perſtitiſſe Plutarchus ipſe demonſtrat; cumque Lycurgus *Butades*, ſive ex *Eteobutadis* eſſet, Neptuni ſacerdos ſemper ex Butadarum, ſive Eteobutadum familia fuit, ut contra Meurſium opportunius alibi demonſtravi (3). At neque ſacra ſolum, & ſacerdos, & ara Pauſaniae (4) memorata Neptuno Athenis erat; ſed Certamen etiam Lycurgi lege inſtitutum, qui Plutarcho teſte ſancivit ὡς τῦ Ποσειδῶνος Ἀγῶνα ποιεῖν ἐν Πειραιεῖ κυκλίων χορῶν ὐκ ἔλαττον τριῶν *ut Neptuno Certamen in Piraeeo fieret tribus ſaltem cyclicis choris*. Quin etiam Neptuno ipſi, niſi mea me fallit opinio, conſecratus cenſeri facile poterit Agon ille triremium, qui in Sunio agebatur, ut mox opportunius oſtendam.

LXXXVI.

Προηρόσια

Proeroſia

Athenienſes antequam ſemina terrae committerent, vel arare inciperent, Cereri haec ſacra faciebant, quae proinde

(1) Libr. XIII. c. 6. (2) Apolog. (3) Vide in Sciris (4) Attic. c. 30.

inde Προηρόσια *antearatoria*, sive *antesementiua* dicebantur; festumque diem agebant, cuius frequentissima mentio apud Scriptores occurrit, quorum testimonia Meursius [1] semel iterumque diligentissime exposuit. Quandoquidem vero ante arationem, vel, ut Phornutus ait, *περὶ τὸν τῆς σπόρου καιρόν circa sementis tempus*, Festum hoc agebatur, facile Pyanepsioni, sive Maemacterioni mensi adscribi ipsum poterit. Illud hic etiam observasse iuverit, quod eiusmodi sacra ab Atheniensibus Cereri τῇ Προηροσίᾳ *Proerosiae* pro Graecis etiam omnibus offerebantur [2]: unde frugum primitiae ex locis omnibus Athenas deferri solebant, ut ex Aristophanis Scholiaste [3] erudimur.

LXXXVII.

Προμήθεια

Promethia

Quotannis ab Atheniensibus in Promethei honorem haec instaurari consueverant, ut Xenophon [4], Lysias [5] & Isaeus [6] testantur. Lampadis quoque Certamen in eiusmodi Festo committi consuevisse ex Harpocratione [7], & Scholiaste Aristophanis [8] erudimur: quod Prometheus ipse, ut opinor, in caelum conscenderit, accensaque ad solem face ignem mortalibus in terras detulerit. Hinc ille δᾳδοῦχος, *facitenens*, & πυρφόρος *ignifer* ab Apollonio vocatur: Ἰώ, Προμηθεῦ δᾳδοῦχε, καὶ πυρφόρε, οἷά σου τὸ δῶρον ὑβρίζεται [9] *io, Prometheu facitenens, & ignifer, ut tuum donum contumelia afficitur*! Ac Meursius quidem, & Fasoldus *faciferi* nomen Prometheo ex facibus illis inditum esse putavit, quae in Promethiis Festis ferebantur. At perspicuus ille Philostrati locus satis, opinor, ostendit *faciferi* nomen ex ipsa potius fabula repetendum esse: nec alia de caussa in Promethiis ipsis accensas faces usurpatas fuisse, nisi ut ignis a Prometheo reperti, hominibusque concessi memoria renovaretur. Quamvis tamen Prometheus ipse velut ignis inventor ab Athenien-

(1) Graec. Feria. & Lect. Attic. Libr. II. c. 1. (2) Liban. Declam. XIX. & Suidas. (3) Ad Equit. (4) De Republ. Athen. (5) Orat. 20. (6) Orat. de Apollod. haeredit. (7) In Λαμπάς. (8) Ad Ranas. (9) Apud Philostr. Vit. Soph. Lib. II. N. 20.

nienſibus honorari conſueverit, alia tamen ignis origo ab Athenienſibus haberi, narrarique ſolebat: quod oborto nimirum fulmine ignis in Eupyridarum Populo repente excitatus fuerit (1); indeque Populus, aut locus ille nomen acceperit.

LXXXVIII.

Προσχαιρητήρια

Proſchaereteria

Harpocration: Προσχαιρητήρια. ἑορτὴ παρ' Ἀθηναίοις γραφομένη, ὅτε δοκεῖ ἀπιέναι ἡ Κόρη. Cl. Meurſius, cum Harpocrationem, &, qui totidem fere verbis Harpocrationem exſcripſerat, Suidam de puella qualibet intelligendum eſſe putaret, eiuſmodi Feſta *eo die agitata* fuiſſe dixit, *quo a parentibus diſcederet filia in mariti domum tranſitura*. At doctiſſimi Viri pace Feſtum illud non privatum, ſed publicum, non puellae cuilibet, ſed Proſerpinae ſolum a matre Cerere diſcedenti dicatum erat. Siquidem Κόρης *puellae* nomine Proſerpinam ipſam ab Athenienſibus deſignatam eſſe innumeris exemplis oſtendi poteſt; quemadmodum a Latinis ipſis *Liberam*, & aliquando *Coren* vocatam fuiſſe Meurſius ipſe iam viderat. Itaque ſuperior Harpocrationis, Suidaeque locus ita latine cum Porto reddi debet *Proſchaereteria Feſtum ab Athenienſibus celebratum* (optime nimirum hic Portus non γραφομένη, ſed ἀγομένη reſcribendum eſſe iam coniecerat) *quum Proſerpina diſcedere videtur*: perinde quaſi ei *vale* diceretur.

LXXXIX.

Προχαριστήρια

Procharisteria

Feſtum hoc eruditiſſimis Viris Caſtellano, & Meurſio in *Graecia Feriata* prorſus indictum ceteris Athenienſium Feſtis Faſoldus adiecit. Etenim Suidas ait Προχαριστήρια· ἡμέρα ἐν

(1) Plutar. in Cimone.

ἐν ᾗ οἱ ἐν ἀρχῇ πάντες ἀρχομένων καρπῶν φύεσθαι λήγοντος ἤδη τοῦ χειμῶνος ἔθυον τῇ Ἀθηνᾷ . . . διὰ τὴν βλάστησιν τῶν καρπῶν τῶν φυομένων *Procharisteria*. Festa *dies, in qua Magistratus omnes, frugibus incipientibus nasci, hieme iam desinente, Minervae sacrificabant .... propter frugum nascentium germinationem*. Quandoquidem vero Suidas Lycurgi Atheniensis Rhetoris testimonium hic protulit ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερωσύνης *in Oratione de Sacerdotio*, dubitari vix poterit quin Festum illud a Lycurgo memoratum Atheniensibus adscribi debeat; quemadmodum certe & *Thalysia*, & *Horaea*, & alia id genus Festa ab Atheniensium celebrata fuisse conspicimus.

XC.

Πυανέψια

Pyanepsia

De Festis istis Apollini sacris, ipsorumque ritibus fuse, accurateque Meursius. Plutarchus a Theseo haec instituta, septimaque Pyanepsionis mensis die primum celebrata fuisse, testatur, cum ille ex Creta redux Athenarum arcem ingressus est; unde quotannis eadem ipsa die, iisdemque ritibus, quos Plutarchus ipse describit, agitari consueverant. Ceterum Festum illud ab Atheniensibus quidem *Pyanepsia*, a ceteris autem Graecis *Panopsia* vocatum esse Harpocration observavit.

XCI.

Σεισάχθεια

Sisachthia

Cum Solon plurimos Atheniensium cives immani aeris alieni copia oppressos esse conspiceret, universam illam aeris alieni summam, atque usurarum vim abolendam esse decrevit. Athenienses accepti beneficii memores ἔθυσαν κοινῇ, Σεισάχθειαν τὴν θυσίαν ὀνομάσαντες (1) *publice sacrificarunt, & Sacrificium*

(1) Plutarch. in Solone.

ficium illud *Sisachthiam*, hoc est oneris-excussionem, *vocarunt* (1). Itaque Sacrum istud Potterus ceteris Atheniensium Festis inseruit quod illud posteris etiam aetatibus instauratum esse putaverit.

XCII.

Σκίρα, vel Σκιροφόρια

Scira, vel *Scirophoria*

Plura de Festis istis, ipsorumque tempore, ac ritibus opportune iam protuli ubi de *Oschophoriis* ageretur; cum Meursius, &, si Castellanum unum exceperis, Scriptores alii *Scira* cum *Oschophoriis* confuderint, utraque nimirum uno eodemque tempore celebrata fuisse putaverint. Quandoquidem vero Festis illis nomen a σκίρῳ, sive σκιαδίῳ *umbella*, quae in ipsis ex arce in Scirum ferebatur, inditum fuit, nonnulla Scriptoribus opportune illustrandis observasse nunc iuverit, quae doctissimis Viris aut indicta, aut parum feliciter accurateque explicata fuisse conspicio. Harpocration umbellam hanc a Minervae Antistita, Neptuni, & Solis etiam Sacerdotibus deferri consuevisse, eosque Eteobutadas fuisse testatur. Scholiastes vero Aristophanis, ut Meursius hic observavit (2), umbellam ipsam non a Neptuni Sacerdote, *non ab Eteobutadis gestatam, sed ab Erechthei Sacerdote testatur* ὁ ἱερεὺς τῦ Ἐρεχθέως φέρει σκιάδιον λευκὸν, ὃ λέγεται σκίρον (3) *Sacerdos Erechthei fert umbellam albam, quae Sciron vocatur.* Itaque Meursius, Castellanus, Potterus, & Fasoldus etiam Scholiastem illum ab Harpocratione dissidere arbitrantur. Ego vero Scriptores illos facile conciliari, componique posse putaverim. Ac initio quidem ubi Meursius Neptuni, Minervaeque Sacerdotes ab Eteobutadis distinxit, perinde quasi Sacerdotes illi *Eteobutadae* esse non potuerint, perspicue fallitur. Siquidem Minervae Poliadis Antistita, Neptunique Erechthei Sacerdos semper ex Eteobutadis eligebatur, ut Apollonius in Aeschinem, Etymologus, Apollodorus (4), aliique docent. Quod vero Scholia-

(1) Vide Meurs. in Solone c. 13. (2) In Graec. Fer. & Pop. Atticae in Σκίρον.
(3) Ad Ecclesiaz. initio. (4) Biblioth. Lib. III.

liastes ille non *Neptuni*, sed *Erechthei*, Sacerdotem hic appellaverit, facile id quoque intelligi componique potest; cum Neptunus ille, cuius sacerdotium haereditario iure ad Eteobutadas spectavit, Ποσείδων Ἐρεχθεύς *Neptunus Erechtheus* diceretur, ut paullo superius in *Neptunaliis* ostendi. Quinetiam solo *Erechthei* nomine *Neptunus* ipse intelligi vocarique consueverat, ut ab Hesychio erudimur. Itaque, licet Scholiastes ille neque Neptuni, neque Eteobutadum nomen expresserit, eosdem tamen cives, vel Sacerdotes illos descripsit, qui ab Harpocratione, atque ab altero Aristophanis ipsius Scholiaste memorantur.

XCIII.

Στήνια

Stenia

Hesychius: Στήνια. ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἐν ᾗ διασκώπτουσι, καὶ λοιδοροῦσι *Stenia Festum, Athenis in quo irrident, & conviciantur*. Suidas a feminis ad convicia certe proclivioribus agitatum hoc esse testatur. Στήνια καὶ Σκίρα. ἑορταὶ γυναικῶν *Stenia, & Scira. Festa mulierum*. Hinc facile Festum istud a Chois distingui debet, in quibus eadem prorsus convicia ac dicteria usurpari consuevisse testatur Apostolius: Ἀθήνησιν ἐν τῇ τῶν Χοῶν ἑορτῇ οἱ κωμάζοντες ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν τοὺς ἀπαντῶντας ἔσκωπτόν τε, καὶ ἐλοιδόρουν (1) *Athenis in Choum festo comessantes in vehiculis obvios dicteriis incessebant, & conviciis*.

XCIV.

Σωτήρια

Salutaria

Haec a Sicyoniis ex Macedonum iugo bellica Arati imperatoris virtute liberatis *Soteri*, sive liberatori Iovi, sacra in Arati ipsius honorem *quinta* Anthesterionis Attici die cele-

(1) In Τὰ ἐκ τῶν ἁμαξῶν.

brata fuisse ex Plutarcho [1] demonstravit Meursius. Cognomine tamen Festum Athenis etiam in Iovis ipsius *Eleutherii*, vel *liberatoris*, honorem peragi consuevisse facile ex Plutarchi testimonio inferri poterit, quod opportunius exhibui ubi de *Eleutheriis* agebatur.

XCV.

Τοξαρίδεια

Toxaridia

Toxaris quidam origine Scytha Athenas concessit, ibique interiit: ϗ μετ' ὀ πολὺ ϗ ἥρως ἔδοξε, ϗ ἐντέμνουσιν αὐτῷ Ξένῳ Ἰατρῷ οἱ Ἀθηναῖοι [2] *&* *non multo post Heros habitus est*, *Sacraque ei Athenienses*, *Peregrini Medici* nomine, *faciunt*. Monimentum ipsi intra Dipylum sacratum fuerat, erectusque cippus, qui semper floribus redimitus erat, ut Lucianus fuse accurateque describit: qui album etiam equum ipsius honori, acceptae salutis ergo, immolari consuevisse testatur.

XCVI.

Τριήρων Ἀγὼν ἐπὶ Σουνίῳ

Triremium Certamen in Sunio

Lysias in Oratione 20. quae Ἀπολογία δωροδοκίας inscribitur, ait: Παναθηναίοις τοῖς μικροῖς ἐχορήγουν πυῤῥιχισαῖς ἀγενείοις, ϗ ἀνήλωσα ἑπτὰ μνᾶς. νενίκηκα δὲ τριήρει μὲν ἁμιλλώμενος ἐπὶ Σουνίῳ ἀναλώσας πεντεκαιδέκα μνᾶς *in Panathenaeis minoribus Choragum egi Pyrrhichistis imberbibus*, *ac insumpsi minas septem*. *Vici vero triremi certans in Sunio impendens quindecim minas*. Eximium hunc politissimi Rhetoris locum Meursius exscripsit [3], ut eiusmodi Triremium Certamen non alio quam Panathenaeorum minorum tempore, Lysia teste, peractum esse demonstraret; quod nempe Lysias ipse Panathenaea minora, simulque repente Certamen hoc memoraverit. At, nisi pluri-

(1) In Arato. (2) Lucianus in Scytha. (3) Panath. c. 12. & Pop. Attic. in Σούνιον.

plurimum fallor, Triremium Certamen a Panathenaeis ipsis, illorumque tempore distingui debet. Qamvis enim Lysias munera singula, & impensas omnes hic ordine recensuerit, quas civis ille subierat, cuius causam Orator hic agit, ideoque Triremium Certamen repente post Panathenaea memoraverit; exinde tamen inferri non potest quod utrumque eodem prorsus tempore contigerit. Certe, ut coniecturas alias omittam, post superiora Lysiae verba a Meursio laudata repente adiicitur χωρὶς δὲ ἀρχιθεωρίας, κ͵ ἀῤῥηφορίας, κ͵ ἄλλα τοιαῦτα, εἰς ἃ ἐμοὶ δεδαπάνηται πλέον ἢ τριάκοντα μναῖ *praeter Architheorias, & Arrhephorias, & alia id genus munera, in quae supra triginta minas impendi*. At Panathenaeorum tempore, quaecumque illa fuerint, *Architheorus* eligi non consueverat; ac Arrhephoria Festa, & Arrhephoriae munus non Hecatombaeone mense, sive Panathenaeorum tempore, sed Scirrhophorione solum agebantur, ut ab Etymologo, Suida, ceterisque Scriptoribus [1] erudimur: ergo, sicuti Architheoria, & Arrhephoria, quae proxime post Triremium Certamen, ac Panathenaea minora a Lysia recensentur, ad Panathenaea ipsa spectare certe non poterant, ita quoque Certamen illud non Panathenaeorum, sed aliorum potius Festorum tempori adscribi facile debet.

XCVII.

Ὑδροφόρια

Hydrophoria

Lugubre Festum erat, in quo diluvii memoria, eorumque, qui in ipso perierant, renovabatur; ut Suidas, Etymologus, & Apostolius ostendit. Cognomine Festum, atque in ipso Certamen Apollini sacrum Delphinio mense apud Aeginetas agebatur, ut a Pindari Scholiaste erudimur [2]; cuius eximium prorsus locum in Agonistica Dissertatione III. Num. 16 exhibui. Ceterum Festi dies non Meursio solum, sed reliquis etiam Festorum Scriptoribus hactenus ignota fuit. Eam tamen ex illustri Plutarchi loco deprehendisse

(1) Vid Meursi. Lect. Attic. Libr. IV. c. 19. (2) Ad Neme. V.

se videor, qui cum, Athenas a Sylla demum occupatas dixisset, subdit: *ἑλεῖν δὲ τὰς Ἀθήνας αὐτός φησιν ἐν τοῖς Ὑπομνήμασι Μαρτίαις καλάνδαις, ἥτις ἡμέρα συμπίπτει μάλιστα τῇ νουμηνίᾳ τοῦ Ἀνθεστηριῶνος μηνός. ἐν ᾧ κατὰ τύχην ὑπομνήματα πολλῶν τοῦ διὰ τὴν ἐπομβρίαν ὀλέθρου, καὶ τῆς φθορᾶς ἐκείνης δρῶσιν, ὡς τότε καὶ περὶ τὸν χρόνον ἐκεῖνον μάλιστα τοῦ κατακλυσμοῦ συμπεσόντος* (1) *cepisse Athenas se calendis Martiis refert* Sylla *in Commentariis; qui dies plane in primum diem incidit mensis Anthesterionis: quo forte multa in memoriam illius ex imbribus cladis, & exitii agunt, quod in idem illud potissimum tempus inciderit diluvium.* Itaque, si diluvium, ritusque plurimi in ipsius memoriam celebrati in *primam* Anthesterionis Attici diem incidebant, dubitari vix poterit quin Hydrophoria quoque eadem ipsa die Athenis agerentur.

XCVIII.

Φέλλος

Phellus

In ipso Dionysiorum initio ab Atheniensibus agebatur, ut Suidas, & Aristophanis Scholiastes (2) testatur. Itaque, cum Dionysiorum celebritas ex Dodvello *duodecima* Elaphebolionis mensis die inciperet, Phelli dies in *undecimam* eiusdem Elaphebolionis incidisse debuit.

IC.

Φωσφόρια

Phosphoria

Phosphoria Festa a Graecis aliquibus celebrata fuisse, perspicuo Plutarchi testimonio Meursius demonstravit, quod ipse quoque eximio Marmori illustrando opportunius alibi (3) exhibui. Sed Athenis etiam eiusmodi Festa, vel Sacra peragi consuevisse ex eodem ipso Marmore non immerito fortasse

(1) In Sylla. (2) Ad Nubes ver. 71. (3) Differt. XI. Num. 10.

ſe conieci; quod ceteris nimirum Sacrorum Miniſtris in Attico hoc Marmore numeratis etiam ἱερεὺς Φωσφόρος *Sacerdos Phoſphorus* aut *Ignifer* accenſeatur. Ita quoque varias coniecturas alias expoſui ut facile intelligi vel oſtendi fortaſſe poſſet cuinam Deo, vel Heroi Sacra illa dicata forent; quamvis in tanta rerum obſcuritate, veterumque Scriptorum ſilentio nihil accurate certoque conſtitui poſſe conſpiciam.

C.

Χαλκεῖα

Chalcia

Vide in *Pandemon*.

CI.

Χαριστήρια Ἐλευθερίας

Chariſteria pro libertate

Reſtitutam a Thraſibulo libertatem hoc Feſto Athenienſes *duodecima* Boedromionis die celebrabant, ut eximio Plutarchi loco ſuperius oſtendi, ubi de variis Athenienſium Νίκαις *Victoriis* ageretur.

CII.

Χαρμόσυνα

Charmoſyna

Eiuſmodi Feſtum Athenis celebrari conſueviſſe teſtatur Heſychius; ipſumque Laetitiae dicatum fuiſſe tum ex nomine, tum ex Plutarcho (1) coniecit Caſtellanus. Meurſius autem ipſum omiſit fortaſſe quod in Heſychii textu non ἑορτὴ Ἀθήνησι *Feſtum Athenis*, ut Caſtellanus exiſtimat, ſed ἑορταὶ Ἀθήνησι *Feſta Athenis* legatur; ideoque *Charmoſynorum* nomine non peculiare Feſtum aliquod, ſed ſinguli potius Athenienſium Feſti dies exprimerentur.

CIII. Χι-

(1) De Iſide.

CIII.

Χιτώνια

Chitonia

A Chitone Atticae Populo tum Dianae, tum Festis istis nomen inditum esse ex Callimacho, Stephano, Hesychio, & Callimachi Scholiaste Meursius ostendit. Ac Dianae quidem *Chitonis* nomen apud Callimachum *Hymno in Dianam ver.* 225 occurrere feliciter, accurateque observavit Meursius; Festorum vero, Dianaeque nomen ex Populi nomine derivatum esse non *Hymno in Dianam*, ut scribit Meursius, sed *Hymno in Iovem* Scholiastes ille testatur.

CIV.

Χλόεια

Chloia

Chloes, sive *virentis* Cereris Templum Athenis ante arcem fuisse ex Pausania (1), & Sophoclis Scholiaste (2) notavit Meursius. Ipsi vero *sexta* Thargelionis Attici die cum lusu laetitiaque sacra peragi, arietemque immolari consuevisse Scholiastes ipse testatur; quemadmodum Phornutus c. 28. ait quod περὶ τὸ ἔαρ Δήμητρι Χλόῃ θύουσι *circa ver Cereri Chloae* seu virenti *sacrificant*: ut immerito proinde Scholiastes ille *Thargelionem* mensem, Festorumque tempus cum *Septembri* Romano commiserit (3). Exinde vero mutilum vitiatumque Hesychii locum restitui, sanarique posse putaverim. Scribit Hesychius Χλοιά. ἑορτὴ ἀπὸ τῶν......κάλπων Meursius hic optime Χλοεία, & καρπῶν rescribendum esse coniecit. Palmerius, cum vere nullos fructus esse observasset, Hesychii locum de Festis, aut sacris illis, quae Phornuto teste ineunte vere Cereri Chloe agebantur, intelligi non posse putavit; ideoque non Χλοιά, sed Χοαί *Choae*, legendum esse contendit; ut nimirum celebre Festum aliud hic exprimatur, de quo dicturi mox sumus. Denique Sopingius, cum Cere-

rem

(1) In Attic. c. 22. (2) Ad Oedip. Colon. (3) Vid. Meurs. Ath. Attic. Libr. II. c. 7.

rem *Chloen* vocatam esse observasset, *forte legendum* ait ἑορτὴ ἀπὸ τῶν τῆς Δήμητρος καρπῶν. At, nisi plurimum fallor, hic Χόες, aut Χοαί cum Palmerio inseri restituique non possunt; cum & perspicuus literarum ordo repugnet, & in Hesychii textu mox Χοαὶ θυσίαι, & Χῦν, Χόα suis in locis occurrant. Itaque cum Meursio Χλοεία retinendum existimo; neque tamen cum Sopingio τῶν τῆς Δήμητρος καρπῶν, sed τῶν χλορῶν καρπῶν libentius restituerem. Ita nimirum vocis, Festique origo clarius exprimeretur; Festis nimirum illis *Chloiorum*, seu *virescentium* nomen a *virescentibus fructibus* inditum esse: idque veri, seu Thargelioni mensi, perspicue conveniet; in quo, licet fructus ipsi maturi, perfectique non sint, ut Palmerius obiecit, virescentes tamen, atque inchoati conspiciuntur, futuraeque ubertatis spem faciunt: quemadmodum Apostolius ipse testatur quod in Thargeliis ἧψον ἀπαρχὰς τῷ Θεῷ τῶν πεφηνότων καρπῶν (1), *erumpentium fructum primitias Deo coquebant*.

CV.

Χόες, & Χύτροι

Choes, & Chytri

Vide in *Anthesteriis*. Secunda nimirum, ac tertia Anthesteriorum die agebantur.

CVI.

Ὡραῖα

Horaea

Singulis anni tempestatibus, hyeme nimirum, vere, aestate, ac autumno ab Atheniensibus agebantur, Horisque fructuum primitias, aliaque offerebantur, quae fuse accurateque Meursius exposuit.

(1) In Ἀπιὼν ἐς Ἀπατούρια.

CVII.

Ἐλευσίνια, sive Μυστήρια

Eleusinia, sive Mysteria

Supremo tandem loco Eleusinia Festa memoranda nobis occurrunt, quae κατ' ἐξοχήν *Mysteria* dicebantur; cumque pluribus omnino diebus agerentur, ideoque varios, distinctosque ritus complecterentur, suis in locis inseri vel memorari vix poterant. De celebrrimis autem istis Atheniensium Festis, uberrime, accurateque Meursius integro, praestantissimoque Libro disseruit; in quo singula Veterum testimonia diligentissime congessit; plurimosque ritus, qui tum in parvis, quae apud Agram, tum in magnis, quae Eleusine ipsa fiebant, obtinuerant, exposuit. Id unum observasse nunc iuverit quod *minora* quidem Mysteria Anthesterione, *magna* vero Boedromione mense, atque, ut optime feliciterque coniecit Meursius, *novem* dierum spatio agebantur, ut ipsorum primus in *decimum quintum* mensis eiusdem incideret.

I. Ac prima illa quidem Mysteriorum dies Ἀγυρμός *Agyrmus* dicebatur: quod omnia in illa disponi, vel congregari solerent, quae Mysteriis ipsis rite peragendis requirebantur. II. Ἅλαδε Μύσται *Ad mare Mystae*: quod initiati praeconis voce ad mare se conferre iuberentur. III. Θύα *Sacra*: quod fortasse tunc Sacra Cereri & Proserpinae perficiebantur. IV. Καλάθου κάθοδος *Calathi processio*: quod vespere calathus in curru traheretur, ipsumque Κανηφόροι *Cistipherae* feminae sequerentur. V. Λαμπάδων ἡμέρα *Lampadum dies*: quod accensae faces a Mystis gestarentur. VI. Ἴακχος *Iacchus*: quod in illa Bacchus Iovis, Cererisque filius myrto coronatus, facemque gerens ex Ceramico Eleusinam duceretur. VII. Ἀγών *Certamen*: quod tunc Eleusine a pueris certaretur, victorique hordeum veluti praemium tribueretur. VIII. Ἐπιδαύρια *Epidauria*: quod in illa Aesculapius Epidauro Athenas, Mysteriis iam peractis, advenerit, ac iterum Sacra in eius gratiam instaurata fuerint. IX. Πλημοχόη *Plemochoe*: quod ultima hac Mysteriorum die duo testacea vasa implentes mysticis quibusdam verbis ac ritibus everterent. Qui plura de Festis illis, ipsorumque origine,

gine, arcana doctrina, ritibusque desideret, uberrimos Meursii fontes adire poterit: quemadmodum plurima subtiliter atque ingeniose de Mysteriorum institutione, arcanisque praeceptis Eleusine traditis nuperrime Varburtonus disseruit; quamvis ingenio, liberioribus coniecturis, susceptaeque semel hypothesi indulgens longe nobilius atque honorificentius de Mysteriorum ritibus, arcanaque ipsorum disciplina ille senserit. Id unum, quod ad rem chronologicam, sive Mysteriorum tempus spectare poterat, addidisse nunc liceat, quod Meursius (1) eximia quaedam Philostrati, & Maximi Tyrii loca exscribens, in quibus illi Mysteria autumno celebrata memorant, Scriptores illos de *minoribus* intelligendos esse contendit, atque Anthesterionem Atticum Romano Novembri coniungit; adeoque nescire se dicit quî Galenus *Mysteria* cum Macedonum Hyperberetaeo, Romanoque Septembri commiserit. Doctissimo nempe Viro, atque de Graecis Latinisque literis quam qui maxime merito Gazae, aliorumque Scriptorum error imposuit. Siquidem Anthesterion non *autumnalis*, sed *vernus* mensis erat; minora Mysteria non *autumno*, sed *vere* agebantur; ideoque Philostratus, & Maximus non de minoribus ipsis, sed de maioribus solum intelligi profecto debent, quae, cum exeunte fere Boedromione Attico celebrarentur, optime accurateque a Galeno Macedonum Hyperberetaeo Romanoque Septembri, simulque a Philostrato, ac Maximo *autumno* tribuuntur.

Atque hactenus quidem de plurimis Atheniensium Festis, Certaminibus, Feriis, quarum mentio apud veteres Scriptores occurrit; simulque de ipsorum tempore, quantum quidem eiusmodi Festorum dies partim coniectura, partim etiam divinando fere constitui, ostendique poterat. Itaque id unum superest, ut explorata iam Festorum quorumdam die, vel mense coronidis loco Calendarium Atticum hic exponatur, in quo Festa singula suis in locis accurate adnotentur. Calendarium ipsum, Festorumque Atheniensium seriem doctissimus, atque immortalis Scaliger (2) omnium primus contexendam suscepit. At eruditissimus Scriptor ille in tanta rerum obscuritate, & ambage, quibus eiusmodi Festorum doctrina ipsius aetate circumfusa fuerat, paucissima solum Atheniensium

(1) Eleusin. c. 6. (2) Can. Isag. Libr. I. c. 7.

Festa observavit, quae suis in locis, sive Atticorum mensium diebus insereret. Vbi vero praeclaris Castellani, Meursiique laboribus plurimus Atheniensium Festis immensusque splendor accessit, novum, longeque uberius Calendarium Atticum eruditissimus Petitus concinnavit; in quo Festa plura simulque statas *Ecclesiarum*, sive Concionum dies, ac *Prytaniarum* seriem exposuit. Ac legitimas quidem statasque illas Concionum dies hic ommittendas esse putavi, quippequae variis in locis opportune a me expositae, vel memoratae iam fuerint (1); quemadmodum prorsus Prytaniarum ordinem non pro *communibus* solum, Petiti instar, sed pro *embolimaeis* etiam annis, non ex falsa Petiti hypothesi, sed ex accuratiori Dodvelli methodo demonstravi (2). Quod vero ad constantes Festorum ipsorum dies attinet, quae oculis nunc obversari debuerant, facile diligens, humanusque lector intelliget longe plura a me recenseri, & ipsorum aliqua, quae temere, alienisque in locis a Petito collocata fuerant, suos ad dies, meliori quo poterat ordine, revocari. Ita vero Festorum horum seriem concinasse libuit ut in singulis fere Mensibus praeter illa, quorum dies explorata fuerit, alia quoque Festa seorsim exhiberentur, quae eodem certe Mense, sed obscura tamen, atque incognita Mensis die celebrarentur: nisi fortasse incertum quoque obscurumque foret an Festum aliquod ad Mensem quendam spectaverit, quod asterisco * apposito indicandum putavi. Sed haec, aliaque id genus plura facile ex iis intelligi, probarique poterunt, quae de singulis eiusmodi Festis in Calendario recensitis antea disputavi.

I. Heca-

(1) Differ. XIII. Num. 77. (2) Differ. II. Num. 29.

I.

Hecatombaeon

1.
2.
3.
4.
5. Leuctrica Victoria
6.
7. Connideia
8. Theleia
9.
10.
11.
12. Saturnalia
13.
14. Panathenaea minora
15.
16. Metoecia
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28. Panathenaea maiora
29.
30.

Diebus ignotis

Hecatombaea
Haloa *
Androgeonia *

II.

Metagitnion

1.
2. Metagitnia ignoto die
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30.

III. Boe-

III.

Boedromion

1.
2.
3. Victoria Plataica, & Eleutheria
4.
5.
6. Victoria Marathonia
7.
8.
9.
10.
11.
12. Chariſteria, vel reditus ex Phyle
13.
14. Gallorum Certamen
15. Agyrmus
16. Ad mare Myſtae
17. Sacrificia
18. Calathi, Ciſtarumque proceſſio
19. Lampadum dies
20. Bacchus, & Victoria Salaminia
21. Certamen Eleuſine
22. Epidauria
23. Plemochoe

(15.–23.: Eleuſinia ſive Myſteria)

24.
25. Victoria Arbelica
26.
27.
28.
29.
30.

Diebus ignotis
Aglauria *
Boedromia
Panis Feſtum *

IV.

Maemacterion

1. Maemacteria
2. ignoto die
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30.

V. Pya-

V.

Pyanepsion

Dies		
1.		
1.		
3.		
4.		
5.		
6.		
7.	Pyanepsia, & Oschophoria	
8.		
9.		
10.		
11.	Ascensus Eleusinam ad Thesmophoria	
12.		
13.		
14.	Prima dies	Thesmophoria
15.	Secunda	Thesmophoria
16.	Ieiunium	Thesmophoria
17.	Quarta	Thesmophoria
18.	Quinta	Thesmophoria
19.		
20.		
21.		
22.		
23.		
24.		
25.		
26.		
27.		
28.		
29.		
30.	Chalcia, sive Pandemon	

Diebus ignotis

Dorpia	Apaturia
Anarrhysis	Apaturia
Cureotis	Apaturia
Proerosia	

VI.

Posideon

Diebus ignotis

Dies	
1.	
2.	Ascholia
3.	Dionysia
4.	Theoenia
5.	Aloa *
6.	Neptunalia
7.	
8.	
9.	
10.	
11.	
12.	
13.	
14.	
15.	
16.	
17.	
18.	
19.	
20.	
22.	
21.	
23.	
24.	
25.	
26.	
27.	
28.	
29.	
30.	

VII. Game-

VII.

Gamelion

1. Gamelia die ignoto
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30.

VIII.

Antheſterion

1. Hydrophoria
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11. Pithoegia } Anthe-ſteria
12. Choes } Anthe-ſteria
13. Chytri } Anthe-ſteria
14. Lenaea
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30.

Diebus ignotis
Eleuſinia minora
Diaſia Iovi Milichio

IX. Ela-

IX.

Elaphebolion

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8. Aſclepiea
9.
10.
11. Phellos
12. Dionyſia urbana
13.
14. Pandia
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30

X.

Munychion

1.
2.
3.
4.
5.
6. Delphinia
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16. Munychia, & Victoria Salaminia in Cypro
17.
18.
19. Diaſia equeſtria
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30.

Diebus ignotis
Adonia *
Cyberneſia

XI.

Thargelion

1.
2.
3.
4.
5.
6. Thargelia, & Chloia
7. Thargelia
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19. Callynteria
20. Bendidia
21.
22.
23.
24.
25. Plynteria
26.
27.
28.
29.
30.

Diebus ignotis
Delia annua

XII.

Scirrhophorion

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12. Scira, & Victoria Mantiniaca
13.
14. Buphonia, & Diipolia
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28. Herculana
29.
30.

Diebus ignotis
Arrephoria

DIS-

DISSERTATIO XIV.

SYNOPSIS.

I. EX *civilibus Graecarum Urbium Cyclis, ipsarumque Mensibus plurimam tum Scriptoribus, tum Marmoribus etiam illustrandis lucem oriri variis rationibus, & exemplis ostenditur.* II. *Scriptores illi recensentur, qui in explorandis Graecarum Gentium Mensibus diligentem operam collocarunt.* III. Aeginetarum *mensis* Delphinius, *eiusque situs in civilibus Aeginetarum, ac Atheniensium annis indicatur.* IV. Aegyptiorum *mensium series, ac mobilis, vagusque veteris Aegyptii anni cardo declaratur. Actiaci, vel Augustalis, vel fixi anni cardo, seu Thot, exponitur; ipsumque ab Aegyptiis usurpatum esse contra Maffeium ostenditur.* V. Argivorum *mensis* Hermaeus, *ipsius situs, Argolici anni cardo, simulque recentiora Argivorum mensium nomina demonstrantur.* VI. Atticorum *annos non solum antiquitus a Gamelione, atque deinde ab Hecatombaeone, sed etiam aliquando fortasse a Boedromione quoque incepisse coniecturis asseritur. Scaligeri, simulque Petavii sententia de Pyanepsionis, ac Maemacterionis mensis situ refellitur. Mensium illorum sedem aliquando mutatam fuisse, contra Petavium demonstratur; eiusque mutationis tempus, & origo inquiritur.* VII. Bithynorum *mensium series, & nomina proferuntur, & civilis anni principium ab illis usurpatum ostenditur.* VIII. Boeotica, *sive Thebana Periodus, & septem Boeotorum menses, illorumque situs demonstratur.* IX. Cappadocum *mensium nomina ex variis Scriptoribus proferuntur.* X. Coorum *mensis* Agrianus *indicatur, & insignis Sorani locus exponitur.* XI. Corcyraeorum *mensium trium nomina, ipsorumque situs inquiritur, ac demonstratur. Corcyraea Marmora contra Montfauconii sententiam supplentur, emendantur, ac illustrantur.* XII. Corinthiorum *Periodus, mensiumque nomina proferuntur. Insignis Scaligeri, Dodvelli, Vandalii, aliorumque error in explicando veteri Siculorum monimento, ac embolimi mensis nomine ostenditur. Verus Carnii, & Panemi mensis situs contra Dodvellum demonstratur. Macedonum menses tandem a Corinthiis,*

ac Siculis usurpatos esse innuitur. Siculorum mensibus Posideon etiam contra Casauboni mentem accensetur, ac Strabonis locus exponitur. XIII. Cretensium *mensium nomina ex variis Marmoribus proferuntur, eademque Marmora alicubi contra Chishulli sententiam illustrantur.* XIV. Cyprii *menses a Paphiis usurpati recensentur, & gravis Meursii error indicatur; Constantienses autem Aegyptiis mensibus usos esse ostenditur, iterumque Thot, sive civilis anni cardinem apud recentiores Aegyptios fixum fuisse contra Maffeium argumentis, & exemplis aliis ostenditur. Macedonicos etiam menses a Cypriis receptos fuisse demonstratur.* XV. Delios *non aliis, quam Atheniensium, mensibus, ipsorumque Periodo, & forma usos fuisse ex Scriptoribus, ac Marmoribus etiam ostenditur, & Dodvelli sententia impugnatur.* XVI. Delphorum *Periodus, & duorum mensium nomina, ac situs ex Dodvello indicatur. Delphica Marmora proferuntur, emendantur, ac illustrantur. Septem alii Delphorum menses ex Marmoribus ipsis afferuntur.* XVII. Elidensium *Cyclus, Olympici anni cardo, & menses contra Dodvelli sententiam exponuntur.* XVIII. Ephesios *partim Atheniensibus, partim Macedonicis mensibus usos esse Scriptorum, Marmorumque praesidio demonstratur.* XIX. Iudaicorum *mensium series, ipsorumque cum Macedonicis, atque Atticis mensibus connexio ex Iosepho exponitur.* XX. Laconum *Periodus Dodvello duce explicatur. Quinque mensium Laconicorum nomina ex Dodvello proferuntur Sed verus aliquorum situs contra Dodvellum ipsum exponitur. Insignis cuiusdam Marmoris patria contra Scaligeri mentem inquiritur.* XXI. Macedonicorum *mensium nomina, series, annique cardo proponitur. Maxima in Macedonicis, Atticisque mensibus invicem committendis perplexitas indicatur. Haec emendato Demosthenis textu dirimitur, verusque, & constans Macedonici Loi situs contra Chronologos omnes demonstratur, variique ipsorum errores indicantur. Macedonum, ac Syro-Macedonum varietas in mensium ordine indicatur; & Marmora quaedam emendantur, ac illustrantur.* XXIII. Smyrnaeorum *menses olim Macedonum mensium nominibus, moxque nominibus aliis vocatos esse ex Scriptoribus, ac Marmoribus etiam ostenditur.* XXIV. Teios *Atheniensium mensibus usos fuisse coniecturis innuitur.* XXV. *Graecae, sed hactenus ignotae, Gentis Marmora, mensesque tres in iis memorati proferuntur. Gyraldi error ostenditur, ac Strabonis locus exponitur, ac illustratur.*

DIS-

DISSERTATIO XIV.

De civilibvs Graecarvm Gentivm Annis ipsarvmqve Mensibvs Cyclis atqve Periodo.

I. DE variis Graecarum Vrbium Cyclis, atque Periodo, ſimulque de ſingulis Menſium nominibus, annique forma, quae a variis Graeciae Populis adhiberi conſueverat, loquuturo, mirari certe nunc ſubit cur tanta in Cyclis illis, menſium nominibus, ac popularis anni forma varietas vel a primis uſque temporibus uſurpata fuerit, vel temere ſubinde irrepſerit: ut ſingulae fere Gentes illae, quae finitimae, ſibique coniunctae fuerant, variis, diſtinctiſque Cyclis, ac menſium nominibus uterentur. Ita Corinthios ab Elidenſibus, Argivis, atque Laconibus in menſium nominibus, annique cardine diſſidentes eſſe conſpicimus; quamvis omnes iisdem prorſus, & anguſtis oppido, Peloponneſi finibus coercerentur. Thebana Civitas vix 320. ſtadiis a Corintho aberat; ſed Corinthia tamen Periodus a Thebana, menſes a menſibus diſcrepabant. Aegina Piraeeo, vel Atticae litori fere coniuncta Athenienſium imperio ſubiecta etiam fuit; ſuos tamen & ipſa menſes ab Atticis diſtinctos habuit. Quid vero quod ſinguli fere Cretenſis Inſulae Populi peculiaribus ſuiſque menſibus utebantur; ac quaedam Cypriorum Vrbes Aegyptios, Cyprios aliae, aliae fortaſſe Macedonicos uſurparunt? Ex eiuſmodi vero maximo, atque incredibili diſcrimine, ac varietate, quae in Graecarum Vrbium, Populorumque Menſibus, ipſorum nominibus, ſitu, civilis anni cardine mox oſtendetur, maxima quoque atque infinita fere perplexitas, veluti fonte, manavit, quae in Graecis Marmoribus, atque Scriptoribus obſervatur. Etenim, cum Scriptorum quilibet rerum geſtarum tempora

pora non aliis, quam Gentis patriaeque suae, mensibus, veluti characteribus, expresserit; ideoque plurima mensium nomina in veteribus Monimentis istis occurrant, quis facile coniicere, vel definire unquam possit quo anni tempore, quo Romani, nostrique anni mense res a Scriptoribus memorata contigerit? cui nam civilis nostri Iulianique anni diei victoria, clades, aut Ludus in Marmore celebratus adscribi debeat? nisi peculiares illi Graecarum Vrbium Cycli, civilium annorum ratio, mensiumque nomina explorata iam fuerint; ut cum fortasse mensis alicuius nomen repente nobis affulserit, facile intelligi, ostendique etiam possit cui nam Genti mensis ille concedi debeat; quem in civilibus Gentium illarum, ac Romanorum annis locum mensis ille occupaverit; adeoque verum rei gestae tempus accuratissime demonstretur. Quantum vero splendoris, atque praesidii in definiendis rerum gestarum, celeberrimorum Graeciae Ludorum temporibus, aliisque innumeris Historiae capitibus illustrandis ex eiusmodi Cyclorum, annorum, mensiumque cognitione oriatur; quanta vicissim perplexitas ex ipsorum ignoratione, atque obscuritas obfundatur, ex plurimis inferri, deprehendique poterit, quae variis in locis opportune proferentur ubi praesertim de Atticis, Aegyptiis, ac Macedonicis Mensibus agendum erit.

II. Itaque praeclare de Literis, Historia, Chronologia, Eruditae Antiquitatis scientia meriti videntur illi, qui de variis Graecarum Gentium Cyclis rite contexendis ita cogitarunt, ut ipsarum Menses, Periodos, civilis anni cardines, aliaque id genus plurima subtiliter, & accurate nobis exponerent. Ac principem quidem hac in parte locum obtinere, & chorum veluti ducere existimatur Gyraldus; qui cum renatis in Italia literis primam Mythologiae, veraeque Eruditae Antiquitatis illustrandae facem in variis Operibus extulisset, aureolum quoque Libellum *de Mensibus* anno 1541. edidit, in quo civiles plurimarum Gentium Menses, ipsorum nomina, seriem, ac situm, adiectis etiam Romanorum, Atticorumque Calendariis, exposuit. Proxime post Gyraldum ipsum Spartam hanc adornandam suscepit immortalis Scaliger, qui admirabili, qua certe fuerat, ingenii ubertate, Scriptorum cognitione, doctrinaeque copia de Graecis omnibus, de Latinis, de barbaris etiam novique orbis Mensibus

sibus, ipsorumque Cyclis, atque Periodo tum in *Isagogicis Libris*, tum in Opere *de Emendatione Temporum* uberrime disputavit. Scaligero facem hanc praeferente singulas Chronologiae Partes, adeoque eximiam hanc Cyclorum, Mensiumque doctrinam longe felicius, atque accuratius explicavit Petavius: quippequi varios errores, qui Scaligero obrepserant, emendavit; atque omnia nitida certaque methodo demonstravit. Vtrumque tamen Chronologicae doctrinae principem superavit Dodvellus in aureo atque immortali Opere *de Cyclis*; qui, licet Graecos solum, Latinosque Cyclos explorandos, & exponendos susceperit; id tamen feliciter adeo, subtiliter, ingenioseque perfecit, ut ipse hac in parte ceteris palmam praeripere merito videatur Plurima quoque de Graecorum, aliarumque Gentium Mensibus eximii Scriptores alii tradiderunt, Castellanus nimirum, Lalamantius, aliique plures; qui, quamvis Triumviris illis minime sint accensendi, aliqua tamen egregie subinde observarunt; atque in eiusmodi eruditionis genere eximiam, laudatamque operam collocarunt, ut suis in locis ingenue opportuneque observabitur. Quamvis autem haec pulcherrima, maximeque necessaria Graecae eruditionis pars a clarissimis Viris illis exposita, feliciter atque uberrime illustrata iam fuerit; non tamen actum hic agere, vel a suscepti iampridem Operis argumento, Fastorumque Atticorum finibus digredi fortasse ego videar, si de variis illis Graecarum Gentium Mensibus, ipsarumque Periodo in hac postrema Dissertatione, veluti coronidis cuiusdam loco, nunc disseram. Cum enim mihi propositum fuerit illustriora rerum capita opportune complecti, quorum cognitione, quibusdam veluti facibus, atque praesidio, ingenui Adolescentes Atticae Historiae, atque eruditionis cultores in explicandis Graeciae Scriptoribus, Numis, Marmoribus, ac monimentis aliis uterentur, aliqua de variis Graecorum Cyclis hic una differenda fuerant, quae ex pluribus alioquin disiunctisque fontibus haurienda forent. Accedit etiam quod eiusmodi Mensium nomina, Cyclorumque varietas non ex uno eodemque Scriptore, quicumque ille fuerit; sed ex pluribus omnino, distinctisque monimentis exsculpenda fuerant: cum plurima certe Dodvellus ipse ceteris uberior, atque recentior omiserit; aliqua interdum, quae ipsius

aeta-

aetate ex Graecis Marmoribus nondum affulſerant, ignoraverit. In explorandis etiam, definiendiſque quorundam Menſium nominibus, ipſorumque ſitu vel ordine demonſtrando Dodvellus ipſe a Scaligero, interdum etiam a Petavio diſſidet; adeoque repente intelligi, vel definiri non poteſt quae vera Cyclorum methodus, Menſiumque ſeries habenda ſit. Quid vero quod aliquis etiam Cl. Viris illis error obrepſit, qui nativam illam, veterem, conſtantemque Menſium ſeriem mirifice perturbaret, adeoque graves aliquando tenebras Hiſtoricis, ac Monimentis aliis offunderet? ut variis in locis opportune oſtendetur; praeſertim vero ubi de Aegyptiis, Atticis, Elidenſibus, Macedonicis Menſibus agendum erit. Itaque rem & erudiendis Adoleſcentibus utilem, & eruditis etiam Viris iucundam me facturum putavi ſi non Atticae ſolum, ſed aliarum quoque Gentium Menſes hic una complecterer: cum tanta praeſertim affinitas, atque connexio inter eiuſmodi Populorum Cyclos reperiatur; ac Menſium iſtorum nomina in Graecis, atque Atticis etiam Scriptoribus frequentiſſime occurrant. Antequam vero Menſes illos hic ordine, vel alphabetica ſerie, demonſtrem, quorundam Menſium nomina ſubieciſſe nunc iuverit, quae in Saviliano Codice cum *Romano Ianuario* committuntur [1].

Τυβί	*Tybi*	Alexandrinorum
Αὐδιναῖος	*Audinaeus*	Graecorum
Ἀπελλαῖος	*Apellaeus*	Tyriorum
Αὐδιναῖος	*Audinaeus*	Arabum
Δῖος	*Dius*	Sidoniorum
Θόριν	*Thorin*	Heliopolitarum
Δῖος	*Dius*	Lyciorum
Ποσειδεών	*Poſideon*	Athenienſium
Μετάρχιος	*Metarchius*	Cretenſium
Ἰούλιος	*Iulius*	Cypriorum
Περίτιος	*Peritius*	Epheſiorum
Διονύσιος	*Dionyſius*	Bithynorum
Λύτανος	*Litanus*	Cappadocum

III. *Aegi-*

(1) Vſſer. cap. 4. Pag. 40.

III.

Aeginetae

Vnicus eſt Aeginetarum menſis Δελφίνιος *Delphinius*, qui a Graecis Scriptoribus, utroque nimirum Pindari Scholiaſte, memoretur. Cum enim Pindarus Pytheam Aeginetam, qui in Nemeacis Ludis *pancratio* palmam retulerat, celebrans dixiſſet

Α' Νεμέα μὲν ἄρηρε,
Μείστ' ἐπιχώριος, ὃν φίλησ' Α'πόλλων (1)
Nemea quidem aptata eſt Ei,
Menſiſque patrius, quem amat Apollo:

Scholiaſtes haec adnotavit: παρ' Α'ιγινήταις Δελφίνιος μεὶς ἄγεται Δελφινίȣ Α'πόλλωνος ἱερὸς, ἐν ᾧ ἴσως φησὶ γεγενῆσθαι τὰ Νέμεα. κ̀ εἴη ἂν ὁ μὴν ȣ̃τος, ἐν ᾧ θύȣσιν Α'ιγινῆται Α'πόλλωνι οἰκιςῇ, κ̀ δωματίτῃ. *apud Aeginetas Delphinius menſis habetur Delphinio Apollini ſacer, in quo Nemea quoque celebrata fuiſſe dicit: menſiſque iſte fuerit, in quo Apollini coloniae aediumque praeſidi*, vel auctori, *ſacrificant Aeginetae:* quemadmodum Scholiaſtes alius obſervavit Μεὶς ἐπιχώριος. ὁ Δελφίνιος μὴν καλȣ́μενος, καθ' ὃν τελεῖται Α'πόλλωνος ἀγὼν Υ'δροφόρια καλȣ́μενος *Menſis patrius. Delphinius menſis vocatus. in quo Apollini Certamen celebratur, quod Hydrophoria dicitur.* Itaque, ſi Delphinio Aeginetarum menſe Nemeaci Ludi agebantur, Delphinius ille cum Hecatombaeone, ſive Gamelione Attico committi debet; cum illo quidem *aeſtivae*, hoc autem *hibernae* Nemeades agerentur, ut in Agoniſticis Diſſertationibus contra Dodvellum oſtendi. Ac certe Dodvellus (2) ipſe, qui Nemeadas Attico Metagitnione celebratas eſſe putavit, Delphinium menſem cum Metagitnione committendum voluit; nihilque veriſimilius eſſe obſervavit, quam menſes illos uni, eidemque Apollini conſecratos ſibi accuratiſſime reſpondiſſe. Quandoquidem vero Aeginetae Pauſania (3) teſte Argivorum colonia fuerant, facile coniicere vel ſuſpicari quis poſſet Aeginetas ipſos non aliis, quam Argivorum, menſibus uſos fuiſſe; adeoque *Hermaeum* Argivum Aeginetis etiam adſcri-

(1) Nem. V. ver. 81. (2) Diſſer. VII. ſect. 11. (3) Corinth. c. 29.

bendum esse; nisi eiusmodi coniecturae genus levissimum, fallaxque foret; atque Hermaeus Argivus, Delphinii Aeginetae instar, eidem Attico Hecatombaeoni respondisse videretur, ut mox ostendemus.

IV.

Aegyptii

Fieri certe vix potest ut de civilibus Graecarum Vrbium annis, mensibus, ipsorumque Periodo loquuturus aliqua de civilibus etiam Aegyptiorum annis hic opportune non differam: cum celeberrimus ille Aegyptiorum annus, mensiumque nomina apud Plutarchum, aliosque plurimos Graeciae Scriptores frequentissime occurrant; atque Aegyptiorum menses, Periodus, annique forma a Graecis etiam Vrbibus usurpata fuerit, ut opportunius ostendetur ubi de communibus Cypriorum mensibus agendum erit. Quamvis autem plurima de Aegyptiorum mensibus, atque Periodo ex uberrimis Scaligeri (1), Petavii (2), Norisii, (3) & Averanii (4) fontibus expressa proponi facile possent, suprema solum hic rerum capita complecti iuverit, ut perplexitas illa, ac opinionum varietas ostendatur, quae in definienda Aegyptii anni forma apud principes etiam, clarissimosque Viros conspicitur; simulque vera tum veteris, tum novi anni forma clarioribus, ut opinor, atque certioribus characteribus demonstretur.

Itaque civilis ac vetus Aegyptiorum annus ex Scaligeri, Petavii, Norisii, aliorumque Chronologorum omnium sententia 365. dies ita complectebatur, ut mensium singuli *tricenarii* forent; ac post *tricesimam* ultimamque Mesore diem *quinque* solum dies, veluti *Epagomenae*, sive adiunctae, subiicerentur; iterumque post Epagomenas ipsas, neglectis semper sex horis, aut intercalari die, quae quarto quoque anno ex horis ipsis componi, inserique poterat, novus *Thot*, sive prima civilis alterius anni dies, hoc est annus alius, inciperet: ut in subiecta mensium Aegyptiorum serie conspicitur

I. Θωθ

(1) Emend. Temp. Lib. III Pag. 194. & V. Pag. 194. (2) Doctr. Temp. Libr. IV. c. 5. (3) De Epoch. Syro-Maced. Differ. III. (4) De Mens. Aegypt.

I.	Θώθ	*Thot* dier.	30.	IX.	Παχών	*Pachon*	30.
II.	Φαωφί	*Phaophi*	30.	X.	Παϋνί	*Payni*	30.
III.	Α'θύρ	*Athyr*	30.	XI.	Ε'πιφί	*Epiphi*	30.
IV.	Χοιάκ	*Choeac*	30.	XII.	Μεσορῆ	*Mesore*	30.
V.	Τυβί	*Tybi*	30.				
VI.	Μεχίρ	*Mechir*	30.	Dies collecti			360
VII.	Φαμενώθ	*Phamenoth*	30.	dies Epagomenae			5
VIII.	Φαρμȣθί	*Pharmuthi*	30.	Anni dies			365

Exinde vero perſpicue apparet quod ſi vetus ille Aegyptiorum annus cum Iuliano Romanorum anno conferatur, in quo praeter 365. dies, ſex inſuper horae continentur, ideoque ſingulis quadrienniis intercalaris una, vel embolima dies inſeritur, ut quartus quique annus 366. dies complectatur, Aegyptius Thot, annique cardo ſingulis quadrienniis ab illa Iuliani anni die, in quam inciderat, integro diei unius ſpatio retrogradiendo aberrabit; ut proinde retrogradus ille Aegyptii anni cardo, vel Thot, per ſingulos anni Iuliani dies ſenſim excurrat, iterumque exacto 1460. annorum Iulianorum ſpatio ad eandem illam anni Iuliani diem, ex qua diſceſſerat, accuratiſſime revertatur. Ita civilis Aegyptiorum annus aut Thot, qui Cenſorino teſte(1) anno V. C. 891. vel Chr. 138. die 20. Iulii inceperat, anno V. C. 895. die 19. menſis ipſius incepiſſe debuit; idemque Thot annique principium anno V. C. 991. in 25. Iunii diem incidere; ut anno demum V. C. 2351. Thot ille, qui retrogradiendo per ſingulos anni Iuliani dies evagaverat, ad eandem illam 20. Iulii diem rediret. Hinc annus ille, ſive anni cardo, *mobilis*, *vagus*, *retrogradus* appellari conſueverat; ſemperque nova diſtinctaque anni Iuliani die incipiebat, quae facile inito calculo ex ſuperiori methodo, annique forma iam explicata deprehendi poterit. At ubi Caeſar Auguſtus proximo poſt victoriam Actiacam anno, Antonio & Cleopatra ſublatis, Aegyptum eſt ingreſſus decrevit *τήν τε ἡμέραν ἐν ᾗ ἡ Α'λεξάνδρεια ἑάλω ἀγαθήντε εἶναι, καὶ εἰς τὰ ἔπειτα ἔτη ἀρχὴν τῆς ἀπαριθμήσεως αὐτῶν νομίζεσθαι* (2) *ut & dies, quo Alexandria capta eſt, feſtus haberetur, atque ab illo annorum deinceps numerandorum initium ſumeretur*. Itaque Scaliger, Peta-

 vius

(1) De die Natali c. 21. (2) Dio Libr. LI.

vius, Norisius, Dodvellus, ceterique Scriptores omnes una veluti voce conspirant ut Actiacos, sive Augusteos Aegyptiorum annos ab anno V. C. 724. Nabonassari 719 P. I. 4684. numerari cepisse velint; eamque in civilibus Aegyptiorum annis varietatem invectam esse ut, cum Thot antea mobilis, semper retrogradus, vagusque foret, tunc fixus esse coeperit; ideoque civilis annus in posterum semper a 29. Augusti Iuliani die, in quam eo anno Thot inciderat, in communibus annis inciperet, in embolimaeis autem a 30. Augusti die: quod nimirum duodecim mensibus, ut antea, tricenariis *quinque* epagomenae in communibus annis accederent, atque in embolimaeis Aegyptiorum annis, qui bissextiles Iulianos annos proxime praecedebant, *sex* epagomenae adiungerentur. Hinc novus iste Aegyptiorum annus Thot *fixus*, vel *Actiacus*, vel *Augustalis* vocatur; eiusque cardo ac initium 490. diebus *Augustalis* sive potius *Augustani* Romanorum anni initium praecessit; cum ille a 29. Augusti die anno V. C. 724. P. I. 4684. hic vero a Kalendis Ianuarii anno V. C. 726. P. I. 4686. inceperit. Recepta vero ab Aegyptiis hac nova Iuliani, fixique anni forma, veteris, retrogradi, atque ut Norisii verbis utar, *vagi anni usus apud solos Astronomos remansit*: quemadmodum certe Nicolaus Averanius in aureolo prorsus Libello *de Mensibus Aegyptiorum*, quem Cl. Gorius edidit, mira atque incredibili subtilitate, ac ingenii vi ex plurimis Ptolemaei, ac Theonis etiam observationibus accuratissime demonstravit *nullum unquam annum apud Aegyptios pluribus quam 365 diebus componi solitum fuisse* (1), cum *Aegyptii nunquam diebus intercalaribus uterentur* (2).

Clarissimum tamen Italiae nostrae decus Scipio Maffeius (3) constantem illam Scaligeri, Petavii, Norisii, aliorumque *sententiam, in quam Chronologorum chorus conspirat, in dubium non una tantum de caussa revocavit* (3); quod nimirum recens illa Aegyptii anni forma sine luculentis, ac disertis Veterum testimoniis adstruenda non erat; quod eadem mensium Aegyptiorum nomina post Augustum perstiterint, quibus antea utebantur; quod Censorinus Augustorum annos aliter quidem ab Aegyptiis, quam a Romanis, numeratos, non autem ad Romani anni formam directos fuisse dixerit; quod Dionis verba id unum

(1) Cap. 7. pag. 48. (2) Cap. 8. pag. 62. (3) Galliae Antiqu. Epist. VIII.

num praeseferant Aegyptiorum annos in posterum ab Actiaca victoria numeratos esse; non vero veterem anni formam mutari, tricenarios menses reiici, novam diei intercalationem admitti coepisse; quod Plinius (1) *sextam* Mechiris Aegyptii diem cum Ianuariis Romanorum idibus commiserit; quod Porphyrius (2) Aegyptii anni initium a cancro desumi dixerit, Censorinus autem *semper a primo die mensis eius, cui apud Aegyptios nomen est Thot* (3), adeoque nunquam Aegyptii a Ianuario annum auspicati sint; quod Censorino ipso teste anno V.C. 981. civilis Aegyptiorum annus die 20 Iulii, ac anno V.C. 991. quo ipse scribebat, 25. Iunii die inceperit; quod plurima Epagomenarum post Augustum quoque ab Aegyptiis adhibitarum mentio apud Scriptores occurrat, atque Syncellus adiectitios dies post *vigesimam quartam* Augusti diem ab Aegyptiis interseri doceat: quod denique Geminus nitide diserteque de Aegyptiis dixerit ἄγουσι τον ἐνιαυτὸν ἡμέρων τριακοσίων ἑξήκοντα πέντε. δώδεκα γὰρ μῆνας ἄγουσι τριακονθημέρους, καὶ πέντε ἡμέρας ἐπάγουσι. τὸ δὲ δ' οὐκ ἐπάγουσι, ἵνα αὐτοῖς ἀναποδίζονται αἱ ἑορταί. (4) *Agunt annum dierum 365 duodecim enim menses agunt 30. dierum, & quinque dies epactas addunt; sed quadrantem illum diei non intercalant, ut illis Festa anticipent.* Itaque, concludit Maffeius, *constat Aegyptios annum Iulianum minime adoptasse; sed mobilem, ac retrogradum perpetuo retinuisse;* tricenariis nimirum post Augustum quoque mensibus usos esse, quibus quinque adiiciebant dies; ut *antiqua* proinde *anni forma usi perpetuo sint*.

Pleraque tamen ex argumentis istis, quod eruditissimi Viri pace dictum velim, leviora fortasse censeri facile poterunt quam ut ipsorum praesidio celeberrima sententia refellatur. Facile nimirum ex Norisii, aliorumque hypothesi reponi poterit eadem mensium Aegyptiorum nomina, & Epagomenarum usum non in retrogrado solum veterique, sed in fixo quoque ac novo Aegyptiorum anno perstitisse: hoc uno tamen discrimine quod in veteri quidem *quinque;* in novo autem quartis quibusque exeuntibus annis *sex* epagomenae adhiberentur Plinii, Porphyrii, & Censorini locum non de civilibus, sed de arcanis solum, & astronomicis annis intelligendum esse. Geminum, cuius certe locus illustrior esset, ante Augusti tempora, Syllae-

(1) Libr. VI. c. 23. (2) De Antro Nymph. (3) De Die Natali c. 21. (4) In Isagoge c. 6.

laeque aetate vixiſſe ; recentem illam civilis anni formam, ſatis ex ſuperiori Dionis loco indicari ; ipſam luculentis diſertiſque veteris Epigrammatarii [1], Aëtii medici, & Iſaaci Argyri verbis oſtendi, quorum uterque Alexandriae vixit, atque Aegyptium Thot cum Septembri Iuliano committit ; perſpicuo denique Bedae teſtimonio demonſtrari, qui Aegyptii Thot, annique cardinem in 29. Auguſti Romani die collocatum eſſe teſtatur ; ſingulosque tricenarios menſes, ipſorumque initia ita cum Romanis menſibus comparavit, ut primam Thot cum 29. extremamque Meſori diem cum 23. Auguſti die coniunxerit, atque in communibus annis epagomenas *quinque* inſertas eſſe teſtetur, *quibus etiam quarto quoque anno diem ſextum, qui ex quadrantibus conficitur, annectunt.*

Quid vero quod hunc ipſum novi fixique anni cardinem magnus Scaliger eximio Marmoris teſtimonio demonſtravit ? In illo perſpicue diſerteque legitur [2] τῷ πρὸ Α̅ Νωνῶν Μαΐων, ἥ ἐςιν κατὰ Ἀλεξανδρεῖς Παχὼν ΙΑ̅ Σεξτῳ Ἐρυκίῳ Κλάρῳ Β̅ Ι'νέῳ Κλαυδίῳ Σεβήρῳ Κως. *Pridie Nonas Maii*, *quae* dies *eſt undecima* menſis *Pachon iuxta Alexandrinos* . . . *Sexto Erucio Claro iterum*, & *Cneo Claudio Severo Coſſ.* Itaque, ſi anno Chr. 145. Antonini Pii 8. *ſexta* Maii dies in *undecimam* Aegyptii Pachon inciderat, dubitari certe non poterit quin Thot 29. Auguſti die inceperit, qui tamen in veteri Aegyptii anni forma, adeoque in Maffeii hypotheſi, *decimaoctava* Romani Iulii die incepiſſet. Certius id etiam, longeque illuſtrius ex pulcherrimo Theonis teſtimonio deprehendiſſe videor, quod a Scriptoribus aliis diſſimulatum eſſe conſpicio. Accuratiſſimus Scriptor ille Lunae coniunctionem, quae anno Nabonaſſari 1112. *viceſimaquarta* Thot Aegyptii die contigerat, in *viceſimam ſecundam* Payni Alexandrini diem incidiſſe docet [3] ; Lunaeque oppoſitionem, quae in *ſextam* Phamenoth Aegyptii diem inciderat, *viceſimanona* Athyr Alexandrini die contigiſſe [4]. Itaque, cum anno Nabonaſſari 1112. ſive Chr. 374 qui certe biſſextilis erat, Thot anni veteris Aegyptiorum 24. Maii die inceperit, ex utroque Theonis calculo maniſeſtiſſime apparet Alexandrinorum Thot in 30. Auguſti Romani diem incidiſſe ; tunc ab Alexandrinis ipſis intercalatum eſſe ; adeoque illos non veteris, vagique

(1) Anthol. Libr. I. c. 91. num. 1. (2) Gruter. Pag. 214 Num. 2. (3) Comment. in Ptol. Libr. VI. c. 3. & 8. (4) In Libr. VI. c. 3. & 7.

que anni formam, sed fixi potius, constantisque Romani anni methodum usurpasse.

Quandoquidem vero Theon ubi de Payni, & Athyr disserit menses illos non *Aegyptios*, sed *Alexandrinos* appellat, ipsosque cum Thot & Phamenoth comparat, quos *Aegyptios* esse testatur, in laudato Gruteri Marmore Pachon non *Aegyptius*, sed *Alexandrinus* solum vocatur; Censorinus denique non de *astronomicis*, sed de *civilibus* potius, ac *popularibus* annis loquutus videtur, suspicari iam subit quod Aegyptii menses illi non *astronomici* solum, ut Scaliger, Petavius, Norisius, ceterique Scriptores omnes putarunt, sed, Alexandrinorum instar, *civiles* etiam, ac populares esse debuerint: ut proinde *civilis* Aegyptiorum annus a *civilibus* Alexandrinorum annis accuratissime distingui debeat; ut hi quidem a fixo, constantique Thot veluti cardine ducerentur; illi vero retrogradum Thot iuxta veterem anni formam constantissime conservarint.

Certe hac hypothesi, quae omnium verisimillima censeri fortasse poterit, dissidentes illae doctissimorum Virorum sententiae componi facile poterunt; simulque rationes, & exempla singula intelligi, quibus alterutra opinio defendi solet. Ita nimirum civilis aliquis Aegyptiorum annus post Actiacam victoriam a constanti quodam fixoque cardine deduci coeperit, quod Scaliger ceterique putarunt; & civilis tamen alius Aegyptiorum annus, eiusque cardo adhuc retrogradus esse perstiterit, quod Maffeio videbatur: ut proinde utraque ex parte Scriptores illi aberraverint, qui civiles omnes Aegyptios annos vel *fixos*, vel *retrogrados* esse putarunt.

Quod si fortasse cui libeat in laudatis Veterum testimoniis *Aegyptii* anni nomine *astronomicos* solum arcanosque intelligere, atque *Alexandrinorum* voce *civiles* annos ab Aegyptiis omnibus usurpatos, nihil moror. Id unum certissime contra Maffeium demonstratum esse putaverim Alexandrinos saltem novam Romanamque civilis anni formam usurpasse, cuius Thot in anno Iuliano fixus, ac immobilis foret, adeoque in varias Aegyptii veteris vagique anni dies incideret. Ita prorsus Averanius ipse, quem Maffeio praeluxisse quis dixerit, aberrasse conspicitur quod non Aegyptios solum, sed Alexandrinos etiam annos, ipsorumque cardinem Theonis etiam aetate semper mobilem, vagum, ac

ac retrogradum fuisse crediderit; ideoque, cum ex superiori Theonis calculo deprehendisset anno Chr. 374. Alexandrinorum Thot in *octavam* Aegyptii Choeac diem incidisse, *certum esse* dixerit *Alexandrinos exordium anni habere die octavo mensis Choeac iuxta Aegyptios* (1): quod asseri certe, vel explicari non poterit nisi civilis ipse Alexandrinorum annus, Aegyptii instar, mobilis, vagusque foret: quod a perspicuis tamen certisque Veterum testimoniis abhorrere iam diximus.

V.

Argivi

Civilis Argivorum annus ex verisimillima Dodvelli (1) sententia ineunte vere incipiebat, ipsorumque singuli mulieris eius nomine, veluti perspicuo, certoque charactere, distingui consueverant, quae *Iunonis Argivae* Sacerdotio, quoad ipsa viveret, fungebatur; ut Thucydidis, aliorumque testimonio demonstratur. Qua vero Periodo, quibusve mensium nominibus Argivi uterentur, in tanta rerum obscuritate, veterumque Scriptorum silentio, coniicere, vel divinare vix possumus. Cl. Dodvellus, cum Argivos Macedonum coloniam fuisse crederet, ab Argivis ipsis non alios, quam Macedonum, menses in civilibus annis usurpatos esse putavit. Doctissimo tamen, atque immortali Viro levius illud coniecturae genus hic, alibique saepius imposuit. Etenim plurimis exemplis aliis, quae mox proferentur, ostendi facile poterit Gentes illas, quae ab aliis originem, ritus etiam, ac leges sortitae fuerant, variis omnino mensium nominibus, annique cardine uti consuevisse; quemadmodum certe Dodvellus ipse civiles Argivorum annos a vere, Macedonum vero ab autumno repetendos esse putavit. At, ne coniecturis istis hic immorer, perspicuo Plutarchi testimonio deprehendisse videor Argivorum menses non sequioribus solum, sed antiquioribus etiam temporibus non Macedonicis, sed aliis omnino distinctisque nominibus appellatos esse. Narrat Plutarchus Argivas mulieres, Telesilla duce, patriam Vrbem a Cleomenis Lacedaemoniorum Regis obsidione, atque tyrannide liberasse: tum sub-

(1) Cap. 9. Pag. 65. (2) Differt. VII. sect. 9.

ſubdit: *τὴν δὲ μάχην οἱ μὲν ἑβδόμῃ λέγουσιν ἱςαμένου μηνὸς, οἱ δὲ νουμηνίᾳ γενέσθαι τοῦ νῦν μὲν Τετάρτου πάλαι δὲ Ἑρμαίου παρ' Ἀργείοις, καθ' ἣν μέχρι νῦν τὰ Ὑβριςικὰ τελοῦσι* (1) *pugnam autem alii quidem ſeptima, alii vero prima* eius *menſis* die *contigiſſe dicunt, qui nunc quidem Quartus, antiquitus vero Hermaeus ab Argivis vocabatur: qua nunc etiam Hybriſtica* Feſta *celebrant*. Ita propemodum Poliaenus ipſe teſtatur Teleſillae facinus, atque Hybriſtica Feſta *νουμενίᾳ τοῦ Ἑρμαίου μηνὸς novilunio Hermaei menſis* ab Argivis celebrari. Quemadmodum ergo *quartus* Argivorum menſis non Macedonico, ſed peculiari potius Argolico nomine tum Herodoti, qui eandem illam mulierum Argivarum victoriam memoravit, tum Poliaeni, & Plutarchi aetate vocabatur, dubitari certe non poterit quin ceteri quoque menſes omnes Argolicis, ſuiſque nominibus accuratiſſime diſtinguerentur; quamvis illa, ſi *Quartum* vel *Hermaeum* illum exceperis, prorſus exciderint. Quod ſi rite feliciterque Dodvellus civiles Argivorum annos ab ineunte vere veluti cardine repetendos eſſe coniecit, Hermaeus ille cum Hecatombaeone Attico concurreret, ideoque Nemeades aeſtivae, quae *duodecima* Hecatombaeonis Attici, ſive Corinthii Panemi, die celebrabantur, *duodecimae* quoque, ſi menſium initia conſpiraverint, Hermaei Argolici diei adſcribi debent.

VI.

Attici

De civilibus Athenienſium annis, ipſorumque cardine, atque Periodo, quae tum antiquioribus, tum ſequioribus etiam temporibus uſurpata fuit, de menſium nominibus, numero, embolimi diei, menſiſque ſitu, de pluribus denique, quae ad civiles ipſos Athenienſium annos ſpectare poterant, variis in locis, prout rerum opportunitas tulerat, ita diſputavi, ut ipſorum pleraque perſpicuis certiſque Veterum teſtimoniis demonſtraverim (2). Itaque, ne plura, quae diſputata iam fuerint, retexere hic videar, ſuprema ſolum capita com-

(1) De Virtut. Mulier. Vide Pauſan. Corinth. c. 20. & Laconic. c. 4. (2) Diſſert. II. Numer. 8. & 29.

plecti, vel indicare nunc iuverit, ut exinde mensium quorumdam series aut situs accuratius adhuc, atque subtilius ostendatur.

Atque, ut ab ipso civilis anni cardine exordiar, civilis & archonticus etiam Atheniensium annus ante Olymp. LXXXVII. a Gamelione mense, hoc est a novilunio, quod brumae proximius erat, incepit. At Olymp LXXXVII. anno I. recepta Metonis Enneadecaeteride civilis & archontici simul anni principium ab Hecatombaeonis Attici novilunio deduci coepit: ut proinde civilis annus cum Olympico accuratissime coniungeretur. Id pluribus Veterum testimoniis, simulque exemplis ostenditur; ut proinde hac in parte Scaliger, Petavius, Dodvellus, tres illi maiorum gentium Chronologi, una veluti voce conspirent; nisi quod Scaliger Hecatombaeonis initium semper post aestivi solstitii cardinem incidisse; ideoque nunquam *nonam* Iulii diem praevertisse voluit; Petavius vero neomeniam illam civilis anni cardinem esse putavit, quae solstitio proximior foret, sive ipsum praecederet, sive aliquando proxime consequeretur. Quis vero conicere, vel definire unquam possit an civilis ille anni cardo sequioribus etiam temporibus constans fuerit; an vero potius Athenienses ipsi civiles annos ad Macedonum normam direxerint; ideoque civilis anni prnicipium ab aestivi solstitii cardine ad aequinoctium autumnale, hoc est ab Hecatombaeone mense ad Boedromionem, transtulerint? Vehemens haec certe mihi suspicio, neque immerito fortasse, suborta iam fuerat ubi in duplici Sponiano Marmore, quod Differt. XI. Num. 21. & 23. iam protuli, Atticorum mensium seriem ita contextam esse conspexeram, ut *Gymnasiarcharum* munus, ac series, simulque mensium ordo non ab Hecatombaeone, sed a Boedromione potius, inciperet. Quid enim Gymnasiarcharum munus, gymnasticae exercitationes, Ephebotum series, militiae Eponymianae tempus, de quibus alibi disputavi (1), a Boedromione solum, veluti cardine duceretur, nisi a Boedromione ipso civilis annus inciperet? Qui fieri, vel explicari unquam poterit ut cives illi *Gymnasiarcharum*, *Cosmetarum*, *Ephebotum* munus *C. Iulii Casii*, & *Philotimi* Archontis anno obiverint, si decem solum ex iis ad *C. Iulii Casii*, & *Philotimi* Archontis annum, alii vero

(1) Differt. XI. Num. 5. & 6.

vero ad sequentem potius annum spectaverint? Denique, cum militiae tempus, ac Epheborum aetas Archontis Eponymi nomine accuratissime notaretur, qui fieri unquam poterat ut Epheborum exercitatio a Boedromione, civilis autem Archontis annus ab Hecatombaeone, veluti cardine, duceretur? Haec, aliaque id genus argumento fortasse esse poterunt Archontum illorum aetate civiles Atheniensium annos ab aequinoctio autumnali, Atticoque Boedromione incepisse. Quid vero si divinando quis dixerit id anno 3. Olymp. CXXVII. contigisse, quo Hadrianus Caesar imperio iam potitus Athenas primum invisit [1], atque incredibili prorsus amore, ac munificentia florentissimam Vrbem, eiusque cives est prosequutus? Certe, Augusto Caesari hunc etiam honorem delatum esse conspicio, *ut quaedam Italiae Civitates diem, quo primum ad se venisset, initium anni facerent* [2]; ac, ne ceteris exemplis immorer, Athenienses ipsi civiles annos *ἀπὸ τῆς Θεȣ̃ Ἀδριάνȣ πρώτης ἐις Ἀθήνας ἐπιδημίας a primo Divi Adriani Athenas adventu* numerare coeperunt, ut nitide diserteque in eximio Marmore legitur, quod opportunius alibi exponam. Itaque, cum Hadrianus Caesar ex Dione *ἀφικόμενος ἐς τὴν Ἑλλάδα ἐπώπτευε τὰ Μυςήρια in Graeciam profectus Mysteria spectavit*; vel, ut Eusebius ait, *παραχειμάζων ἐν Ἀθήναις τὰ Ἐλευσίνια ἐποπτεύει Athenis hiemem exigens Eleusinia spectavit*, ideoque facile Boedromione mense, quo Mysteria agebantur, Athenas appulerit, fortasse Athenienses, sicuti annorum seriem b ipsius adventu, ita civilis anni principium a mense illo duxerint, quo Caesar ipse Vrbem intraverat. Ita propemodum eodem ipso Olympiadis anno factum putaverim ut Pyanepsion ex quinto in quartum locum migraret; ut fortasse Festa, quae Pyanepsione mense peragebantur, Caesari Athenis immoranti citius exhiberentur: quemadmodum eadem ipsa de caussa Boedromionis, atque Anthesterionis situm, aut potius nomina, in Demetrii Regis gratiam perturbata fuisse conspicimus; ut ille nimirum tum parvis, tum magnis etiam Mysteriis repente initiari posset [3]. Ac certe civilis anni cardinem ab aestivi solstitii tempore ad autumnale aequinoctium translatum fuisse perspicuo Epiphanii testimonio demonstravit Petavius [4]; cum Epiphanius [5]

 ipse

(1) Vid. Disser. X. Num. 16. (2) Sueton. c. 59. (3) Plutar. in Demetr. (4) Doctr. Temp. Libr. IV. c. 8. (5) Haeresi LI. Num. 24.

ipſe Maemacterionis Attici initium ad *primam* Ianuarii, & Metagitnionis ad *ſecundam* Novembris, adeoque Hecatombaeonis initium ad *ſecundam* Octobris Romani diem revocaverit: perinde quaſi Epiphanii aetate Athenienſes ipſi ab autumno quidem ineunte annos inceperint, ſed perturbata tamen menſium ſede Hecatombaeonem, qui primus olim menſis fuerat, ex aeſtate ad autumnum tranſtulerint. Ita prorſus Epiphanii aetate Maemacterion, qui in duplici Sponiano Marmore poſt Pyanepſionem collocatur, in veterem quartumque locum, hoc eſt ante Pyanepſionem, reſtitutus conſpicitur; ut optime proinde dixerit Suidas Maemacterionem ipſum *Ianuario* repondiſſe, quamvis illum adhuc in menſium ordine *quintum* fuiſſe putaverit.

Exinde vero iam facile dirimi, componique poterit celeberrima quaeſtio ac diſſidium de Pyanepſionis, ac Maemacterionis ſitu, quae inter Scaligerum, ac Petavium exarſerat; atque a clariſſimis Viris illis ita pertractata fuit, ut ipſorum uterque fortaſſe aberraverit. Etenim Scaliger Pyanepſionem ipſum in Atticorum menſium ordine *quartum* ſemper locum occupaſſe voluit; idque pluribus Scriptorum teſtimoniis oſtendi poſſe putavit (1). Petavius vero ſingula Scaligeri argumenta ſubtiliter, & acerbe ſimul eliſit; variiſque veterum Scriptorum teſtimoniis oſtendit Ariſtotelis, Theophraſti, Timocharidis, & Epiphanii aetate Boedromioni non Pyanepſionem, ſed Maemacterionem ipſum, proxime ſucceſſiſſe. Quandoquidem vero Maemacterion ab Harpocratione, & Suida πέμπτος μὴν παρ' Ἀθηναίοις *quintus menſis apud Athenienſes* vocatur, atque in veteribus Membranis illis, ſive Lexico, quod ab Henrico Stephano vulgatum fuit, Pyanepſion ante Maemacterionem collocatur, Petavius Harpocrationem *de lunari menſium Atticorum ordine loquutum* ait (2); *Harpocrationem temere, ac promiſcue recentiorem ſitum menſium Atticorum in anno fixo, ac Iuliano confudiſſe cum veteri* (3). *Harpocrationi, & veteri illi Lexico Epiphanium opponi* (4); denique exiſtimat Harpocrationem ipſum cum Epiphanio conciliari poſſe quod *Maemacterion* ex Epiphanii ſententia prima Ianuarii die inceperit, adeoque Tybi, ſive *quinto* Alexandrino menſi reſponderit, proindeque Harpocration, qui Alexandrinus erat,

Mae-

(1) De Emend. Temp. Libr. 1, Pag. 28. (2) Libr. I. c. 10. (3) Libr. IV. c. 8.
(4) Libr. I. c. 16.

Maemacterionem πέμπτον μῆνα *quintum mensem* dixerit: *quod si Maemacterion quintus ordine mensis aliquando fuit, tum Scirrhophorion princeps esse coeperit* (1); quamvis ingenue modesteque Petavius ipse testetur se *haec coniectando, ac divinando potius, quam affirmando, proponere*. Sed doctissimum certe Virum maxima Scriptorum perplexitas, & inconstantia, simulque vehemens & acerbior illa Scaligeri, Salmasiique refellendi cupiditas abripuit, ut levioribus illis coniecturae generibus uteretur. Quod enim Harpocrationem de lunari mensium Atticorum ordine, non de veteri, sed de novo, fixoque Atheniensium anno loquutum fuisse dixerit, id controversiae dirimendae conferre certe non poterat. Etenim varietas illa, quae apud singulas fere Orientis Gentes invecta fuit, ut civiles annos ad Iuliani anni formam dirigerent, in caussa fuit ut *solaribus* quidem, ac *tricenariis* mensibus uterentur, embolimos etiam dies insererent; sed eadem tamen mensium nomina, ipsorumque seriem constantissime conservarunt, ut facile exemplis innumeris ostendi posset. Ergo, quamvis Athenienses ipsi novum, solarem, fixumque civilem annum receperint, & Harpocration hic illum expresserit, si Maemacterion in novo anno *quintum* locum occupaverit, nihil est certe cur in veteri *quarto* potius adscribatur, nisi peculiaris illa varietas, & perturbatio characteribus ac indiciis aliis ostendatur. Cum vero Petavius Harpocrationi, veterique Lexico Epiphanium opponi posse putavit, nimium fortasse gravissimi Scriptoris auctoritati ille detrahit, qui longe ante Epiphanii aetatem, atque vigentibus adhuc Atheniensium ritibus, ac institutis floruerat; singula suis ex fontibus, hoc est ex Atticis Scriptoribus hauserat, ipsum denique Maemacterionis situm ex Lysimachidis Opere de *Atheniensium Mensibus* definire se dixerat. Vbi vero dissidentes illas Harpocrationis, & Epiphanii sententias componi posse putavit quod Harpocration Atheniensium menses cum Romanis simulque Alexandrinis mensibus commiserit; ideoque, quum Maemacterion in Tybi, sive *quintum* Alexandrinorum mensem, incideret, ipsum *quintum* vocaverit, perspicue ille fallitur. Etenim Harpocrationi dum ista scriberet non patrius Alexandrinorum mensium ordo ac Periodus, sed una potius Atticorum mensium

(1) Libr. IV. c. 8. & in Auctar. Libr. VI. c. 5.

ſium ſeries a Lyſimachide expreſſa oculis obverſabatur, unde Maemacterionem non apud Alexandrinos, ſed *παρ' Ἀθηναίοις apud Athenienſes* quintum menſem fuiſſe ille docuit. Ita propemodum Harpocration ipſe de Metagitnione, Poſideone, Munychione diſſerens ait quod Metagitnion eſt *δεύτερος μὴν παρ' Ἀθηναίοις ſecundus menſis apud Athenienſes*; Poſideon *ὁ ἕκτος μὴν παρ' Ἀθηναίοις ſextus menſis apud Athenienſes*; Munychion *ὁ δέκατος μὴν παρ' Ἀθηναίοις decimus menſis apud Athenienſes*. Itaque, ſi in menſium iſtorum numero, ac ſitu definiendo non Alexandrinam Periodum, ſed veterem potius conſtantem Atticorum menſium ſeriem ab Atticis Scriptoribus traditam, accuratiſſime Harpocration expreſſit, qui fieri unquam potuit ut in Maemacterionis ſitu exprimendo non Atticae, ſed Alexandrinae ſolum, Periodi legibus Harpocration inſtiterit? Certe, ſi Maemacterion, qui in menſium Atticorum ordine ex Petavii ſententia tunc *quartus* erat, ideo *quintus* ab Alexandrino Grammatico diceretur quod ille cum Tybi, ſeu *quinto* Alexandrinorum menſe concurreret, eodem ipſo iure Metagitnion *tertius*, Poſideon *ſeptimus*, Munychion *undecimus* in menſium ordine vocatus eſſet. Ad haec Harpocration ipſe de Maemacterionis eiusdem nomine diſſerens mox ſubdit quod *ἀρχὴν λαμβάνοντος τοῦ χειμῶνος ἐν τούτῳ τῷ μηνὶ, ὁ ἀὴρ ταράττεται hieme ab hoc menſe incipiente perturbatur aer*: quod fieri certe, vel explicari non poterit ſi Scriptor ille Maemacterionem ad Tybi *quintum* Alexandrinorum menſem, hoc eſt Ianuarium retuliſſet.

Itaque in tanta Veterum perplexitate, ac diſſidio id unum facile contra Scaligerum conſtitui poſſe putaverim quod Maemacterion uſque ad Olymp. CXVI qua Praxibulo Athenis Archonte Theophraſtus ſcribebat (1), Boedromioni proxime ſubiicebatur: id enim perſpicua Ariſtotelis, ac Theophraſti loca a Petavio laudata demonſtrant. Timocharidis etiam aetate Maemacterion eundem illum in civilibus annis locum adhuc obtinuit. Etenim ex eius obſervatione, quae anno Nabonaſſari 466. V. C. 472. hoc eſt 2. Olymp. 124. P. I. 4431. peracta fuit (2), inter 8. Antheſterionis & 25 Pyanepſionis diem idem ille dierum 283. numerus reperitur, qui inter 29. Ianuarii, ac 8. Novembris Iuliani diem intercedit;

(1) Plin. Libr. XXXIII. c. 7. (2) Ptolem. Libr. VII. c. 3.

dit; adeoque Pyanepsion ipse *quintam*, ac Maemacterion *quartam* sedem occupavit (1). Hic ipse Pyanepsioni locus in civilibus Athenienſium annis a Plutarcho, qui Traiani Caesaris aetate floruit, non obscure tribuitur. Siquidem Scriptor ille (2) Aegyptium Athyr cum Attico Pyanepsione, ac Boeotorum Damatrio committit; ideoque, cum Plutarchus Scaligero (3), ac Petavio (4) teste non alios, quam Actiacos ibi, vel fixos Aegyptiorum menses expresserit, in quibus Thot Romano Septembri, adeoque Boedromioni Attico respondebat, Phaophi mensis Maemacterioni, Athyr ipse Pyanepsioni coniungebatur. Proxime vero post Traianum ipsum, qui anno Chr. 117. moriens imperium Hadriano reliquit, constantem illam mensium istorum sedem perturbatam esse ut Pyanepsion in *quartum*, Maemacterion vicissim in *quintum* locum migraret, utriusque Sponiani Marmoris praesidio (5), & Harpocrationis etiam auctoritate, qui extremis Hadriani temporibus, atque ipsa certe Antonini Casaris aetate floruit, manifestissime demonstratur. His accenseri facile poterit eximius ille Arriani locus, quem opportunius alibi exhibui (6); ubi accuratissimus Scriptor ille testatur Alexandri victoriam Pyanepsione mense, priusquam ab insigni Lunae deliquio integrum mensis spatium excederet, contigisse. Itaque, cum eclipsis illa in Mysteriorum initium, adeoque Boedromionem mensem, inciderit (7), ex Arriani hypothesi, ideoque facile ex Atticorum mensium situ, qui Arriani ipsius aetate, hoc est ex Suida Hadriani, Marci, & Antonini temporibus, habebatur, Pyanepsion ipse Boedromionem proxime consequebatur. Denique Epiphanii aetate, vel exeunte iam IV. Ecclesiae seculo, postquam civilis Attici anni cardo, & Hecatombaeon ipse ex aestivo solstitio ad proximum aequinoctium migraverat, Iulianique anni forma ab Atheniensibus recepta iam fuerat, Maemacterion veteri pristinaeque sedi restitutus videtur, ut Metagitnion Novembri, Maemacterion Ianuario coniungi potuerit; quamvis Marinus in *Vita Procli* apud Fabricium 17 Munychionis Attici diem cum 17 Romani Aprilis, adeoque Hecatombaeonem cum Iulio commiserit: quod fortasse Marinus hic vete-

(1) Vid. Dodv. Diss. II. sect. 5. & Petav. Auctar. Libr. VI. c. 3. (2) De Iside. (3) Libr. V. Pag. 454. (4) Auctar. Libr. VI. c. 5. (5) Differt. XI. Numer. 5. & 6. (6) Differt. II. Num. 30. (7) Plutar. in Alexan.

veterem potius, quam novam, Attici anni formam, mensiumque sedem expresserit; aut in civilibus Atheniensium annis ipsorumque cardine Procli aetate nova varietas, ac perturbatio irrepserit: quod certo tamen asseri, vel definiri non potest. Atque ista quidem de varietate, quae in mensium quorumdam ordine, ac situ, simulque in civilis Attici anni cardine variis subinde temporibus invecta fuit. Id unum coronidis loco subiecisse nunc iuverit quod mensis ille, qui Hecatombaeon vocatur, antiquioribus temporibus Theseique aetate *Cronius* dicebatur [1]: quemadmodum mensis alius *Lenaeon* appellari consueverat; nec alius fortasse ille fuerit, quam *Anthesterion*, quo *Lenaea* Festa peragebantur; quamvis Etymologus Lenaeonem illum cum Aegyptio Choeac prorsus immerito comparaverit; sicuti in veteri Mensium Laterculo apud Stephanum *Posideon* esse dicitur: *Ληναιὼν, ὁ κ̀ Ποσειδεών; Lenaeon qui & Posideon*; cum tamen apud Ephesios, qui veterem Ionum, atque Atheniensium proinde Mensium seriem conservasse videntur, Lenaeon a Posideone perspicue distinguatur.

VII.

Bithyni

Bithynorum Mensium nomina, ipsorumque seriem Gyraldus [2] omnium primus exposuit; quemadmodum Scaliger [3] Bithynorum Mensium laterculum, ut in Manuscripto Graeco repererat, evulgavit, eosque cum Atticis comparavit. Haec ipsa quoque Mensium series ab Henrico Stephano ex vetustis membranis, atque ex veteri Fragmento Saviliano ab Vsserio descripta fuit; quamvis aliqua subinde varietas in quibusdam Mensium nominibus apud varios Scriptores illos occurrat; ut in subiecta serie conspicitur:

Ἡραῖος (1)	*Heraeus*	1. Ἥρεος Gyr. Steph. & Vsser.
Ἑρμεῖος (2)	*Hermius*	2. Ἕρμος Gyr. Ἕρμιος Vsser.
Μητρῷος	*Metrous*	

Δια-

(1) Plutar. in Theseo. (2) De Mensib. Pag. 108. (3) De Emend. Tempor. Lib. I. Pagin. 50.

Διονύσιος (3)	*Dionysius*	3. Διόνυσος Gyr.
Ἡράκλειος	*Heraclius*	
Δῖος	*Dius*	
Βενδιαῖος (4)	*Bendiaeus*	4. Βενδιδαῖος Vsser. Βερδιαῖος Gyr.
Στρατεῖος (5)	*Strateius*	5. Στρατηγιος Gyr. & Vsser.
Ἄρειος	*Arius*	
Περιέπιος (6)	*Periepius*	6. Gyr. Περιώπιος
Ἀφροδίσιος	*Aphrodisius*	
Δημήτριος	*Demetrius*	

Quandoquidem vero in singulis membranis, ac monimentis illis Mensium series ab *Heraeo*, sive *Iunonio*, veluti primo deducitur, dubitari certe vix poterit quin Heraeus ille primum in civilibus Bithynorum annis locum occupaverit; ideoque, cum Agrippa Bithynus Astronomus anno Nabonassari 840 sive Chr. 92. *septimam* Metroi Bithynorum mensis diem cum *secunda* Aegyptii Tybi coniunxerit (1), Metrous ille ex Scaligeri calculo *vicesimatertia* Novembris Iuliani die incepisse debuit. Itaque Heraei mensis, hoc est civilis Bithynorum anni, principium ad *vicesimam quartam* Septembris Iuliani diem referri debet: quemadmodum prorsus in Saviliano Codice Bithynorum *Dionysium* cum *Posideone* Attico, simulque Romano *Ianuario* commissum esse conspicimus; atque doctissimus etiam Scaliger *Aphrodisium* cum *Hecatombaeone* Attico comparandum esse putaverat; ipsumque proinde, sed immerito id tamen, *primum* Bithynorum mensem existimavit. Id vero subtiliter, accurateque Petavius (2) contra Scaligerum observavit quod populares Bithynorum anni Domitiani Caesaris aetate *lunares* esse non poterant: quod Iuliana fortasse Periodus, annique forma recepta iam foret, annique cardo in aequinoctii autumnalis tempore constitutus.

VIII.

Boeoti, aut *Thebani*

Quidquid ad veterem, recentioremque Boeotorum Periodum, ipsorumque Cyclos spectare poterat eleganter adeo, subti-

(1) Apud Ptolem. Libr. VII. c. 3. (2) Doctr. Temp. Libr. I. c. 31.

ſubtiliter, & accurate demonſtravit Dodvellus, ut civilis etiam anni formam, Menſiumque nomina, quae e Scriptoribus affulſere, ipſorumque ſitum in civilibus Boeotorum, atque Athenienſium annis oſtenderit (1). Itaque in contexenda Thebanorum, ſive Boeotorum Menſium ſerie Cl. Viri veſtigiis hic preſſius inſiſtam; nonnulla tamen opportune ſubiiciens, quibus eximiam Dodvelli ſeriem aut illuſtrari, aut augeri poſſe videatur.

Atque, ut ab ipſo civilis anni cardine exordiar, perſpicuo Plutarchi (2) teſtimonio manifeſtiſſime demonſtratur quod civilis, ſimulque lunaris Boeotorum *annus a proximo poſt brumam*, ſive hiemale ſolſtitium, *civili novilunio* incipiebat (3). Itaque primus Boeotorum menſis cum Gamelione Attico coniungebatur: idemque de ceteris Boeotorum menſibus intelligi repente poterit ubi cum reliquis Attici anni menſibus conferantur, niſi Cyclorum varietas, ac embolimorum ſedes ordinem illum ita perturbaſſet (4), ut Boeoti menſis alicuius initium in Attici fortaſſe menſis medium interdum incideret. Ita Plutarchus optime obſervavit (5) quod Plataica pugna *quarta* Boedromionis Attici, ſimulque *viceſimaſeptima* Panemi Boeoti die commiſſa fuit: quod nimirum tunc temporis ἄλλην ἄλλοι μηνὸς ἀρχὴν, καὶ τελευτὴν ἄγουσιν *aliud alii menſis initium, finemque adhibeant*. At ingens illa varietas, ac perturbatio, Metonis Enneadecaeteride mox inſtituta, ſublata fuit (6): cum Plutarchus ipſe, qui in Ariſtide, hoc eſt in Plataica pugna, quae anno 2. Olymp. LXXV. contigerat, deſcribenda diſcrimen illud notaverat, ubi Leuctricae pugnae tempus exponit aſſerit illam *quinta* Hecatombaeonis Attici, vel Hippodromii Boeoti die contigiſſe (7): quod argumento eſſe poterit anno 2. Olymp. CII. quo ad Leuctra pugnatum fuit, eadem utrobique menſium initia fuiſſe; atque in ſolo civilis anni cardine, ſive principio diſſidium extitiſſe.

Quamvis autem civilis Boeotorum annus duodecim menſibus conſtaret, *quinque* tamen ex illis adhuc incogniti ſunt; adeoque *ſeptem* ſolum a Dodvello hoc ordine recenſentur.

I. *Bucatius*. Primum hunc anni Boeoti menſem fuiſſe teſtatur Plutarchus non modo *in Pelopida*, ſed in Commentariis

(1) Differt. V. (2) In Pelopida. (3) Dodv. ſect. 5. (4) Sect. 4. (5) In Ariſtide. (6) Dodv. ſect. 14. (7) In Camillo.

tariis etiam in Hesiodum, quae Proclus [1], & Hesychius [2] exscripserant; ipsumque Hesiodi aetate *Lenaeonem* vocatum esse elegantissime accurateque demonstravit Dodvellus [3]; quamvis Scriptores alii apud Hesychium ipsum, & Proclum *Lenaeonem* illum ab Hesiodo memoratum non cum *Bucatio*, adeoque Attico Gamelione, sed cum *Hermaeo* potius Boeotorum, sive Atheniensium Anthesterione, committendum esse putaverint. Quo certe loco observari facile poterit *Lenaeonis* mensis nomen antiquitus Boeotis ipsis, Atheniensibus, atque omnibus etiam, ut videtur, Ionibus commune fuisse; quamvis deinde eiusmodi nomen apud Thebanos, atque Athenienses exciderit; ipsumque a Magnetibus solum usurpatum, atque in Oxoniensi Marmore memoratum esse observaverit Prideauxius [4]. At ab Ephesiis etiam vetus illud Lenaeonis nomen conservatum fuisse ex ipsorum Psephismate deprehendi, quod in Iudaeorum gratiam Ληναιῶνος πρώτῃ *prima Lenaeonis* die editum fuit [5]; quinetiam a Ionibus omnibus eiusmodi mensis nomen usurpatum fuisse Tzezes, & Proclus etiam asseruit: Ἴωνες τοῦτον οὐδ᾽ ἄλλως, ἀλλὰ Ληναιῶνα, καλοῦσιν *Iones hunc mensem haud aliter, quam Lenaeonem, appellant*.

II *Hermaeus*. Hesychius, simulque Proclus eiusmodi mensem Bucatio proxime successisse, atque cum Attico Anthesterione committendum esse testantur: ipsumque veteri *Lenaeonis* nomine appellatum esse contendunt; quod Lenaea nimirum Atheniensium Festa Hermaeo, vel Anthesterione mense peragerentur [6].

III. *Prostaterius*. Plerique mensem hunc Scaligero ignoratum Anthesterioni Attico respondisse volunt: quod Plutarchus asserat vini novi primitias Athenis quidem in Pythoegiorum Festo, vel *undecima* Anthesterionis die, a Boeotis vero, seu Thebis, *sexta* Prostaterii gustari consuevisse [7]. Sed, ut optime Dodvellus ipse observavit [8], non ea Plutarcho mens fuerat, ut Atheniensem simulque Boeotum mensem una committeret; perinde quasi novum vinum utrobique eodem prorsus tempore, eodemque mense gustaretur; sed varium potius tempus innuere hic voluit, quo vel Athenis, vel Thebis ri-

(1) Comment. in Hesiod. (2) In Ληναίων. (3) Differt. V. sect. 17. (4) Ad Marm. Oxon. Pag. 35. (5) Ioseph. Antiq. Libr. XIV. c. 10. Num. 12. (6) Dodv. sect. 19. (7) Symp. III. sect. 7. & VIII. quae. 10. (8) Sect. 20.

tus ille peragеretur. Ac certe, si Prostaterius Anthesterioni respondere posset, eodemque tempore Athenis, ac Thebis etiam vinum gustari coepisset, nulla in dierum numero varietas hic esse posset: cum Plutarchi aetate civilium mensium cardines, ac initia accuratissime coniungerentur. Itaque ex superiori Plutarchi loco deduci debet quod Athenis alio prorsus tempore, quam Thebis, ritus ille agebatur; adeoque Prostaterius non cum Anthesterione, cui Hermaeus coniungebatur, sed cum Elaphebolione committendus erit; ut proxime nimirum hiemem, Favoniique flatum sequatur, quod est a Plutarcho observatum. Prostaterio *quartus*, *quintus*, *sextusque* Boeotorum menses nobis incogniti subiiciendi forent, quos excepit

VII *Hippodromius*. Etenim Plutarchus Hippodromium ipsum ita cum Hecatombaeone Attico committit (1), ut ab uno prorsus eodemque cardine, sive principio utriusque mensis dies numeratos esse demonstraverit (2), ut superius est observatum.

VIII. *Panemus*. Hunc Attico Metagitnioni coniungit Plutarchus (3); adeoque Boeotorum Panemus a Corinthiorum Panemo, ipsiusque situ manifestissime distingui debet; cum Corinthiorum Panemus non Boedromioni, sed Hecatombaeoni solum, responderet, ut contra Dodvellum ostendi (4). Ita propemodum observasse iuverit quod Hermaeus Boeotorum ab Argivorum Hermaeo distingui debet: quod Argivus annus a vere inciperet (5); adeoque Hermaeus *quartus* ipsorum mensis (6), cum Scirrhophorione, sive Hecatombaeone potius Attico coniungeretur (7).

X. *Alalcomenius*. Hunc Attico Maemacterioni respondisse scribit Plutarchus (8); adeoque iuxta veterem Atheniensium mensium seriem, in qua Maemacterion ipse Boedromioni proxime subiiciebatur, Dodvellus hunc *decimo* loco constituit (9).

XI. *Damatrius* Plutarchus ipse Damatrium Boeotorum mensem cum *Pyanepsione* Attico, simulque cum *Athyr* Aegyptio coniungit; eoque mense Solem in Scorpii signo versari, sationis tempore, & circa Vergiliarum ortum Thesmophoria

(1) In Cammillo. (2) Dodv. sect. 21. (3) In Cammillo. (4) Diss. III. Num. 20. (5) Dodv. Diss. VII. sect. 9. (6) Plutar. de Virt. Mulier. (7) Dodv. Diss. V. sect. 22. (8) In Aristide. (9) Dodv. sect. 23.

ria peragi testatur [1]: adeoque perspicuis eiusmodi characteribus ostendit Pyanepsionem, atque Damatrium in Novembrem Iulianum incidere [2]: quod argumento esse diximus Pyanepsionem ex Plutarchi hypothesi Maemacterione, simulque Damatrium Alalcomenio posteriorem esse oportere; quamvis Scaliger Pyanepsionem Maemacterione, & Damatrium Alalcomenio priorem esse putaverit.

Atque ista quidem de iis Boeotorum mensibus, Thebanaque Periodo, quae sequioribus praesertim temporibus usurpata fuit, atque ex paucis Scriptorum testimoniis inferri, vel definiri nunc potest. Etenim antiquioribus certe temporibus, ipsaque Hesiodi aetate civiles Thebanorum annos, illorumque Periodum a matutino Vergiliarum ortu, hoc est a vere, sive Thargelione Attico, incepisse subtiliter, accurateque ex Hesiodo Scaliger omnium primus ostendit [3]; quamvis Petavius [4] hic ab Hesiodo, quem Scaliger ipse citaverat, *rustici* potius, quam *civilis*, anni principium indicatum esse arbitretur.

IX.

Cappadoces

Sola horum Mensium nomina, ac barbara illa quidem, plurimumque fortasse vitiata, ex veteribus membranis Gyraldus, Stephanus, aliique prodidere

Stephanus		
Τιριξ (1)	*Tirix*	1. Τιρήξ Gyr.
Μάτα	*Mata*	
Ξαναυθερι (2)	*Xanatheri*	2. Σαυθηρί Gyr.
Μιθρὶ	*Mithri*	
Α'πομεναμά (3)	*Apomenama*	3. Α'πομεναμάθ Gyr.
Αρθρα (4)	*Artbra*	4. Α'ρθραί Gyr.
Τετύσια	*Tetusia*	
Ωσμωνία (5)	*Osmonia*	5. Ω'μονία Gyr.
Σονδαρα (6)	*Sondara*	6. Σονδαρά Gyr.

Αρτα-

(1) De Iside. (2) Dodv. sect. 24. (3) De Emend. Temp. Lib. I. Pag. 54. (4) Doctr. Temp. Libr. I. c. 34.

Αρτανία (7)	*Artania*	7. deest in Gyr.
Αρταεςίν	*Artaeſtin*	
Αραιότατα (8)	*Araeotata*	8. Α'ργότετα

At in vetere Saviliano Codice, quem Vſſerius expreſſit, Λύτανος *Lytanus* Cappadocum menſis memoratur, atque cum Romano Ianuario, & Poſideone Attico comparatur; ut vera proinde Cappadocum menſium nomina, ipſorumque ſitus mirifice incertus, atque perplexus haberi debeat; quod a nullo ſcilicet Scriptorum illorum, quos plurimos Cappadocia tulit, menſes iſti memorentur.

X.

Coi

Soranus in *Hippocratis Vita* de ipſius natali diſſerens ait: *γεννηθεὶς, ὡς Σώρανος ὁ Κῶος ἐρευνήσας τὰ ἐν Κῷ γραμματοφυλακεῖα προστίθησι, μοναρχοῦντος Α'βριάδα, μηνὸς Α'γριάνου ἕκτῃ καὶ εἰκοστῇ natus, ut Soranus Cous literarum monimenta in Co perſcrutatus addit, regnante Abriada, menſis Agriani ſexto & viceſimo die.* Itaque ceteris Graecarum Vrbium menſibus hic etiam adiungi debet; quandoquidem menſium aliorum nomina, annique Periodus a Cois adhibita prorſus obſcura & incognita deliteſcunt. Ceterum Abriades ille, quo *regnante*, ſive potius, ut ipſe reddendum exiſtimo, *imperante* Hippocrates in lucem prodiiſſe dicitur, non alius fortaſſe fuerit, quam annuus, & Eponymus Archon ille, qui eo anno in Co imperavit; cum certe ex Numis, ac veteribus monimentis aliis appareat Archontes in Co eligi, ipſorumque nominibus tempora deſignari conſueviſſe. Hinc vero perſpicuum fiet Archontem unicum in Co imperaſſe; niſi fortaſſe cui libeat pro μοναρχοῦντος *imperante* Α'ρχοντος *Archonte* in Sorani textu reſcribendum eſſe.

XI.

Corcyraei.

Corinthiis, Siculiſque menſibus, de quibus opportune mox diſſeram, Corcyraei etiam attexendi facile viderentur: quod

Cor-

,yraei ipsi, Siculorum instar, a Corinthiis originem, adeoque ritus etiam acceperint. Ac certe quod Corcyra Corinthiorum Colonia fuerit, expulsisque Liburnis & Cholchis, qui ipsam antiquitus incoluerant, a Corinthiis habitata sit, perspicue testatur Strabo [1], qui Archiam Corinthium una cum ingenti colonorum exercitu in Siciliam traiecisse, simulque Chersicratem cum exercitus parte dimisisse scribit ut Corcyram Scheriae nomine nuncupatam invaderet, sociisque suis incolendam distribueret Id vero ineunte Olymp XI.hoc est anno 449 post bellum Troianum, contigisse Cluverius [ ] ex Thucydidis Scholiaste observavit. At eruditissimus Quirinus, qui Corcyrae Primordia maxima, atque incredibili doctrinae copia feliciter explorata luculentissime exposuit, id eximio Timaei testimonio in dubium revocari posse demonstravit [2]. Itaque, si civiles Siculorum menses, in Dodvelli, aliorumque hypothesi, a Corinthiis manarunt, quod Siculi a Corinthiis ipsis Archia duce originem duxerint; quum Corcyraei etiam a Corinthiis deducti fuerint, suspicari certe quis poterit etiam Corcyraeorum mensium nomina, ac seriem a Corinthiorum mensibus profluxisse. Quandoquidem tamen eiusmodi coniecturae, vel argumenti genus plerumque fallax esse conspicitur, ac nisi plurimum fortasse ego fallar, Corinthiorum menses, annique cardo a Corcyraeorum mensibus, atque Periodo distinguebantur, de civilibus ipsis Corcyraeorum mensibus seorsim a Corinthiis differendum esse putavi. Ceterum tres Corcyraeorum menses ex pulcherrimo solum, eximioque Marmore nuper affulsere, quod Cl. Montfauconius in *Diario Italico* (3) primus exhibuit, latine reddidit, variisque observationibus illustravit, iterumque doctissimus etiam Quirinus, locis aliquot in Marmore, latinaque Montfauconii interpretratione feliciter restitutis, una cum ceteris Corcyrae Monimentis edidit in eximio praestantissimoque Opere, quo singula *Corcyrae* Monimenta feliciter explicavit

Itaque, cum in Marmoris ipsius initio dicatur: Ἐπὶ σωτηρίᾳ πρυτανεύοντος Ἀριςομενέος, μηνὸς Μαχανέος τετάρτῃ ἐπὶ εικάδι *cum salute Aristomenis Prytanis munus obeuntis*, *mensis Machanis vicesima quarta die*, perspicue apparet Corcyraeos ipsos mensium unum *Machanis* nomine nuncupasse Quandoquidem vero

(1) Libr. VI. pag. 269. (2) Cap. XIX. Pag. 148. (3) Cap. 28. Pag. 411.

vero mox constituitur ut pecunia foenori tradatur ἐμμηνὶ δωδεκάτῳ καὶ Ἐυκλείῳ τῷ ἐπὶ Ἀριστομενέος *in mense duodecimo, & Euclio eodem Aristomenis Prytanis anno*, dubitari certe non poterit quin *Euclius* ille duodecimus, adeoque postremus civilis anni mensis foret, quod Montfauconius ipse iam viderat. Aliorum vero mensium situm, atque ordinem Cl. Scriptor ille non observavit; quamvis ille facile ex ipso Marmore deduci posse videatur. Siquidem praecipitur ut quotannis Machane mense eligantur ii, qui pecuniam foenori tradendam recipiant, ipsamque foenori Euclio mense consignent (1); ergo Machanes ille, quo Psephisma editum fuit, Euclium praecedit: cumque a vero, simulque ab integro Marmoris contextu maxime abhorreat quod pecunia illa foenori committenda, simulque foenore augenda longiori quodam temporis spatio ab Electis ipsis sine foenore, & fructu servanda fuerit, Machanem ipsum *undecimo* potius loco, proxime nimirum ante Euclium mensem, collocandum esse putaverim. Certe, cum Decretum ipsum, atque donatio *vicesimaquarta* Machanis mensis die facta dicatur, perspicue tamen diserteque in ipsa praecipitur ut eodem ipso Machane mense, Aristomene adhuc Prytane, eligantur ii, qui pecuniam acceptam foenori committant: quod argumento esse debet pecuniam ipsam repente foenori tradendam fuisse; adeoque Euclium repente Machani mensi successisse. Quandoquidem vero mox constituitur, ut integra pecuniae summa simulque foenus inde collectum Euclio mense, qui proxime post Aristomenis Prytanis annum sequetur, ab Electis exigatur, iterumque foenori Artemitio mense committatur; & ab Electis ipsis Artemitio mense datae, receptaeque pecuniae rationes reddantur (2), Artemitius ille proxime post Euclium locandus, adeoque *primus* civilis anni mensis habendus erit: ne scilicet aut pecunia sine foenore servari, aut rationes reddendae differri videantur. Denique, cum decernatur ut 50. minae, quae celebrandis Dionysiacis Ludis impendi debent, τοῦ Ἀρτεμιτίου μηνὸς πρὸς τὰς ἕκτας *sexta Artemitii mensis die* ab Electis solvantur, manifestissime inferri debet Dionysia illa Artemitio mense celebranda fuisse. Itaque, nisi mea me fallit opinio, tres menses illi continui connexique ita fuerint, ut in civilibus Corcyrensium annis Arte-

(1) Montfauc. pag. 415. (2) Montfauc. ib.

Artemitius *primum*, Machanes *undecimum*, Euclius vero *duodecimum*, extremumque locum occupaverit.

Ac *Artemitius* quidem ab Artemide, ſive Diana nomen accepiſſe videtur; & quamvis Montfauconius [1] ubique *Artemiſium* reddiderit, atque ita in Marmore legendum eſſe putaverit, nihil hic tamen in menſis nomine, quod ſemel, iterum, tertioque occurrit, mutandum exiſtimo; cum ab Arcadibus etiam Cretenſium Populo menſis quidam non *Artemiſius*, ſed Dorica dialecto Ἀρταμίτιος *Artamitius* appelletur. Quin etiam & *Euclius* ipſe fortaſſe Artemidi ſacer erat; cum Diana a Plataeenſibus [2], atque Athenienſibus [3] quoque *Eucliae* nomine vocaretur. De Machane vero nihil eſt certe, quod coniici vel divinari nunc poſſit.

Illud autem hic optime accurateque obſervavit Quirinus quod *Artemitius* ille, quo pecuniam foenori tradendam eſſe decernitur, navigationi conveniens, adeoque facile *vernus*, Romanoque Maio reſpondens, haberi debeat; quemadmodum Montfauconius ipſe obſervaverat Artemiſium Macedonum menſem Corcyraeo noſtro cognominem eidem Maio reſpondſſe. Itaque, cum Artemitius in civilibus Corcyraeorum annis *primum* locum occupaverit, facile Corcyrenſium annus a *vere*, veluti cardine, ducendus erit.

Quandoquidem vero in ipſa Marmoris fronte Ariſtomenis Πρυτανεύοντος *Prytanis munus obeuntis* nomen, veluti perſpicua temporis nota, conſpicitur, dubitari vix poterit quin Corcyraei ipſi, Rhodiorum [4], ac Epheſiorum [5] inſtar, ſupremum Inſulae magiſtratum *Prytanis* nomine decoraverint. Exinde vero Marmor aliud facile intelligi, reſtitui, ſanarique poſſe putaverim, quod Montfauconius [6] ipſe vulgavit, latineque reddidit

Απολλοδωρος Απολλοδοτου π
νευσας και οι συναρχοι Φιλωτας
Ιακχος Κοσαπελου Νικανωρ
Νικοστρατου Θεοις

Apollodorus Apollodoti filius
annuit, & una ſocii magiſtratus

(1) Pag. 429. (2) Pauſan. Boeot. c. 17. & Plutarch. in Ariſtide. (3) Pauſan. Attic. c. 14. (4) Ioſeph. Antiq. Libr. XIV. c. 10. Vide infra Num. 18. (5) Vide Meurſ. Rhodus Lib. I. c. 19. (6) Pag. 422.

Philotas, Iacchus Cosapeli, Nicanor
Nicostrati Diis

Siquidem Cl. Scriptor ille ait: *πνευσας pro νευσας positum aestimavimus; sicque solummodo apta sententia eruatur* (1). At, nisi plurimum profecto ego fallor, non πνευσας, aut νευσας, quae nihili vox hic est, sed facili perspicuoque sensu, veteri quoque constantique anathematum formula, πρυτανεύσας restitui debet: ut nempe exprimatur Apollodorum illum, qui tunc *Prytanis* munere fungebatur, una cum ceteris in magistratu Collegis Monimentum illud Diis dicasse: quemadmodum certe eiusdem, sive alterius, Apollodori, ac Andronis, veluti *Prytanum*, nomen in alio Corcyraeo Marmore apud Montfauconium ipsum nobis occurrit (2):

Ε'πὶ Α'νδρῶνος	*sub Androne*
Ε'πὶ Α'πολλοδώρου	*sub Apollodoro*

quamvis Montfauconius ibi non Prytanis, sed *Archontis* munus intelligendum esse crediderit. Denique in ipsa Marmoris fronte ita voces interpungendas, latineque reddendas esse putaverim Ε'πὶ σωτηρία. Πρυτανεύοντος Α'ριστομένεος *Quod faustum, ac salutare sit. Prytanis munus obeunte Aristomene*. Vt enim plurima id genus exempla ommittam, apud Chishullum (3) in Cretensi Marmore quod Num. XIII. proferetur, semel iterumque legitur Α'γαθᾶι Τύχαι. καὶ ἐπὶ σωτηρίαι. Ε'πὶ Κοσμων *Cum bona Fortuna, & salute. Sub Cosmis*.

XII.

Corinthii, & Siculi

Corinthiorum, simulque Siculorum Cyclos, & Menses una complectitur Dodvellus (4) quod Siculi a Corinthiis ipsis originem, adeoque ritus etiam, ac menses accepisse videantur. In contexenda vero civili Corinthiorum, Siculorumque anni Periodo, ipsorumque Mensibus ordine disponendis observat Dodvellus in veteri eximioque Monumento *bimensem Carnium* memorari (5): quod argumento esse poterit Carnium ipsum

(1) Pag. 430 (2) Pag. 484. (3) Pag. 129. & 134. (4) Diss. VI. sect. 5. 6 7. 8. (5) Sect. 10.

ipsum apud Corinthios, sicuti Posideon apud Athenienses, embolimum habendum esse; adeoque, sicut embolimus ille Atticorum Posideon extremum in civilis anni vel mensium serie locum obtinuit, ita quoque Carnium inter Corinthiorum menses ultimum locum occupasse. Quandoquidem vero Plutarchus (1) Siculorum Carnium cum Attico Metagitnione committit, primum Corinthiorum, Siculorumque mensem, hoc est civilis anni principium, cum Attico Boedromione coniungendum esse putavit Dodvellus; cumque in celeberrima Philippi Regis Epistola, quam nobis Demosthenes (2) conservavit, *Boedromion* Atticus cum Macedonum *Loo*, simulque Chorinthiorum *Panemo* coniungatur, manifestissime inferri contendit, quod primus Corinthiorum, Siculorumque mensis erat Panemus; ut proinde Corinthii civilis anni principium ab ortu Caniculae duxisse videantur (3): quamvis Achaei, quibus post annum 3. Olymp. CXXXIV Corinthii quoque accensiti fuerant, a Pleiadum ortu, sive Maio Iuliano, civilem annum inciperent (4). Atque ista quidem de civili Corinthiorum anno, de mensibus, ipsorumque situ vel ordine Dodvellus: qui ceteros Corinthiorum menses ideo Scriptoribus indictos, nobisque ignotos esse putavit quod Macedonum deinde menses apud Corinthios ipsos usurpati fuerint (5): unde Plutarchus Arati Sicyoniorum Ducis gesta describens non Corinthii, sed Macedonici potius mensis nomen adhibuit, quem cum Anthesterione Attico committeret.

Quaecumque tamen doctissimus alioquin, atque accuratissimus Scriptor ille subtiliter, atque ingeniose de Corinthiorum Periodo, mensibus, ipsorumque situ disseruit partim ambigua, partim etiam manifeste falsa putaverim. Atque, ut a veteri eximio Monimento exordiar, in quo *διμηνος Καρνειος* (6) *bimestris Carnius* memoratur, dubitari certe non poterit quin aerea haec lamina, sive decretum non a Corinthiis ipsis, aut a Syracusiis, sed ab Agrigentinis editum fuerit; adeoque *bimestris* ille Carnius non ad Corinthios, ut volebat Dodvellus, neque ad Syracusios, ut immerito putavit Scaliger, sed ad Agrigentinos ipsos manifestissime referri debet;

 quos

(1) In Nicia. (2) Orat. de Corona Pag. 335. Vide Differtat. III. Numer. 20. (3) Dodvell. section. 10. (4) Section. 12. & 14. (5) Section. 16. (6) Gruter. Pag. 401.

quos certe non Corinthiorum, sed Rhodiorum, Coloniam fuisse perspicuis, certisque Veterum [1] testimoniis erudimur. Ac facile hic ego quidem concesserim Agrigentinos eosdem omnino menses cum ceteris Siculorum Populis usurpasse; adeoque Carnium non Agrigenti solum, sed universae quoque Siculae regionis, mensem habendum esse. Qui tamen fieri, vel inferri repente poterit eosdem prorsus Corinthiorum menses esse oportere, qui a Siculis adhibebantur; cum facile exemplis aliis ostendi possit Vrbes ac Populos, qui ex antiquiori nobiliorique Gente profluxerant, aliis omnino mensibus uti coepisse? Itaque ambiguum plane ignotumque superesit an Carnius ille Corinthiorum mensibus sit accensendus. Sed, quamvis etiam Corinthiorum mensibus veluti embolimus accenseatur, quis facile dixerit an eumdem illum, quem apud Siculos obtinuerat, apud Corinthios etiam locum occupaverit, adeoque extremo civilis anni loco constitui, mensiumque postremus esse debuerit? Certe Posideon ille, qui olim Atticorum mensium postremus, embolimusque iam fuerat, quamvis post Olymp. LXXXVII semper embolimus esse consueverit, extremus tamen esse non poterat: quod nimirum civilis anni principium, incolumi tamen veteri embolimi sede, mutatum fuisset. Itaque Carnius ipse, quamvis *bimestris* ac *embolimus* existimetur, aut aliquandoquoque, si libeat, omnium postremus esse potuerit, incertum est tamen an sequioribus iis temporibus, quibus aenea Lamina, vel hospitalis haec tessera insculpta fuit, postremum locum illum occupaverit; adeoque ex ambiguis eiusmodi characteribus civilis anni principium ad Caniculae exortum referri certe non poterit: cum praesertim hospitalis haec tessera post Olymp. CXXXIV. qua Corinthii Achaeis accensiti iam fuerant, Aratique Ducis aetatem, qua Corinthii, Dodvello ipso teste, Macedonum menses usurpare iam coeperant, edita videatur.

At, ne levioribus solum, atque ambiguis argumentis istis clarissimi doctissimique Viri sententiam refellere hic videar, quam in Sicula, Corinthiacaque Periodo concinnanda, in definiendo Isthmiadum tempore, in plurimis Historiae Graecae capitibus illustrandis adhibuit, praecipuum illum Dod-

(1) Thucyd. Libr. VI. c. . . . Polyb. IX. Scholiast. Pind. ad Olymp. II. Vid. Meurs. Rhod. Lib. I. c. 18.

Dodvelli errorem perſpicue certoque oſtendiſſe nunc iuverit, ex quo deinde ceteri veluti fonte manarunt. Carnium Agrigentinum, Siculumque menſem in veteri monumento *bimeſtrem* vocari; adecque embolimum, extremumque civilis anni menſem fuiſſe Dodvellus a Scaligero (1), ac Gruteriano Interprete deceptus hic alibique ſaepius aſſeruit. At ex pulcherrimo eximioque Monumento, ſi cum Marmoribus, ac Monimentis aliis conferatur, *bimeſtris* ille Carnius exſculpi certe non poterit. En Aerea Tabula, vel Monimentum ipſum, ut a Grutero (2) exhibetur, atque ab Hegio in aeterno Gruteri Opere latine redditur:

ΕΠΙ ΙΕΡΟΘΥΤΑ
ΝΥΜΦΟΔΩΡΟΥ ΤΟΥ ΦΙΛΩΝΟΣ
ΠΑΡΑΠΡΟΣΤΑ ΤΑΣ ΒΟΥΛΑΣ
ΠΡΟΕΔΡΕΥΟΥΣΑΣ ΤΑΣ ΦΥΛΑΣ
ΤΩΝ ΥΛΛΕΩΝ ΠΡΟΑΓΟΡΟΥΝΤΟΣ
ΔΙΟΚΛΕΟΣ ΤΟΥ ΔΙΟΚΛΕΟΣ
ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΟΝΤΟΣ ΑΔΡΑΝΙΩΝΟΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ
ΑΛΙΑΣΜΑ ΕΣ ΤΑΣ ΔΙΜΗΝΟΥ ΚΑΡΝΕΙΟΥ ΕΞΗΚΟ::: ΟΣ ΠΑΝΑΙ
ΥΠΕΡ ΠΡΟΞΕΝΙΑΣ ΔΗΜΗΤΡΙΩΙ ΔΙΟΔΟΤΟΥ ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΙ

Nymphodoro Philonis f. Pontifice Max. Cum Senatus adeſſet, Hylleorum Tribus praeſſet, Diocle Dioclis f. praetore. Adranione Alexandri f. ſcriba. Decretum die ſexto vetere bimeſtris Apollonii abeuntis ob hoſpitium Demetrio Diodoti f Syracuſano publice factum. Vandalius (3) ipſe in exhibenda Tabula, latineque reddenda Gruteri, Hegii, Scaligerique veſtigiis inſtiterat. At Auguſtinus (4), &, qui Auguſtinum ipſum exſcripſerat, Gualtherius (5) in octavo verſu legit ΕΚΤΑΣ ΔΙΜΗΝΟΥ ΚΑΡΝΕΙΟΥ ΕΞΗΚΟΝΤΟΣ ΠΑΝΤΑΙ *decretum die bimeſtris Carnei exeuntis omnino*. Itaque doctiſſimus, atque immortalis Maffeius (6) feliciter, accurateque obſervavit voces illas ἁλίασμα ἔκτας διμήνυ a ſequentibus ſeiungendas, latineque reddendas eſſe *Decretum ſexti Bimeſtris*: quod nimirum Agrigentinae Vrbis Senatus, aut Tribus, aut Magiſtratus ille, qui Plebi-

(1) Emend. Temp Lib I. Pag. 57. (2) Pag. 401. (3) Diſſert. de Marmor. Diſſert. IX Pag. 762. (4) De Legibus (5) Antiquae Tab. Pag. 62. Num. 400. (6) Galliae Antiq. Epiſtol. VIII.

biſcitis ſcribundis praeerat, duobus ſolum menſibus imperaret, ideoque ſexies in anno mutaretur. Id ille perſpicuo Marmoris alterius exemplo demonſtravit, quod Leocate, in alia nimirum Siciliae ipſius Vrbe, reperitur. Etenim in illo (1) nitide diſerteque legitur ΒΟΥΛΑΣ ΑΛΙΑΣΜΑΤΑ ΔΕΥΤΕΡΑΣ ΕΞΑΜΗΝΟΥ ΚΑΡΝΕΙΟΥ ΤΡΙΑΚΑΔΙ *Conſilii decreta*, *Semeſtris ſecundi*, *Carnei menſis triceſima die*: ſive, ut Maffeius ipſe legendum exiſtimat, ΑΛΙΑΣΜΑ ΤΑΣ ΔΕΥΤΕΡΑΣ ΕΞΑΜΗΝΟΥ *decretum Semeſtris ſecundi*: quemadmodum in Cyriaci Marmore, quod opportunius exponam ubi de menſibus Delphicis agendum erit, *βȣλευόντων ταν δευτέραν ἑξάμηνον conſiliariis in ſecundo Semeſtri* Maffeius ipſe legendum eſſe arbitratur. Sic, ut exemplis iſtis a Maffeio laudatis exemplum aliud accedat, in Magnetum ac Smyrnaeorum Foedere dicitur *ἀφ' ȣ̃ ἂν χρόνȣ ἡ ὁμολογία συνσφραγίσθη, εἰς ἑξάμηνον* (2) *ab eo tempore, quo Foedus ſigillatum fuerit, in tempus ſemeſtre*; atque in Cretenſi Marmore *ἐν διμήνῳ* (3) *ſpatio bimeſtri* reperitur. Itaque, ſi *διμήνȣ bimeſtris* vox non ad Carnium, ut immerito Scaliger, Hegius, Auguſtinus, Gualtherus, Vandalius, ac Dodvellus ipſe putavit, ſed ad *ἑκτας ſexti* referatur, ex pulcherrimo hoc Monimento *bimeſtris* ille, & *embolimus* Carnius exſculpi certe non poterit; ideoque quidquid ex eiuſmodi menſis indole, & ſitu de civilibus Siculorum, & Corinthiorum annis, ipſorumque cardine diſputavit Dodvellus manifeſtiſſime refelli debebit.

Id unum tamen perſpicue certoque conſtitui poterit quod Carnius ille, qui in *ſexto* civilis anni *bimeſtri* continebatur, *undecimum*, ſive *duodecimum* potius, extremumque locum in menſium ordine occupavit. Ac *duodecimam* ego quidem extremamque potius illi ſedem conceſſerim. Etenim in Leocates Marmore Gelenſium Pſephiſma continetur, quo Senatus ac Populus Heraclidem Zopyri filium laudibus, atque oleaginea corona decorandum eſſe decernit quod *ἁρημένος Γυμνασίαρχος τῶν κάτεσενιαυτῶν electus Gymnaſiarcha annuus* omnia ad Gymnaſium, Ephebos, & Pueros ſpectantia decore, riteque peregerit, ſuoque munere preclare perfunctus fuerit. Itaque nihil veriſimilius eſſe unquam poterit, quam eiuſmodi prae-

(1) Vid. Murator. Pag. 642. (2) Marmor. Oxon. Pag. 11. (3) Chiſſul Antiq. Aſiat. Pag. 132.

praeconium, ac praemia exacto iam magistratus tempore, extremaque anni die concessa fuisse; ideoque Carnium mensem, cuius ultima, sive *tricesima* die Decretum illud editum fuit, extremum prorsus locum in civilibus annis occupasse. Accedit etiam quod in extrema Marmoris parte Ἔφηβοι οἱ στεφανωθέντες *Ephebi coronati* recensentur: quod exacto solum totius anni tempore fieri consuevisse videtur: ut omnium scilicet Epheborum nomina publicis eiusmodi Monimentis inscripta forent, qui integro anni spatio singulisque mensibus palmam, atque coronam adepti fuerant. Quod si in eiusmodi Epheborum serie non *duodecim*, sed *undecim* solum nomina nobis occurrunt, id peculiari potius Gelensium ritui adscribi debet, qui fortasse vel mense quodam a Gymnasticis exercitationibus feriari, vel *duodecimam*, nobilioremque coronam non Ephebis ipsis, sed Gymnasiarchae potius, largiri consueverint. Quocumque tamen ex fonte ritus ille profluxerit, verisimilius est certe Carnium ipsum in Gelensium, ac Siculorum omnium, Corinthiorum quoque, si libeat, annis extremum locum occupasse: quod Dodvellus ipse, sed aliis, falsisque prorsus coniecturis, ostendi posse putaverat; ideoque Corcyraeorum menses, in quibus ultimum Euclius locum occupavit, a Corinthiis, Siculisque mensibus distinguendos esse.

Quod si in Carnio Corinthiorum mensibus accensendo, ipsiusque situ vel ordine definiendo ambiguis, obscuris, & falsis etiam coniecturis Dodvellus innititur, ubi mox ille Panemum *primum* Corinthiorum mensem fuisse, Atticoque Boedromioni coniugendum esse putavit, profecto fallitur. Tantum enim abest ut Panemus ille Carnium exceperit, primamque in civili Corinthiorum anno sedem occupaverit, ut potius Carnium ipsum proxime praecesserit; adeoque *undecimum* in mensium ordine situm obtinuerit. Optime hic quidem intelligo, ingenueque profiteor quod in Philippi Regis Epistola, quam Demosthenes (1) conservavit, Corinthiorum Panemus cum Macedonum Loo, simulque Atheniensium Boedromione committitur: perinde quasi unus idemque mensium illorum situs, idemque in ipsorum singulis dierum numerus haberi debuerit, ut Usserius (2), ac Dodvellus (3) ipse observarunt, qui Macedonicam Periodum, aliaque id genus plura exin-

(1) Orat. de Corona Pag. 335. (2) De Anno Solari Maced. (3) Diss. VI. sect. 10.

exinde collegerunt. Sed ipse omnium primus perspicuis oppido certisque characteribus demonstravi (1) insignem illum Demosthenis locum mirifice depravatum esse; adeoque in illo non *Boedromionis*, sed *Hecatombaeonis* Attici, nomen legendum esse. Itaque Demosthenis loco ad Historiae fidem restituto manifestissime deduci debet Corinthiorum *Panemum* Hecatombaeoni Attico respondisse; adeoque, si Carnius, ex Dodvelli hypothesi, Metagitnioni coniungebatur, ultimamque sedem in civilibus Corinthiorum annis occupabat, Panemus ille non *primus*, sed *undecimus* Corinthiorum, & Siculorum quoque, mensis habendus erit. Exinde vero deduci facile poterit quod si aestiva Isthmia *duodecima* Hecatombaeonis Attici die celebrabantur, haec Panemo Corinthiorum mense peragi debuerunt, ut in Agonisticis Dissertationibus opportune demonstravi.

Quis vero coniicere vel definire unquam possit an ad Panemum hunc Corinthiorum, Siculorumque mensem Panemus ille referri debeat, qui *in destructi operis manubrio* memoratur, atque inter alia Syracusarum monimenta a Gualtherio (2) profertur?

ΕΠΙΝΙΚΑΣ Α	*Vincendo*
ΓΟΡ Α	*Gorpiaei* mense I.
ΠΑΝΑΜΟΥ	*Panami* mense
ΔΕΥΤΕΡΟΥ	*Secundi*

Ambiguam hanc eximii Viri interpretationem nihil moror. Cum vero Panemus Corinthiis certe mensibus accenseatur; cum ibi Dorica, adeoque Sicula, dialectus occurrat; cum vetus monimentum illud, victoriaeque, ut videtur, anathema Syracusis erutum fuerit, non immerito suspicari quis poterit hic Siculum, Corinthiumque *Panemum* memorari. Quod si in mutila voce alia ΓΟΡ GOR. mensis alterius nomen expressum esse Gualtherio concedatur, iam Siculi mensis alterius nomen habebitur, *Gorpiaei* fortasse, qui in civilibus tamen Macedonum annis Panemum interiecto Loo sequebatur, Atticoque Metagitnioni, ideoque Carnio Siculo, respondebat;

(1) Differt. II. Num. 20. & 21. (2) Antiq. Tabu. Pag. 12. Numer. 48.

bat; hic vero Panemum Siculum, ideoque Hecatombaeonem Atticum, praecedere fortasse conspicitur.

At vehemens tamen hic mihi suspicio suboritur quod Panemus, & Gorpiaeus ille, si ad Corinthios quidem, aut Siculos referri illi possint, ad sequiora fortasse tempora spectasse debeant, quibus in civilibus Sicyoniorum, Achaeorum, adeoque Corinthiorum annis Macedonici menses recepti iam fuerant. Certe Plutarchus in *Arati Vita* Daesium Sicyonioe rum mensem cum Attico Anthesterione committit; ideoqu. Dius Hecatombaeoni, Xanthicus vero Posideoni respondisse debuit; cum tamen Daesius ille in veteri Macedonum anno non Anthesterioni, sed Thargelioni, responderit. Ita quoque *Dii Corinthii* nomen in Sacris Literis in Lysiae epistola (1) memoratur: ubi latinus quidem Interpres *Dioscuri*, graecus Auctor Διοσκορίνθιος *Dioscorinthius*, Dodvellus, aliique plurimi Διὸς Κορινθίȣ *Dii Corinthii* legendum asserunt. Quandoquidem vero Antiochi regis, ac Romanorum epistolae 15. Xanthici die exaratae fuerant; Lysiaeque literae, quibus Anthiochi, ac Romanorum epistolae continentur, 24. Dii Corinthii die datae dicuntur, perspicue apparet Dium Corinthium cum Syromacedonum Xanthico, adeoque Munychione Attico, Romanoque Aprili concurrisse: quamvis in tanta rerum obscuritate, ac Interpretum dissidio divinari vix possit cur Lysias ille Corinthii potius, quam Macedonici, mensis nomen hic usurpaverit.

Ceterum, ut ad civiles Siculorum menses revertar, doctissimus Scaliger praeter bimestrem Carnium, *Pantheonem* quoque Syracusanorum mensibus accensendum esse putavit, qui in veteri Marmore (2) nominatur ἑβδόμῃ τȣ͂ Πανθεῶν μηνὸς ἱςαμένȣ *septima Pantheonis mensis incipientis* die. Quemadmodum tamen clarissimus Scriptor ille *bimestrem Carnium*, quem Agrigentinorum esse iam diximus, Syracusanis adscripserat; ita quoque nunc suspicor quod Syracusanis ipsis Pantheonem istum prorsus immerito affinxerit, qui ad Neapolitanos solum, vel populos alios spectaverit. Siquidem Marmor illud *Neapoli* reperitur, nihilque ex integra Marmoris, sive Decreti serie exsculpi potest, quo veluti charactere ostendatur ipsum ad Syracusios potius; quam Populos alios, referri oportere.

(1) Machab. Lib. II. c. 11. vers. 21. (2) Gruter Pag. 125.

Quid tamen, si liberiores illas Scaligeri coniecturas hic ego aemulatus ceteris Siculorum mensibus mensem alium adiungendum esse nunc dixerim, quamvis ille Scaligeri, Dodvelli, aliorumque Scriptorum diligentiam effugerit? Strabo Aetnaei montis indolem, situm, atque incendia describens ait ὅταν τῷ Ποσειδεῶνι φαίνηται τὰ περὶ τὸ ὄρος, κατατεφροῦνται πολλῷ βάθει τὰ Καταναίων χωρία (1) quae Strabonis interpres latine sic reddidit: *cum mense Decembri montis incendium existit, profundis tum cineribus ager Catanaeus obtegitur*. Xylander hic optime, accurateque observavit non Ποσειδῶνι *Neptuno*, sed Ποσειδεῶνι *Posideone* legendum esse, quum nullus *Neptuno* locus hic esse possit; simulque adnotavit ex Pindaro (2), Plinioque (3) Aetnam hieme nivibus atque cineribus opertam esse. Casaubonus vero Ποσειδῶνος, sive *Neptuni* nomen retineri posse putavit: perinde quasi Neptuni imperio non terraemotus solum, ut plurimi existimarunt; sed ipsa quoque Aetnae incendia excitentur. Itaque subdit: *Interpres cum suo Decembri vehementer fallitur. Cui vero persuadebit Xylander semper mense Decembri τὰ περὶ τὸ ὄρος montis eruptiones contingere? Non sane ei persuadere hoc poterit, qui ex Historia didicerit incertis solitum contingere intervallis*. Ita quoque Cluverius (4) ipse τῷ Ποσειδῶνι legendum, ac *Neptuno* reddendum esse contendit. Mitius hic tamen cum Xylandro, Strabonisque Interprete agendum esse putaverim. Certe non ea Xylandro, vel potius Straboni, quem Xylander ipse explicandum susceperat, mens fuit quod montis effluxus statis solum temporibus, soloque Posideone mense, vel hieme contingerent; nec ullibi Xylander ipse, vel Strabo persuadere cuipiam id nititur. Id unum Straboni propositum profecto fuerat ostendere quod Catanensium civitas, quamvis ab Aetna LXXX. stadiis abesset, Aetnae tamen effluviis obnoxia fuerat; cumque exemplis & argumentis aliis id ostendisset, repente subdit effluviis illis, quae Posideone, vel hieme contingunt, Catanensium agros Aetnae cineribus alte redundare: quod nimirum, ut arbitror, eruptiones illas longe graviores uberioresque putaret, quam quae vere, vel aestate contingunt; quemadmodum certe Cluverius ipse pleraque incendia,

(1) Libr. VI. pag. 269. (2) Pythiac. I. ver. 38. (3) Libr. II. c. 106. (4) Sicilia Antiq. Libr. I. c. 8.

dia, quorum tempus notum ſit, Februario ineunte, Martioque menſe contigiſſe teſtatur. Itaque tantum abeſt ut Xylandri, Straboniſque ſententia hiſtoriae repugnet, ut exinde potius mirifice confirmetur. Quod vero *Poſideonis* nomen hic a Strabone uſurpatum menſem potius, quam Neptunum, ſignificet, perſpicuus ipſe verborum ſenſus oſtendit; nec facile, ut opinor, Caſaubonus extorquebit Strabonem poetica quadam phraſi montis incendia Neptuno concedere, Neptunique imperium temere prorſus atque inutiliter exprimere voluiſſe.

Quod ſi *Poſideon* ille non Neptuni, ſed menſis potius, nomen haberi fortaſſe debeat, cuinam Populo Gentique menſem hunc tribuendum eſſe putabimus? Non ulli certe Cappadocum unde originem duxerat Strabo; cum Cappadoces ipſi aliis omnino menſium nominibus uterentur, ut iam demonſtravimus. Athenienſi fortaſſe Populo, qui Poſideonis nomine menſium unum vocarunt? At qui fieri unquam potuit ut Strabo non Athenis degens, & Siculi montis hiſtoriam ex Siculis certe hiſtoricis vel monimentis aliis deſcribens, Atticum menſem, veluti perſpicuum temporis characterem, adhibuerit? Nihil hic certe vel planius vel veriſimilius admitti poteſt, quam Poſideonem illum Catanenſium fortaſſe, vel potius Siculorum omnium, menſem fuiſſe: ut quemadmodum nempe Siculi, Corinthiorum inſtar, ex Carnii Apollinis nomine menſem unum vocarunt, ita quoque ex Neptuni nomine alteri menſi nomen indiderint. Quem vero ſitum Poſideon ille in civilibus Siculorum annis occupaverit incertum eſt. Hiemi tamen potius, quam aeſtati, tribuendum hunc eſſe tum cognominis Attici menſis ſitus, tum graviores illi, frequentioreſque montis effluxus, quos hieme contigiſſe iam diximus, fortaſſe ſignificant.

XIII.

Cretenſes

Quamvis plurima de Cretenſium Inſula, moribus, atque Republica tum a veteribus, tum a recentioribus etiam Scriptoribus, atque a Meurſio [1] potiſſimum, expoſita fuerint;

 nul-

(1) In Creta.

nullibi tamen Cretensium menses, aut forma, quae in civilibus ipsorum annis adhiberi consueverat, memoratur. Itaque, si *Metarchium* unum exceperis, quem in veteri Saviliano Codice recenseri dicemus, singula Cretensium mensium nomina mox proferenda nuperrime solum ex Graecis Marmoribus affulsere; quorum nonnulla quidem Gruteri, Pricaei, Montfauconii, ac Rheinesii opera lucem adspexerunt; sed universa tamen a Chishullo (1) collecta, latine reddita, castigata, doctisque adnotationibus illustrata fuerunt. Quamvis autem ex pulcherrimis Monimentis illis *novem* Cretensium menses, ipsorumve nomina accurate collegerim; integra tamen ipsorum series, aut situs, quem in civilibus Cretensium annis illi occupaverint, facile coniici vel definiri non potest: cum praesertim *novem* illi Cretensium menses non universis Cretensis Insulae Populis communes forent; sed Vrbium potius, aut Populorum quilibet variis mensium nominibus, variaque fortasse Periodo uteretur, ut facile ex Marmoribus ipsis inferri, deprehendique potest.

Sic, ut a Hierapytniis exordiar, duo ipsorum menses in Marmoribus occurrunt, Ι'μάλιος *Imalius*, & ... δάκιος. . *dacius*. Etenim in Oxoniensi Marmore, quo Foedera inter Hierapytnios ipsos, ac Priansios inita continentur, initio ita legitur Α'γαθαῖ Τύχαι, ϗ ἐπι σωτηρίαι. Ε'πὶ Κόσμων μὲν ἐν Ι'ερατύνται τῶν συν Ε'νίπαντι πῶ Ε'ρμαίω, καὶ μηνὸς Ι'μαλίω. ἐν δὲ Πριανσίωι ἐπὶ Κόσμων τῶν σὺν Νεῶνι τῶ Χιμάρω, καὶ μηνὸς Δρομηίω τάδε συνέθεντο *Bona cum Fortuna, quodque, in salutem sit. In Hierapytna quidem sub Cosmis una cum Henipante Hermaei* filio magistratum gerentibus, *menseque Imalio; in Pransio vero sub Cosmis una cum Neone Chimari* filio imperantibus, *menseque Dromeio haec pacti sunt*. Chishullus, qui insigne Marmor istud exhibuit, plurimos errores, qui in Pricaei (2), ac Rheinesii exemplar irrepserant, emendavit, variasque subinde lacunas, quae supererant, accuratissime supplevit, observat ἰμάλιον *imalium* apud Hesychium significare καρποφόρον *frugiferum*; adeoque coniicit Imalium hunc Hierapytniorum mensem ex frugiferis habendum esse. Quem vero situm in civilibus Gentium illarum annis menses isti occupaverint divinare

(1) Antiquit. Asiat. Pag. 129. (2) Notis ad Apuleium.

nare vix liceat. Id unum coniicere, vel ſuſpicari nunc libet quod menſes ipſi bimeſtri ſpatio ab anni fine diſtabant. Etenim in Decreto conſtituitur ut initum Foedus in ſtela deſcribatur, controverſiae ſingulae, quae belli tempore exarſerant, durante Henipantis, & Neonis anno dirimantur; *& ſuper his ſponſores ſiſtantur ab ea die, qua poſita fuerit ſtela, menſe ſaltem uno*. Ergo menſes illi, quibus Foedus initum fuit, non ſeriorem, quam *decimum*, in menſium ordine locum occupaſſe videntur: ut confirmando utrobique Foederi, erigendae ſtelae, dirimendiſque controverſis commodum tempus ſupereſſe poſſet.

Alterius vero Hierapytnii menſis nomen, mutilum tamen, ac imperfectum, in alio Marmore, ſive Decreto Hierapytnae facto apud Montfauconium (1) memoratur, ubi legitur: *μηνὸς .... δακιυ menſe .... dacio:* cumque in eiuſmodi Marmore *Lucii Epidii*, *Titii Aquilini* Conſulum, itemque plura Civium Romanorum nomina occurrant, perſpicue apparet Marmor ipſum Romanis Inſulam obtinentibus editum fuiſſe. Quod autem ad *Dromeium* attinet, quem Prianſiorum menſem eſſe conſpicimus, non facile profecto ego dixerim an ipſe ab aliis etiam Cretenſium Vrbibus adhiberetur. Obſervo tamen Apollinem a Cretenſibus, ac Lacedaemoniis etiam *Dromaei* nomine vocari, colique conſueviſſe. Plutarchus: *Πύκτῃ μὲν Ἀπόλλωνι Δελφὺς, Δρομαίω δὲ Κρήτας ἱϛορῦσι θύειν, καὶ Λακεδαιμονίυς* (2) *Pugili quidem Apollini Delphenſes; Dromaeo vero Cretenſes &, Lacedaemonios ſacra facere fertur*. Itaque, ſicuti Lacedemonii leges, rituſque plurimos (3), adeoque fortaſſe Apollinis Dromaei cultum, a Cretenſibus accepere, ita quoque Cretenſes ipſi, ſi non omnes, Prianſii ſaltem, ab Apollinis Dromaei nomine menſi cuidam nomen indiderint.

Duos Olontiorum, totidemque Latiorum, menſes ipſorum Foedera Marmori inſcripta conſervarunt. Etenim Foedera ipſa primum inita dicuntur (4) *Ἐν Λατῷ ἐπὶ τῶν Κοσμων τῶν συν Πυλέρῳ τῶ .... μηνός (Διος) αλλοσίω τρία ταὶ Δι, ἐν δὲ Ὀλοντι επὶ τῶν (ἀυτῶν) σὺν Σωφρονίχῳ τῶ Αριστιων(ος μηνὸς Ε)λευσινίω Δι In Lato quidem ſub Coſmis cum Pylero* .... filio magiſtratum gerentibus, *menſis Dioſalloſii decimatertia* die; *in Olonte*

(1) Diar. Italic. Pag. 74. (2) Symp. Lib. VI. quaeſt. 4. (3) Plato Polit. III. Ariſt. Lib. II. c. 10. Strabo X. (4) Chish. Pag. 134.

te vero ſub Coſmis cum Sophronico Ariſtionis filio imperantibus, *menſis Eleuſinii decima die*. Quamvis enim Chishullus verba ſingula uncis incluſa rite, feliciterque ſuppleverit; ſuſpicor tamen non *ἀυτῶν*, ſed veteri ſolemnique formula Κόσμων, ſupplendum eſſe. In alio vero Marmore, in quo Foedus ipſum inter Olontios, ac Latios initum renovatur, & extenditur, ita legitur (1) Ἐπὶ Κόσμων μὲν τῶν σὺν Μαιναίῳ τῶ Χαιρνητάδα μηνὸς ἐτέω θερμολαιο δεκάτᾳ. ἐν δὲ Ὀλοντι ἔπι τῶν σὺν Κρατινᾳ τῶ Ἀριστονύμω μηνὸς Ἡραίω δεκατᾳ *Sub Coſmis* in Lato *quidem cum Maenaeo Chaernetadae* filio imperantibus *menſis eteothermolaei decima* die; *in Olonte vero ſub Coſmis cum Cratino Ariſtonymi* filio magiſtratum gerentibus, *menſis Heraei decima die*. Itaque ex Marmoribus iſtis apparet *Dioſalloſium*, & *Eteothermolaeum* (ſi quidem integra menſium nomina haec eſſe debent) Latiorum menſes fuiſſe; *Eleuſinium* vero, atque *Heraeum* Olontiorum; atque ita quidem duarum Vrbium menſes committendos eſſe ut Eteothermolaeus cum Heraeo in dierum numero, adeoque initio, conſpiret; Dialloſius vero Eleuſinium ipſum tribus diebus praeceſſerit: quod argumento fortaſſe eſſe poteſt alterutrum ex menſibus iſtis in civilis anni fine locandum eſſe ubi facilius inaequalitas aliqua, ſive diſſidium ex mutilis embolimaeis irrepſiſſe poterat.

Illud etiam hic obiter obſervaſſe iuverit quod ubi Chishullus *Dialloſium*, atque *Eleuſinium* hic memoratos cum Dioſthio, atque Eleuſinio comparat (2), qui in Epictetae Marmore nominantur, ut inferius oſtendam ubi de Laconicis menſibus agendum erit, nimium fortaſſe coniecturis indulget. Etenim, ut opportunius demonſtrabitur, Epictetae Marmor ad Cretenſes ipſos referri non poterit; idque ex tenui ſubobſcuraque ſimilitudine, quae in menſium nominibus obſervatur, deduci certe non poteſt. Vbi vero Chishullus ipſe obſervat Epictetae Marmor eſſe *Vrbis ignotae quidem, ſed Laconicae certe originis, adeoque noſtris Creticis cognatae*, facile defendi probarique poterit: cum Aeginetae quoque, ad quos Marmor ipſum referri poſſe dicemus (3), Laconicae originis, ſive Laconum colonia fuerint; quemadmodum proſus Cydonienſes Cretae Populi ab Aeginetis ipſis, veluti ipſorum colonia, originem duxerant (4).

Alius

(1) Chishull. Pag. 137. (2) Pag. 229. (3) Num. XX. (4) Strabo Lib. VII. pag. 376.

Alius Cretensium mensis occurrit in Marmore, sive Decreto, quod ab Arcadibus Cretae Populis in Teiorum gratiam circa Olymp CXL. hoc est annum ante Chr. 194. editum fuit [1], atque a Chishullo inter alia Monumenta Teia exhibetur [2]: Ψαφίσθη ἐπὶ Δαμιοθέτου Φίλωνος, μηνὸς Ἀρταμιτίου νευμενίᾳ *decretum fuit sub Damiothetа Philonis* filio, *mensis Artamitii novilunio*, vel prima die.

Denique in veteri Saviliano Codice ubi plurium Nationum Menses recensentur, Μετάρχιος *Metarchius* Cretensium mensis nominatur, atque cum Ianuario Iuliano, simulque Posideone Attico, committitur [3]: perinde quasi sequioribus iis temporibus Cretenses omnes iisdem omnino Mensium nominibus uterentur: nisi fortasse potius Chronologus, aut Scriptor ille Gortynios solum *Cretensium* nomine designaverit.

XIV.

Cyprii

Quibus olim nominibus suos Cyprii Menses appellaverint divinari certe vix poterit; cum eiusmodi nomina neque ex Scriptoribus, neque ex Marmoribus ullis affulserint. Meursius quidem praeter Gorpiaeum, quem veterem Cypriorum mensem fuisse credidit, ut mox ostendetur, mensem illum, qui Romano Iunio respondet, olim a Cypriis *Adonidis* nomine vocatum esse putavit. Sed insignem hunc ipsius errorem opportunius alibi [4] demonstravi: cum mensis ille non *Adonis*, sed *Thammuz*, vocaretur; neque ad Cyprios ipsos, ut Meursius existimaverat, sed ad Chaldaeos unice referri debeat. Itaque recentiora solum Cypriorum mensium nomina nobis supersunt; ut alia quidem ab Aegyptiis accepta Constantiensibus, aliisque fortasse Cypri Populis usurpata fuerint; alia vero post Iulii Caesaris imperium inventa, atque a Paphiis praesertim adhibita videantur.

Vt a Paphiis ipsis exordiar, illorum seriem, ac nomina ex Pselli Opere primum edidit Gyraldus [5]; eademque prorsus, sed duobus ultimis Typographorum incuria ommissis,

(1) Pag. 123. (2) Pag. 119. (3) Append. Vsser. de Anno Solari Maced. c. 4. pag. 41.
(4) Differt. XIII. Numer. 7. (5) De Anno, & Mens. Pag. 108.

sis, ex veteri MSS. Lexico vulgavit Henricus Stephanus (1), atque ex illo, veluti fonte, ceteri derivarunt. Omnium tamen elegantissime singula mensium Cypriorum nomina expressit Harduinus (2); simulque latina nomina subtiliter excogitavit, ex quibus Mensium ipsorum nomina, veluti origine, profluxerint, ut in subiectaserie conspicitur:

1.	Ἀφροδίσιος	*Aphrodisius*	Veneris
2.	Ἀπογονικός	*Apogonicus*	soboles *fuit*
3.	Αἰνικός	*Aenecus*	Aeneas, &
4.	Ἴȣλος	*Iulus*	Iulius
5.	Καισάριος	*Caesarius*	Caesar
6.	Σεβαστός	*Sebastus*	Augustus
7.	Αὐτοκρατορικός	*Imperatorius*	Imperator
8.	Δημαρχεξȣ́σιος	*Demarchexusius*	Trib. Potestatis
9.	Πληθύπατος	*Plethypatus*	Cos. saepissime
10.	Ἀρχιερεύς	*Archiereus*	Pontifex Max.
11.	Ἔσθιος	*Estius*	*ex* Familia
12.	Ῥωμαῖος	*Romanus*	Romanorum

Harduinus haec duo ultima mensium nomina fuisse credidit Ἐστίων, Ῥωμαίων: quemadmodum optime Ἰέλιος, Καισάριος, & Δημαρχεξȣ́σιος legendum esse arbitratur; quamvis Gyraldus, Stephanus, Meursius, aliique Ἰȣ́νιος, Καισαρειος, Δημαρχηξασιος probaverint.

Aphrodisii mensis nomen a Porphyrio (3) memoratur; cumque ille dixerit μηνὶ κατὰ Κυπρίȣς Ἀφροδισίῳ *mense secundum Cyprios Aphrodisio*, suspicatur Vsserius (4) haec mensium nomina Porphyrii aetate non a Paphiis solum, sed a Cypriis teiam omnibus, usurpata fuisse.

Apogonici vero, simulque Iuli meminit Epiphanius (5); quemadmodum Alexander Monachus *in Encomio Barnabae Plethypatum* nominat, ipsumque *nonum* Paphiorum mensem fuisse dicit. Quem vero situm in civilibus Paphiorum annis menses illi occupaverint facile demonstravit Vsserius, ostendens Paphios, Macedonum, & Asianorum instar, civilem an-

(1) Append. ad Thesaur. (2) Numi Popul. illustr. (3) De Abstinen. Lib. II. apud Euseb. Praep. Evan. Libr. IV. c. 16. (4) De Anno Solar. Maced. c. 4. (5) Haeres. LI. Num. 24.

annum ab aequinoctio autumnali, ac 24. Septembris Iuliani die inchoasse.

Quandoquidem vero Epiphanius [1] ipse testatur *sextamdecimam* Apogonici Paphii diem cum *sexta* Constantiensium, sive Salaminiorum Choeac concurrisse; & *quartam decimam* Iuli Paphii cum *quinta* Salaminii mensis quinti; Alexander autem *undecimam* Constantiensis Mesori cum *decimanona* Plethypati Paphii committit, facile Usserio, Petavio, aliisque est observatum Constantienses ipsos Alexandrinorum mensibus usos fuisse: quamvis ab alio cardine mensium ordinem, sive civilis anni principium ducerent, mensesque cognomines alio prorsus ordine Salaminii, quam Alexandrini, numerarent: ut, cum Mesori mensis apud Constantienses Cyprios *decimus* foret, simulque a calendis Iuniis inciperet, ab Alexandrinis tamen *duodecimus* haberetur, atque a 25. Iulii Romani die initium duceret. Etenim Epiphanii aetate Alexandrinos ipsos fixis omnino mensibus, fixoque Thot, vel anni cardine, uti consuevisse perspicuo Epiphanii testimonio demonstratur, quo Maffeii sententia superius exposita uberius adhuc impugnari, refellique potest. Epiphanius ipse, qui Aegyptium Mesori cum Romano Augusto, adeoque Thot cum Septembri, commiserat [2], asserit Valentinianum iuniorem Arcadio II. Rufinoque Coss. ipsa Pentecostes die sepultum fuisse *αὐτὴ δὲ ἡμέρα ἦν κατ' Αἰγυπτίους τότε μηνὸς Παχὼν μία καὶ εἰκὰς, κατὰ δ' Ἕλληνας Ἀρτεμισίου τρίτη καὶ εἰκὰς; κατὰ Ῥωμαίους δὲ πρὸ δεκαεπτὰ καλανδῶν Ἰουνίων* [3] *ea vero dies erat iuxta Aegyptios Mensis Pachon* 21. *iuxta Graecos vero* Macedonum mensibus utentes *Artemisii* 23. *at iuxta Romanos* 17. *cal. Iunias*. Itaque, si anno Chr. 392. *vicesimaprima* Aegyptii Pachon dies cum *sextadecima* Maii Romani die, qua certe Pentecostes festum contigerat, coniungebatur, dubitari certe non poterit quin Thot in 29. Augusti diem inciderit; qui ex anni veteris vagique methodo, hoc est ex Maffeii sententia, 16. Maii Iuliani die incipere debuisset. Cum vero Epiphanius Pachonem illum Aegyptium vocavit, *Aegyptiorum* nomine Alexandrinos solum intelligit; aut Aegyptii singuli fixo, novoque anni cardine Alexandrinorum instar uti iam coeperant; atque, ut Scaligeri verbis utar, *a*

(1) Haeresi LI. (2) Ad Haeres. XI. (3) Libro de Ponder. & Mensur. Vide Scaliger. V. Pag. 513.

primo anno Augustorum fixerunt illum in ea ipsa die 29. Augusti Iuliani, *in qua contigit ipsum deprehendi tempore Actiacae victoriae* (1). Denique exemplum aliud subiecisse iuverit, ut Maffeii hypothesis accuratius adhuc refellatur, simulque vitiatum aut mutilum Marmor opportune suppleatur. Cl. Muratorius ex Donio hoc Marmor exhibet (2).

ΑΠΡΙΛΙΩΝ	*Aprilium*
ΦΑΡΜΟΥΘΙ. Α	*Pharmuthi* I. die
ΥΠ. Π. ΤΩΝ	*Consulibus*
ΧΥΡΙΩΝ ΗΜΩΝ	*Dominis nostris*
ΔΙΟΚΛΗΤΙΑΝΟΥ	*Diocletiano*
ΣΕΒ. ΤΟ Ζ. ΚΑΙ	*Aug. VII &*
ΜΑΞΙΜΙΑΝΟΥ	*Maximiano*
ΣΕΒ. ΤΟ Ζ.	*Aug. VII.*

Pharmuthi Aegyptiorum mensis cum Romano Aprili concurrere certe non poterat, nisi Thot in Septembrem incideret; adeoque anno Chr. 299. quo Marmor Romae positum fuit, Aegyptius Thot, ut in exemplis aliis apparet, 29 Augusti die incepit. Ergo *prima* Pharmuthi dies cum *vicesima septima* Martii die concurrebat; adeoque in Marmoris initio πρὸ ϛ΄ Καλανδῶν Ἀπριλίων *sexto Calendas Apriles* restitui, supplerique debet.

Quamvis autem haec duo solum mensium genera a Paphiis nimirum, ac Salaminiis usurpata Vsserius, aliique doctissimi Viri apud Cyprios agnoverint; suspicor tamen Amathunte, atque in aliis fortasse Cypri Vrbibus Macedonicos etiam menses sequioribus iis temporibus adhibitos fuisse. Certe Paeon quidam Amathusius Scriptor a Plutarcho (3) laudatus asserit ab Amathusiis sacra Ariadnae peragi τῦ Γορπιαίυ μηνὸς ἱςαμένυ δευτέρᾳ *secunda Gorpiaei mensis* die. Meursius exinde colligit Gorpiaeum hunc, Adonidis instar, veterem Cypriorum mensem fuisse. Sed, quamvis Paeonis illius aetas incognita sit, verisimilius tamen existimo sequioribus solum temporibus, post Alexandri Macedonis aetatem, illum vixisse. Itaque, cum Cyprii Alexandro Tyrum obsidenti anno 1. Olymp. CXII. se dediderint (4), facile tunc ipsi, vel Amathusii

(1) Scalig. Emend. Temp. Libr. V. Pag. 495. (2) Pag. 143. (3) In Theseo (4) Plutar. in Alex. Arrian. Lib. II. Vid. Meur. Cypr. Lib. II. c. 18.

ſii ſaltem, Macedonicos etiam menſes uſurpare coeperunt; ut proinde Gorpiaeus ille non vetus Cypriorum menſis, ſed Macedonicus potius a Cypriis receptus, haberi debeat; quemadmodum a Syris etiam, Smyrnaeis, & Aſianis fere omnibus Macedonicos menſes uſurpatos eſſe conſpicimus. Paphiorum vero menſes eo tempore inſtitutos, vel Romanis nominibus appellatos eſſe putaverim, quo Cyprus Inſula a Iulio Caeſare Arſinoe & Ptolemaeo prius conceſſa mox ab Auguſto Caeſare poſt Cleopatrae, atque Antonii mortem Romano Populo reſtituta fuit [1].

Aegyptios vero, ſive potius Alexandrinos menſes tunc a Salaminiis uſurpatos eſſe putavit Vſſerius, cum Conſtantienſis Epiſcopus Cypri Metropolita ſe ab Antiochenae Sedis imperio ſubtraxit; ideoque ne, *ut anni formam, ita & Metropolitae dignitatem, a Sede Antiochena Conſtantienſis accepiſſe argueretur*, Alexandrinos potius menſes adhibere voluit. Quae ſi rite coniecerit Vſſerius, exinde quoque facile deduci poſſet non Amathuſios ſolum, ſed & Conſtantienſes etiam Macedonum menſibus ante diſſidium illud uſos fuiſſe; cum certe Antiocheni Macedonum menſibus, & Macedonica anni forma uterentur [2]; adeoque Gorpiaeum illum a Paeone memoratum non veterem, ſed recentiorem potius, Cypriorum menſem fuiſſe.

XV.

Delii

Delios non aliis, quam Athenienſium, menſibus, Atticaque Periodo in civilis anni cardine, & menſium ſitu definiendo uti conſueviſſe perſpicuis, certiſque characteribus oſtendi poſſe putaverim; quamvis illi civiles annos, ac tempora non Athenienſium, ſed Deliorum potius, Archontum nominibus diſtinguere, vel deſignare conſueverint. Etenim in eximio Deliorum Marmore, quod opportunius alibi expoſui [3], nitide diſerreque legitur Ἐπὶ Ἀρισαίχμȣ Ἄρχοντος Γαμηλιῶνος δεκάτῃ ἱςαμένȣ *ſub Archonte Ariſtaechmo Gamelionis* menſis *decima* die. In alio: Ἐπὶ Φαιδρίȣ Ἄρχοντος, Ἐλαφηβολιῶνος ὀγδόῃ

(1) Vid. Meurſ. Lib. II. c. 20. (2) Vſſer. c. 1. (3) Diſſert. VIII. Num. 32.

ſub Phaedria Archonte, *Elaphebolionis* menſis *octava* die. Ita Ioſephus [1] Pſephiſma Deliorum exhibet: Ἐπὶ Ἄρχοντος Βοιώτυ, μηνὸς Θαργηλιῶνος εἰκοςῇ *ſub Archonte Boeoto*, *menſis Thargelionis viceſima* die. Denique in eximio, pulcherrimoque Marmore, quod erutum in Delo in Angliam nuperrime translatum, atque a Tayloro editum fuit, perſpicue legitur Τάδε ἔπραξαν Ἀμφικτύονες Ἀθηναίων ἀπὸ Καλλέο Ἄρχοντος μέχρι τõ Θαργηλιῶνος μηνὸς τõ ἐπὶ Ἱπποδάμαντος Ἄρχοντος Ἀθήνησι, ἐν Δήλῳ δὲ Ἐπιγένος Ἄρχοντος μέχρι τõ Θαργηλιωνος μηνὸς τõ ἐπὶ Ἱππίο Ἄρχοντος, χρόνον ὅσον ἕκαςος αυτῶν ἦρχεν ... μέχρι τõ Ἑκατομβαιῶνος μην s *Haec exegerunt Amphictyones Athenienſium ab* ineunte *Calliae Archontis anno uſque ad Thargelionem menſem*, qui fuit *ſub Hippodamante Archonte Athenis*; *in Delo autem ab* ineunte *Epigenis Archontis anno uſque ad Thargelionem menſem*, qui fuit *ſub Hippia Archonte*, *quo tempore ipſorum quilibet imperavit*... *uſque ad Hecatombaeonem menſem*. Itaque, ſi in praeſtantiſſimo hoc Marmore Eponymi quidem Athenienſium Archontes a Deliis diſtinguuntur, ſed Hecatombaeon tamen, ac Thargelion menſis ita memoratur ut unum idemque temporis ſpatium, ſive civilis anni tempus accuratiſſime deſignetur, dubitari certe non poterit quin Delii Olympiade CI. qua Marmor poſitum fuit, iisdem omnino menſium nominibus, ipſorumque ſerie vel ſitu uterentur, qui ab Athenienſibus adhiberi conſueverat. Exinde vero manifeſtiſſime refelli debet Dodvelli ſententia, qui *Parthenium*, atque *Apollonium* menſes Scholiaſti Pindarico memoratos, ut mox oſtendetur, Elidenſibus, aut Deliis accenſendos eſſe putavit: perinde quaſi menſibus illis Delii *Apollinem*, ac *Dianam*, qui in Delo lucem adſpexerant, honorare voluerint. Quamvis enim incertum, obſcurumque ſit cuinam Genti duo menſes illi concedi debeant, ut in Agoniſticis Diſſertationibus obſervavi, perſpicuum eſt tamen illos Deliis adſcribi non poſſe; cum certe Parthenius ille, vel Apollonius *Olympici* menſes eſſe debuerint, *Olympicus* vero menſis a Deliis non alio, quam *Hecatombaeonis* Attici, nomine vocaretur.

XVI. *Del-*

(1) Antiquit. Libr. XIV. c. 10. Num. 14. Vid. Diſſert. X. Num. 26.

XVI.

Delphici

Periodus illa, vel Cycli, qui in civilibus Delphorum annis adhibebantur, ita cum Boeotica Periodo committi debent, ut accuratissime demonstravit Dodvellus, ut ipsarum utraque, vel Cycli initium ab anno 2. Olymp LIX. V C. Varroniano 212. inceperit: ac Boeotica quidem a 27. Ianuarii Iuliani die; Delphica vero, seu Pythica, a 26 Aprilis itidem Iuliani processerit (1): ut Pythici proinde Cycli, vel Octaeteridis Delphicae initium tribus omnino mensibus Octaeteridis Boeoticae initio posterius esse debuerit: quod nimirum civilis ille Boeotorum annus a bruma, vel hiberno solstitio; Delphicus autem a veris initio, sive aequinoctio verno, duceretur (2). Atque ista quidem subtiliter ingenioseque Dodvellus. At ubi Pythicos Ludos, a quibus Tetraeterides exordia sumere, vel numerari consueverant, anno *secundo* cuiuslibet Olympiadis celebratos fuisse contendit (3), eximio quidem, ac illustri Thucydidis testimonio ille innititur; sed perspicuis tamen certisque testimoniis illis opponitur, quibus Pythiades non *secundis*, sed *tertiis* solum, Olympiadum annis celebratas esse in Agonisticis Dissertationbus demonstravi (4). Itaque si Pythicae Tetraeteridis, vel Delphici Cycli exordium a Pythicis Ludis ipsis inceperit, ad Olympiadis LIX. annum 3. Vrbisque Conditae 213. referendum erit.

Quo vero tempore, sive Delphici anni mense Pythiades ipsae agerentur, Agonistica Dissertatione II. fusius exposui; simulque verum *Bysii* Delphorum mensis situm ostendi; qui, licet a Scaligero (5) cum Attico Thargelione committatur, Munychioni tamen Attico, ut optime accurateque observavit Dodvellus (6), ita coniungi debet, ut Pythicus, simulque primus Delphici anni mensis haberi ille debeat.

Proxime post Bysium ipsum, adeoque secundo loco mensis alius constitui debet, cuius nomen, & situm Cl Dodvellus ex ineditis Ioannis Tzezae Scholiis ad Μεθομηρικῶν Fragmen-

(1) Dodv. Differt. V. sect. 5. & 9. (2) Sect. 4. 6. 8. (3) Sect. 2. (4) Differt. II. Num. 12. (5) Emend. Temp. Libr. I. Pag. 51. (6) Differ. V. sect. 25.

mentum in lucem extulit [1]. Etenim, cum Methomericorum Auctor *μέγα κύκλους* dixisset, Scholiastes hic observavit Μέγα κύκλους τὰς Ὀλυμπιάδας ἔλεγον, ὅτι κατὰ πεντήκοντα μῆνας ἐτελοῦντο τὰ Ὀλύμπια. Συνεστήσατο δ' αὐτὰ Ἡρακλῆς Πολέμων δὲ λυθείσας ἐς ὕστερον Φείδων καὶ Ἔφετος πάλιν ἀνεκτήσαντο, Ἡρακλείου μηνὸς ὄντος ἐν Δελφοῖς, Ἀθήνησι δὲ Θαργηλιῶνος, ὀγδόῃ οὖ φθίνοντος ἡ Τροία ἑάλω. *Cyclos magnos Olympiadas vocabant : quod Olympia quinquagesimo mense redeunte peragerentur. Instituit autem illa Hercules Polemon; eademque mox intermissa Phidon, ac Iphitus iterum celebrarunt, cum Heraclius mensis Delphis ageretur, Athenis autem Thargelion, cuius desinentis octava*, hoc est vicesima tertia, *die Troia diruta fuit.*

Quandoquidem vero cetera Delphicorum mensium nomina Scaliger, Petavius, ac Dodvellus ipse ignorarunt, mihique nunc omnium primo quatuor eiusmodi nomina ex Graecis Marmoribus affulsere, ipsorum singula subiecisse nunc libet; simulque situm inquirere, quem menses illi in civilibus Delphorum annis occupaverint. Illud hic tamen observari maxime velim quod ad Pylas, seu Delphos ipsos, Amphictyonum Conventus bis quotannis haberi consueverat ubi Pylagorae a variis Vrbibus electi cogebantur, adeoque Conventus ille Πυλαία *Pylaea* dicebatur; simulque *Hieromnemones*, vel *Sacri Scribae* a singulis Vrbibus illis eligebantur, qui communia Conventus, vel Amphictyonum, Decreta exscriberent, atque accuratissime conservarent. Ex eiusmodi vero Conventibus τὴν μὲν ἐαρινήν, τὴν δὲ μετοπωρινήν *hunc quidem vernum*, *alium vero autumnalem* fuisse testatur Strabo [2]; ipsosque ineunte vere, & autumno peragi consuevisse ex Pausania [3] doctissimi Viri iam viderant; quamvis & menses, & mensium dies ignorarent. Ipse omnium primus perspicuo Aeschinis testimonio opportunius alibi demonstravi [4] quod vernus ille Amphictyonum Conventus inter *sextamdecimam* Anthesterionis, & *vicesimamquintam* Elaphebolionis manifestissime concludi debet: ut facile proinde Elaphebolionis mensis initio concedi vel adscribi ille possit. Exinde vero facile inferri ostendique posse iam dixi quod Conventus alter autumnalis ad Boedromionis initium referri debeat. Ceterum an uterque Conventus ille Amphictyonum apud Delphos solum haberi consueverit; an

(1) Diss. V. sect. 2. & Pag. 799. (2) Libr. IX. (3) Phocic. ... (4) Diss. III. Num 23.

an vero potius Conventus unus *vere* apud Delphos, alius *autumno* apud Pylas, sive Thermopylas, haberetur, ut Vandalius (1) ex Pausania existimavit, alii diligentius inquirant. Vernum certe Concilium non alibi, quam Delphis ipsis, cogi consuevisse ex pulcherrimo, eximioque Marmore manifestissime demonstratur, quod ea quoque de caussa non proferam, ut exinde ceteris mox explicandis splendor aliquis oriatur. Inter alias Cyriaci Inscriptiones iam pridem editas haec Pag. 29. Num. 201. exhibetur

Delphis

Θεοις

Επι. Αρισταγορα. Αρχοντος. εν. Δελφοις. πυλαιας. ηρινης

Ιερομνημονουντων. Αιτολων. Πολεμαρχου. Αλεξαμενου. Δαμωνος

Diis

Sub Aristagora Archonte Delphis,
Conventu verno,
Hieromnemonum munere fungentibus Aetolis,
Polemarcho vero *Alexameno Damonis* filio

Haec ipsa quoque Inscriptio apud Rheinesium occurit (2) ex MsS Cyriaci ipsius in Strabonem Scholiis; simulque in aeterno Gruteri Opere Pag. 129. num 15. reperitur; quamvis ibi titulum istum praeseferat *Achaiae ad Delphorum Vrbem in Templo Apollinis*; atque pro ηρινης tum in Grutero, tum in Appiano (3) quoque, quem Gruterus exscripserat, habeatur ησινης. Quid vero quod Gruterus ipse Marmor illud iterum exhibet Pag. 1021. dicitque *in Cycladibus* inventum esse? ac Vandalius, qui utrumque Gruteri locum exprimit, non εσης, ut Scaliger, non ησινης, ut Gruterus, sed πυλαιας ετησιης *cum ibi Pylaea annua esset*, legendum asserit; *ita enim*, inquit, *certissime haec Inscriptio duabus tantum literis insertis suppleri debet*: cum tamen liberior illa Vandalii emendatio a superiori Pausaniae, Strabonisque testimonio, atque a perspicuo Aeschinis sensu maxime abhorreat, in quo nitide, diserteque legitur Ἐπὶ ἱερέως Κλειναγόρε, ἐαρινῆς Πυλαίας *Sub Sacerdote Clinagora, verno Pylaeo Conventu*. Itaque & in

(1) Differt. VI. Pag. 449. & 457. (2) Classf. I. Num. 241. (3) Pag. 506.

& in Gruteri, & in Rheinesii Marmore ἐαρινῆς *verno* certissime rescribi debet; cum utrobique non duplex, ut Vandalius [1] existimavit, sed unicum potius idemque Marmor habeatur. Denique Marmor ipsum Cl. Muratorius ex ineditis Cyiriaci Schedis exhibuit Pag. 570. Num. 3. iterumque, sed aliena veluti facie, Pag. 176. Num. 2. repraesentavit

Delphis in Templo Apollinis
E Schedis Alexandri Marchionis Capponii
ARISTAGORA
PRINCIPE IN DELPHIS
CVSTODIAE RVRALIS
AD TEMPLVM SACRVM
CVRANTIBVS
POLEMARCHO ALEXAMENO, ET DAMONE

Quicumque latinam, barbaramve potius, Inscriptionem istam cum superiori graeca contulerit dubitare certe nnn poterit quin haec alterius versio censeri debeat, miserrima tamen atque mirifice depravata: quippequae graecae, puriorisque sensum perturbet, mirisque novarum vocum ambagibus obscuret. Itaque praeclare, ac feliciter Muratorius ipse iam viderat quod *e graeco conversa in latinum videtur Inscriptio haec: nam* Principe *est* Ἄρχοντος. At ubi subdit: *Hinc autem discimus fuisse Delphis Archontes* Praefectos *Custodiae Ruralis* imperitissimo interepreti nimium concedit, qui *ruralem custodiam* istam effinxerat; simulque cetera graeci Marmoris verba mirifice perturbaverat; sicuti Gruterianus etiam Interpres πυλαιας ησιης *ianitrice Asiae* reddiderat: perinde quasi Ἀσίας *Asiae* hic legi, inserique posset. Atque ista quidem de verno Amphictyonum Conventu, quem Delphis inenunte, ut opinor, Elaphebolione mense haberi consueverat; ut proinde facile Bysius Delphorum mensis, quem Plutarchus in [2] *initium veris* incidisse nitide, diserteque testatur, proxime vernum Conventum illum exceperit; nisi fortasse Bysius cum Elaphebolione, vernoque Conventu coniungi, & Heraclius *tertius* Delphici anni mensis haberi debeat.

Men-

(1) Pag. 455. (2) Quaest. Graec. Num. 9.

Menſis alterius nomen, ſimulque ſitus ex alio Delphico Marmore deprehendi poteſt, quod in editis Cyriaci Inſcriptionibus Pag. 31. Num 207. occurrit:

Delphis

Αρχοντος. Αγιωνος. του. Πολυκλειτου.
μηνος. Θεοξενιου
βϐλευοντων. ταν. δευτεραν. εξε. Αριστοβουλϐ
Αριστωνος. του. Δαμοφανεος.
Archonte Agione Polycliti filio
menſe Theoxenio
Senatoribus in ſecundo Semeſtri
Ariſtobulo Ariſtonis f. *Damophanis* n.

Ita nimirum aliorum Marmorum praeſidio & exemplo Ariſtobuli dignitatem explicandam eſſe coniecerim: quemadmodum in tertio verſu, Maffeio duce, ἑξάμηνον *Semeſtre* ſupplendum exiſtimo; ut nempe ſecundum in Delphico Senatu *Semeſtre* exprimatur. Quamvis enim Muratorius, qui Marmor ipſum ex Barberinis Cyriaci Schedis exhibet Pag. 591. Num. 3. cum hoc titulo *Apud Delphos in pariete Amphitheatri*, legerit ΕΞΕ, ideoque reddiderit *Conſiliariis ſecunda vice ex Quinque*; perinde quaſi apud Delphos V. Viri Senatorum munere fungerentur; perſpicuum eſt tamen in iſto, ac in Marmoribus etiam aliis non *quinque*, ſed pauciores ſolum, Delphicae Vrbis Senatores recenſeri. Itaque ΕΞΑΜΗΝΟΝ *Semeſtre* cum Maffeio retineri debet; niſi fortaſſe cui libeat aut ΕΞΕΔΡΑΝ *Conſeſſum*, aut ΕΞΕΚΚΛΗΣΙΑΝ *Concionem*, quod initio ſuſpicabar, reſcribere; ut altera nempe Delphicorum Senatorum Concio, ſecunduſque Conventus exprimatur. Ceterum, ſive Concio, ſive Conventus, ſive Semeſtre intelligatur, Theoxenius ille, facile extremis civilis anni menſibus inſcribi poterit; ut nempe vel *ſextum*, vel ex ſequentibus aliquem locum occupaverit.

Proxime poſt menſes illos, quorum ſeries, aut ſitus aliqua ratione conſtitui, oſtendique poteſt, menſes alii ſunt recenſendi, quorum quidem nomina perſpicue in Graecis Marmoribus obſervavi; ſed facile tamen divinare vix poſſim cui nam

loco in civilibus Delphorum annis sint adscribendi. Cyriacus Pagin. 9. Numer. 67. hoc Marmor exhibet

Apud Phoceam Pythiam prope Delphos

Αρχοντος. εν. Δελφοις. Τ. Φλαβιυ.
Πολλιανυ. μηνος
Ειλαιυ. ΙΒ. βυλευοντων. δε. τας. πολιος.
Επινεικυ. τυ. Ευδωρυ

Bonae Fortunae

Archonte in Delphis Tito Flavio
Polliano mensis
Ilaei duodecima die. *Consiliariis autem Vrbis*
Epinico Eudori filio

Marmor ipsum Cl Muratorius [1] ex Barberinis Cyriaci Schedis edidit, in quibus non Τ. Φλαβιυ Πολλιανυ *Tito Flavio Polliano*, sed τῦ Φλαβίυ Πολλ ανυ *Flavio Polliano*, & Ειλαυ *Eilao* legitur.

Bucatii quoque Delphici mensis nomen apud Cyriacum ipsum occurrit Pag. 29. Num 200.

Delphis

Αρχοντος Καλλικρατυς μηνος Βυκατιυ
Archonte Callicrate, mense Bucatio

In Barberinis Cyriaci eiusdem Schedis, quas Muratorius [2] exscripsit, Marmor ipsum *Delphis iuxta maximum Amphitheatrum* exstitisse dicitur, primusque versus ita legitur μην ... Βυκατιυ ...

Cyriacus ipse *Domi* mensis nomen in alio Marmore memoratum exhibuit Pag. 32. Num. 212.

Apud Daulidem Civitatem in Phocide

Τυ. πατρωνος. βυλαρχεοντος. Καλλικλευς.
μηνος. Δομυ

quae Muratorius Barberinas Cyriaci Schedas exprimens ita reddidit: *Patrono, ac Praeside Senatus Callicle, mense Domo.*

(1) Pag. 134. Num. 2. & Pag. 593. Numer. 1. (2) Pag. 593. Num. 1.

mo. Itaque, cum Daulis, Delphorum instar, in Phocide contineretur, atque a Delphis exiguo solum spatio distaret [1], mensis ille non Daulidi proprius, sed Delphicus etiam, habendus erit.

Quid vero si tres menses alios, qui in graecis Cyriaci Marmoribus affulsere, Delphicis ipsis accensendos esse nunc dixerim? In editis Cyriacis Schedis Pag. 33. Num. 220. haec Inscriptio reperitur: *Ad Aegoscheniam, quam Capream vocant.*

Αρχοντος. Διοκλευς. τȢ. Σιμμιȣ. μηνος.
Συνελιȣ. Αυγονος. ομολογου.
πεντεκαιδεκάτη
Archonte Diocle Simmii filio *mense*
Synelio . . . .
decima quinta die.

Altera quoque Inscriptio ibidem a Cyriaco reperta fuit, ac Pag. 33. Num. 221. exhibetur

Ενγεδονος. Αρχοντος. μηνος. Θηλυθιȣ.
πεντεκαιδεκατη
Πολις. Κοατονος. αντιθησιν. την. ιδιαν.
θεραπαιναν. Καμα. ιεραν. τη. Αρτεμιδι
Engedone Archonte mensis Thelutii
decima quinta die
Polis Coatonis fil. *dicat ancillam suam*
Cama sacram Artemidi

Muratorius, qui Pag. 591. Num. 4. Marmor ipsum iuxta superius exemplar edidit, Pag. 140. Num. 4. ita iampridem expresserat

Εντεδονονος Αρχοντος μηνος Θελυθιȣ
Entedonone Archonte, mense Theluthio

Quandoquidem vero in superiori Cyriaci Marmore Cama quaedam ancilla Artemidi, sive Dianae consecrata memoratur, ita postrema Marmoris verba facili perspicuoque sensu reddenda esse putaverim

(1) Strabo Lib. IX.

Polis Coatonis filius *dedicavit ancillam*
ſuam Camam ſacram Dianae

Quamvis enim Cl. Muratorius reddiderit *Civitas Coatonis* Vrbemque illam Cytherae proximam, atque a Stephano *Cothonis* nomine nuncupatam putaverit; *Cotyaion* etiam Phrygiae Vrbem in vitiato Marmore expreſſam eſſe coniecerit; ac Leichius ipſe in *Coatonis* voce Vrbis alicuius nomen latere dixerit; longe tamen veriſimilius exiſtimo Polis non aliud, quam proprium Viri alicuius nomen fuiſſe, qui Camam ancillam ſuam Artemidi conſecraverit.

Cum autem Aegoſchenia illa, ſive, ut accuratius a ceteris Scriptoribus appellatur, *Aegoſthenia* Phocidi coniuncta, Daulidi, Delphiſque proxima foret, nihil certe veriſimilius eſſe unquam poterit, quam menſes in utroque Marmore memoratos a Delphenſibus etiam uſurpatos eſſe; ideoque *Synelium*, ac *Thelutium* Delphicis menſibus aliis accenſendos eſſe.

Non facile vero ego dixerim an eodem ipſo iure civilibus Delphorum menſibus adiungi poſſit *Dionyſius* ille, qui in alio Cyriaci Marmore Pag. 7. Num. 59. atque a Muratorio Pag. 192. Num. 2. memoratur

In Achaia apud Naupactum.

Γραμματευοντος Θεαροις Αησετωνος τȣ Αριϛονυμου
μηνος Διονυσιȣ

Scribam agente in Thearis Aeſetone Ariſtonymi filio
menſe Dionyſio

Cum tamen Strabo [1], ceterique Scriptores omnes Naupactum, & Amphiſſam in Locride ſitam eſſe teſtentur, atque Amphiſſa ad Criſſaei campi vertices collocata Delphis finitima foret, non immerito ſuſpicari quis poſſit Vrbes illa non alios, quam Delphicos, menſes uſurpaſſe; ideoque facile *Dionyſium* illum ceteris Delphorum menſibus accenſendum eſſe.

XVII. *Eli-*

(1) Lib. IX.

XVII.

Elidenses, aut *Olympici*

Plurima, quae ad civiles Elidensium Cyclos, atque Periodum spectare poterant, in Agonisticis Dissertationibus opportunius exposui ubi de Ludis Olympicis, ac tempore, quo celebrari consueverant, ageretur. Ostendi nimirum civiles Elidensium annos a novilunio, quod aestivo solstitio proximius fuerat, incepisse (1); adeoque primum Elidensium mensem, cuius plenilunio Olympici Ludi peragebantur, in Hecatombaeonem Atticum, simulque Loum Macedonicum, incidisse. Instituta vero Metonis Enneadecaeteride hanc ab Elidensibus etiam usurpatam esse perspicue eruditeque ostendit Dodvellus (2): idque facile ex insigni quoque Pindarici Scholiastae testimonio deduci posset, quod inferius proferetur, ubi perspicue embolimorum mensium varietas usurpata conspicitur; si tamen menses ab illo memorati ad Elidensem annum spectaverint, ut Dodvellus ipse putaverat. Quod vero ad Elidensium Menses attinet, tria solum ipsorum nomina Scaliger omnium primus feliciter observavit; ipsorumque situm in civilibus Elidensium annis Dodvellus exposuit (3). Itaque ex Scaligeri, simulque Dodvelli hypothesi *nonus* Elidensium mensis erat *Elaphius*. Siquidem Pausanias, qui sacro cinere Olympii Iovis aram *decimanono* Elaphii mensis die perlini consuevisse dixerat (4), Saturni sacra κατὰ ἰσημερίαν τὴν ἐν τῷ ἦρι Ἐλαφίῳ μηνὶ παρὰ Ἐλείοις (5) *circa aequinoctium vernum Elaphio Elidensium mense* peragi testatur; adeoque Elaphium ipsum in aequinoctium vernum incidisse docet: ut *nonum* proinde locum post primum solstitialem mensem Scaliger illi concesserit (6).

Reliqua duo Elidensium mensium nomina Pindari Scholiastes conservasse videtur, ubi de Ludis Olympicis, ipsorumque tempore differens ait: γίνεται δὲ ὁ ἀγὼν ποτὲ διὰ τεσσαράκοντα ἐννέα μηνῶν, ποτὲ δὲ διὰ πεντήκοντα, ὅθεν καὶ ποτὲ μὲν τῷ Ἀπολλωνίῳ μηνὶ, ποτὲ δὲ τῷ Παρθενίῳ ἐπιτελεῖται (7). *Fit autem certamen quandoque*

post

(1) Dodv. Differt. IV. sect. 3. (2) Sect. o. (3) Differt. IV. sect. 12. (4) Eliac. I. c. 13. (5) Eliac. II. c. 20. (6) Emend. Temp. Libr. I. Pag. 41. (7) Ad Olymp. III. Pag. 40.

post elapsos quadraginta novem menses, quandoque post quinquaginta; unde interdum mense Apollonio, interdum Parthenio celebratur. Itaque Dodvellus, quamvis Apollonium, Partheniumque mensem ad Delios referri posse putaverit (1), longe tamen verisimilius existimat ab Elidensibus usurpatos esse; eamque Periodum, sive Octaeteridem subtiliter excogitavit, in qua *tertius*, *quintus*, & *octavus* annus embolimaei, ceteri communes forent.

Hinc postremus primae Tetraeteridis annus communis erat, atque Apollonio communi mense exibat; adeoque Ludi exactis 49. mensibus instaurabantur; in altera vero, quae binos embolimaeos complectebatur, postremus annus embolimaeus esse debebat, unde non Apollonio, sed Parthenio potius velut embolimo vel decimotertio mense desinebat; ideoque post 50. menses iterum Olympici Ludi redire, vel instaurari debebant.

Ingeniosam hanc tamen clarissimi Viri hypothesim, in qua Ludorum celebritas in ultimum, ac embolimum civilis anni mensem prorsus immerito coniicebatur, perspicuis alibi characteribus, ipsoque Dodvelli testimonio confutavi. Etenim diligens Scriptor ille, quamvis ingenio, liberiorique coniecturae indulgens Octaeteridem illam excogitaverit, in qua Ludi Olympici extremo solum civilis anni mensi affixi forent, alibi tamen perspicue diserteque iam dixerat quod *a novilunio post solstitium proximo Elidensis anni initium erat repetendum* (2), atque *Olympiadum anni apud Elidenses non a civili plenilunio, qui dies erat Ludorum ultimus, mensis autem civilis decimus, sextus supputandi sunt; sed a die mensis illius primo, qui mensis erat etiam apud illos civilis anni primus* (3). Ita propemodum Petavius (4) ipse civiles, ac Olympicos Elidensium annos a mensis illius initio, veluti cardine, ducendos esse putavit, quo Olympiadem agebantur; ut olympicus nimirum mensis primum in mensium ordine locum occupaverit. Scaliger etiam, qui primus hanc verae Chronologiae facem extulit, mensem illum in civilibus Elidensium annis *primum* esse censuit, in quem Olympici Ludi inciderent; & olympicos annos incepisse dicit *a neomenia Hecatombaeonis Attici, aut primi mensis Elidensis, sive Olympici, cuius nomen*

(1) Sect. 13. (2) Differt. IV. sect. 3. (3) Ibi sect. 2. & 11. (4) Doctr. Tempor. Libr. 1. c. 12. & 15.

men ignoramus (1); quamvis huius opinionis immemor, sibique non constans alibi dixerit *Eleos initium prisci anni a bruma, Ludicrum autem Olympicum a diebus aestivis iniisse* (2): perinde quasi apud Elidenses in civilis anni principio varietas aliqua irrepserit: quod nullo tamen Veterum testimonio ostendi potest. Itaque Parthenius, & Apollonius ille, qui a Pindari Scholiaste memoratur, neque ad Delios, neque ad Elidenses ipsos referri poterit; nihilque verisimilius haberi unquam poterit, quam menses illos ad eam Vrbem aut Gentem referendos esse, ex qua Scholiastes ille prodierat; qui verum proinde Ludorum tempus non Deliis, aut Elidensibus, sed patriis solum notioribusque, mensibus expresserit: quod a Scaligero quoque observatum esse conspicio. Nihil est autem cur in exploranda, divinandaque potius Scholiastae ipsius, adeoque mensium illorum, patria nunc immorer. Nonnulla, quae divinando fere conieceram, in Agonistica Dissertatione I. opportune iam protuli, ut menses illos aut Ceis, aut Cilicibus adscribi posse indicarem.

XVIII.

Ephesii

Qua Periodo, quibusve Mensium nominibus Ephesii uterentur facile coniici vel definiri certe non poterit; cum paucissima ipsorum monimenta ad haec usque tempora pervenerint; atque in paucis illis, quae nobis occurrunt, aliqua varietas, atque perplexitas observetur. Itaque singula Ephesiorum mensium nomina primum complectar, quae mihi tum ex Scriptoribus, tum ex Graecis etiam Marmoribus affulsere; deinde vero brevissime exponam qua fortasse Periodo, quibusve Cyclis Ephesii variis subinde temporibus usi videantur.

Ac initio quidem *Laeneon* Ephesiorum mensis in eximio quodam Psephismate nobis occurrit, quod anno 3. Olymp. CLXXXIII. sive V. C. 709. in Iudaeorum gratiam editum fuit, atque a Iosepho Libr. XIV Antiq. c. 10 n. 12. exhibetur Ἐπὶ Πρυτανέως Ἀρτεμῶνος, Ληναιῶνος πρώτῃ *Sub Prytane Artemone, Lenaeonis* mensis *prima* die. Prytanis nomen Psephismati inscriptum

(1) De Emend. Tempor. Lib. I. Pag. 39. (2) Libr. IV. Pag. 299.

ptum nihil moror. Quamvis enim Ephesiorum Numis vel Ἀρχιερέως *Sacerdotis maximi*, vel Γραμματέως *Scribae* nomina insculpi consueverint, ut opportunius alibi observavi (1); fieri tamen interdum potuit ut Ephesii Decretis ipsis, Rhodiorum, & Corcyraeorum instar, *Prytanis* potius nomen inscriberent: sicuti in Ephesino Marmore (2) *Prytanis*, simulque *Sacerdotis Maximi* nomen praefixum conspicitur: Ἐπὶ Πρυτανέως Κλαυδίου Τιτιάνου Δημοστράτου υἱοῦ, Ἀρχιερέως ἱερατεύοντος Σοσσιάνου. *Sub Prytane Claudio Titiano Demostrati filio, & Sacerdote Maximo Sossiano*. Quandoquidem vero Ephesii, ac plerique Iones Atheniensium colonia fuerant, ut innumeris Scriptorum testimoniis erudimur; ac Proclus de Lenaeone veteri Atheniensium mense differens ait quod Ἴωνες τοῦτον οὐδ' ἄλλως, ἀλλὰ Ληναιῶνα, καλοῦσιν (3) *Iones huc non aliter, quam Lenaeonem, appellant*, non immerito suspicari quis poterit Lenaeonem hunc ab Ephesiis usurpatum ex ipsa Atheniensium Periodo, vel antiqua mensium Atticorum serie, profluxisse; ut, cum Attici mensem illum, quo Lenaea Festa agebantur, non veteri, sed novo potius Anthesterionis nomine vocare consueverint, Ephesii tamen, aliique Iones antiquo potius hunc nomine designaverint.

Alterius Attici mensis nomen ab Ephesiis ipsis usurpatum in illorum Marmore nobis occurrit, quod ex inedito Chishulli Opere, altera nimirum *Antiquitatum Asiaticarum* Parte, Cl. Maffeius exhibuit (4). Quamvis enim in Ephesino hoc Marmore mensis nomen, ac dies Siglis exprimatur; perspicue tamen certoque, Maffeio duce, legendum est μηνὸς Ποσειδεῶνος ἡμέρᾳ πέμπτῃ ἀπιόντος *mensis Posideonis die quinta abeuntis*, sexta nimirum ac vicesima. Itaque, cum Iones ac Ephesii ab Atheniensibus originem, plurimosque ritus acceperint, atque in duobus monimentis illis *Lenaeonis*, ac *Posideonis*, Atticorum scilicet mensium, nomina occurrant, nihil fortasse verisimilius haberi poterit, quam ceteros etiam Ephesiorum menses Atheniensium mensium nominibus appellatos esse; ideoque Ephesios eandem prorsus Periodum, idemque civilis anni initium, quae ab Atheniensibus adhiberi consueverant, usurpasse.

At in

(1) Differ. XII. Num. 20. (2) Smith. Notit. Eccles. Asiae Pag. 50. (3) In Hesiod. Oper. (4) De Siglis Pag. 61.

At in veteribus Monimentis aliis non Atticos, ſed Macedonum potius, menſes ab Epheſiis uſurpatos eſſe conſpicio: Etenim Ioſephus ipſe, Decretum aliud exhibet, in quo dicitur Ψήφισμα Ἐφεσίων. Ἐπὶ Πρυτανέως Μηνοφίλου, μηνὸς Ἀρτεμισίου τῇ προτέρᾳ [1] *Decretum Epheſiorum. Sub Prytane Menophilo, menſis Artemiſii prima* die. Ita Muratorius eximium Marmor Epheſi repertum affert Pag. 579. Num. 1. in quo de maximo apud Epheſios Dianae cultu dicitur: καὶ τοῦτο δὲ μέγιστον τοῦ περὶ αὐτὴν σεβασμοῦ ἐστιν τεκμήριον, τὸν ἐπώνυμον αὐτῆς εἶναι μῆνα καλούμενον πάλιν (leg. πάλαι) μέν Ἀρτεμίσων, παρὰ δὲ Μακεδοσιν, καὶ τοῖς λοιποῖς Ἔθνεσιν τοῖς Ἑλληνικοῖς, καὶ ταῖς ἐν αὐτοῖς πόλεσιν, Ἀρτεμίσιον, ἐν ᾧ μηνὶ Πανηγύρεις τε καὶ ἱερομηνίαι ἐπιτελοῦνται. *Maximum vero erga eam cultus ſignum eſt, quod Menſis eius nomine vocetur, qui olim Artemiſon dicebatur; ſed apud Macedones, & reliquas Graecas Gentes, tum etiam in earum Vrbibus Artemiſius: quo menſe conventus & Sacrificia aguntur*; tandemque decernitur ut toto *Artemiſio* menſe tum Sacra, tum *Artemiſii Ludi* magnifice celebrentur.

Denique in Saviliano Codice Epheſiorum Περίτιος *Peritius* cum Macedonum, & Arabum Audynaeo, Athenienſium Poſideone, ac Romanorum Ianuario committitur. Itaque, cum *Artemiſius*, ac *Peritius* etiam, Macedonici menſes fuerint, facile Epheſii, aliorum fere Graecorum inſtar, Macedonicos ita menſes recepiſſe videntur, ut menſium ſeries, aut ordo Epheſiis uſurpatus unico menſis ſpatio Macedonicorum Menſium ſeriem praeceſserit; hoc eſt, cum Macedones Europaei civiles annos a Dio, veluti menſium *primo*, ducerent; Epheſii, Syro Macedonum inſtar, primum menſem non Dium, ſed Hyperberetaeum, appellaverint: ut accuratius oſtendam ubi de Macedonum menſibus agendum erit.

XIX.

Iudaici

Quamvis civiles Iudaeorum Menſes, ipſorumque Periodus ad Graecos referri, variiſque Graecorum Vrbium Menſibus accenſeri non debeant; cum tamen a Ioſepho, aliiſque Grae-

(1) Loc. cit. num. 25.

Graecis Scriptoribus subinde memorentur, atque cum Macedonicis a Cl. Dodvello (1) accuratissime exponantur, solam ipsorum seriem, atque cum Macedonicis ipsis consensum ex variis Iosephi testimoniis subiecisse nunc iuverit. Ceterum quae de variis Iudaeorum Cyclis, atque Periodo disputari nunc possent, ex uberrimis Scaligeri (2), Petavii (3) ac Dodvelli (4) fontibus hauriantur.

I.	Nisan cum	*Xanthico* Antiqu. I c. 3 II. c 6 III. c. 9. 10. XI 4.
II.	Iiar	*Artemisio* Antiqu. VIII. c. 2.
III.	Sivan	*Daesio*
IV.	Tammuz	*Panemo*
V.	Ab	*Loo*, & *Hecatombaeone*. Antiqu. IV. c. 4.
VI.	Elul	*Gorpiaeo*
VII.	Tisri	*Hyperberetaeo*. Antiqu. III. c. 10. VIII. 2.
VIII.	Marchesvan	*Dio* Antiqu. I. c. 4
IX.	Kisleu	*Appellaeo*. Antiqu. XII. c. 7. & 11.
X.	Tebeth	*Audynaeo*
XI.	Sebat	*Peritio*
XII.	Adar	*Distro*. Antiqu. IV. c. 8. XI. c. 6.

XX.

Laconici

Civilis Laconicus annus, ut ex variis Thucydidis, aliorumque Scriptorum testimoniis demonstravit Dodvellus (5), incipiebat *ab aequinoctio autumnali, vel ab illo potius civili novilunio, quod pro Cycli lege aequinoctium illud proxime sequi censebatur*: ut proinde Laconici civilis anni principium in Boedromionem Atticum incidisse debuerit. Hinc Ephori, qui Spartae quotannis eligebantur, ita cum Atheniensium Archontibus, vel annuo ipsorum magistratu, committi debent, ut Archonticus annus, sive antiquitus a Gamelione, sive post Olymp. LXXXVII. ab Hecatombaeone mense inchoatus, in duos Ephororum annos incideret. Ex duodecim vero mensibus, quibus civilis simulque lunaris Laconicus annus constabat, quin-

(1) De Cyclis Differt. IX. (2) Emend. Tempor. Lib. II. (3) Libr. II. (4) Differt. IX. sect. 21. (5) Diff. VIII. sect. 5.

quinque ſolum apud Scriptores memorantur. Duorum nomina immortalis Scaliger [1] omnium primus obſervavit; quamvis aliorum nomen, ſitum, aut ordinem non expreſſerit: quod maxima deinde ingenii gloria ſubtiliter a Dodvello factum conſpicimus. Itaque iuxta Dodvellum ipſum quinque priores Laconum menſes nobis hactenus incompertos ſequitur

VI. *Geraeſtus*. Etenim Thucydides inducias illas deſcribens, quae anno 3. Olymp. LXXXIX. inter Athenienſes, ac Lacedaemonios ſancitae ſunt, *quartamdecimam* Elaphebolionis Attici diem cum *duodecima* Geraeſti Laconici die committit [2]. Quod vero Geraeſtus ille Laconicus *hiemalis* eſſet, exinde quoque coniecit Dodvellus quod Geraeſtia Feſta Neptuno ſacra a Geraeſtis Euboeae populis *hieme* peragerentur, ut Pindari Scholiaſtes ait [3]: *a civitate vero*, inquit Dodvellus, *Euboica Geraeſto, & ſacris inde, ni fallor, acceptis nomen menſis exiſtimo fluxiſſe Laconici* [4].

VII. *Artemiſius*. Menſis huius nomen, ſimulque ſitum oſtendit Thucydides, qui Athenienſium, ac Lacedaemoniorum Foedera anno 3. Olymp. LXXXIX. inita deſcribens *quartum* deſinentis Artemiſii cum *ſexto* Elaphebolionis Attici ſimiliter deſinentis die committit [5]. Itaque Dodvellus [6] optime concludit Artemiſium, niſi fortaſſe pro Laconici Cycli lege embolimi dies obſtarent, Munychioni Attico reſpondiſſe: alioquin, cum Elaphebolione coniungi ille poterat, ut ſuperius eſt obſervatum.

VIII. *Phlyaſius*. Laconici menſis huius nomen fuiſſe Scaliger omnium primus ex Stephano [7] deprehendit; nihilque tamen de ipſius ſitu definivit: fortaſſe quod Stephani teſtimonium ſitum illum exigere videretur, qui ab aliis Laconum menſibus occupatur. Aſſerit enim Stephanus quod in Phlyaſio Laconum menſe τὲς τῆς γῆς καρπὲς ἀκμάζειν συμβέβηκε *terrae fructus vigere*, vel maturi eſſe, *ſolent*. Dodvellus plurima ſubtiliter, ac ingenioſe congeſſit ut octavum ipſi locum tribueret, adeoque cum Thargelione Attico committeret. Fortaſſe tamen Scirrophorioni potius, Romanoque Iunio reſponderit, quo meſſes praeſertim adultae eſſe ſolent.

 X. He-

(1) Emend. Tempor. Libr. I. Pag. 57. (2) Lib. IV. c. 118. 119. Vid. Diſſert. III. Num. 9. (3) Ad Olymp. XIII. pag. 154. (4) Diſſer. VIII. ſect. 16. (5) Lib. V. c. 19. (6) Diſſert. VIII. ſect. 16. (7) In Φλυὲς.

X. *Hecatombaeus*. Asserit Hesychius in illo Hyacinthia Festa Lacedaemone celebrari; additque Meursius [1] Hecatombaea quoque Straboni [2] memorata in illo fortasse peragi consuevisse, indeque mensi nomen inditum fuisse. Itaque Dodvellus [3] ipsum *decimo* loco constituit, atque Attico Hecatombaeoni coniungit. Verum Xenophon cum Isthmia, quae anno 3 Olympiadis XCVI. peracta fuerant, memorasset, asserit paucos post dies Hyacinthia Spartae incidisse, quae tribus omnino diebus peragi consuevisse scribit Athenaeus [4]. Itaque, cum Isthmia exeunte Munychione, vel affecto Thargelione Attico agerentur, Hyacinthia Festa exeunti Thargelioni Attico tribui debent; adeoque Laconum Hecatombaeus cum Thargelione committi, & octavo loco constitui debet.

XI. *Carnius*. Mensem hunc, simulque *Carnia* Festa, quae in illo Spartae agebantur, memoravit Thucydides [5], cuius testimonia Meursius, ac Dodvellus protulere. Ipsum vero Metagitnioni Attico respondere exinde clarissimi Viri deducunt quod Plutarchus in Nicia nitide diserteque Carnium Syracusanorum mensem cum Metagitnione contulerit; adeoque, cum Siculi Corinthiorum quidem coloni, sed origine tamen, Lacedaemoniorum instar, Dorienses essent, iisdem mensium nominibus, eodemque facile mensium ordine usi videantur. At eiusmodi argumenti, vel coniecturae genus lubricum, ac incertum esse Dodvellus ipse iam noverat: idque subinde variis exemplis opportune ostendetur, quibus perspicue erudimur finitimas etiam cognatasque Gentes variis mensium nominibus, varioque cognominum mensium situ uti consuevisse; ut proinde ex mensis alicuius apud Gentem aliquam situ, idem apud aliam situs inferri certe non possit.

Laconici tamen Carnii situm optime a Dodvello constitutum esse perspicuo Herodoti, simulque Plutarchi testimonio confirmari posse putaverim. Asserit enim Herodotus [6] quod ubi Xerses Thermopylas adventaret, & contra ipsum Graecorum exercitus ex variis Peloponnensi partibus conscriberetur, Olympia, ac Carnia celebrabantur. Plutarchus vero, quamvis Herodotum in Lacedaemonios iniquiorem esse contendat, tacite tamen concedit quod ubi Leonidas Spartanorum rex ad

(1) Miscell. Lacon. III. c. 8. & II. c. 14. (2) Libr. VIII. Eustath. ad Dionys. (3) Differt. VIII. sect. 17. (4) Lib. IV. c. 7. (5) Lib. V. c. 54. (6) Libr. VII.

ad Thermopylas mortis discrimen subivit, Spartani ipsi Olympiis, Carniisque celebrandis incumbebant (1). Itaque, dubitari non poterit quin Carnia Festa, quae plenilunio peragi consuevisse testatur Euripides, proximo post Olympia mense successerint; adeoque, cum Olympia in Hecatombaeonis Attici simulque, ut vidimus, Hecatombaei Laconici medium inciderent, Carnius mensis Hecatombaeo subnecti, Atticoque Metagitnioni coniungi debet. Certius id etiam, longeque illustrius ex alio Herodoti ipsius loco deduci posse videtur, ubi Salaminiae pugnae tempore Olympia, simulque Carnia peracta iam fuisse testatur (2). Itaque, cum Salaminia pugna in *vicesimum* Boedromionis Attici diem inciderit, ut ex Plutarcho iam monui, Carnia Festa non Boedromioni ipsi, sed praecedenti potius Metagitnioni, adscribi debent, ideoque Carnius mensis cum Metagitnione committi.

Ceterum Carnia *novem* diebus durasse Dodvellus ex Athenaeo (3) demonstravit (4); ipsorumque initium in *septimo* Carnii mensis die collocavit: quamvis alibi, sed immerito tamen, plenilunio potius adscripserit (5). Plutarchus (6) certe Carneadem *septimo* mensis die, simulque Carniorum Festorum tempore, natum esse testatur. Itaque, si Carnia Cyrene in Carneadis patria, Lacedaemoniorumque colonia eodem tempore, ac Spartae, peracta fuerint, ipsorum initium ad *septimum* mensis diem revocandum esse videtur.

Atque ista quidem de civilibus Laconum annis, ipsorumque mensibus, quorum nomina veteribus Scriptoribus memorantur. Siquidem nullus Laconum mensis ex Graecis Marmoribus, quae lucem hactenus adspexerint, exsculpi potest; cum nullum eiusmodi Marmor afferri possit, quod ad Lacones ipsos spectaverit. Video quidem clarissimum, atque immortalem virum Scipionem Maffeium eximium quoddam auroque contra aestimandum Marmor, quod a Grutero (7) iampridem editum Maffeius ipse italice reddidit, doctisque adnotationibus illustravit (8), ad Spartam, veluti patriam, revocasse: quod in illo nimirum semel iterumque *Ephori* nominentur; eiusmodi vero Ephororum nomen, ac dignitas ut cla-

(1) De Herod. Malign. (2) Lib. VIII. (3) Lib. IV. c. 9. (4) Annal. Thucyd. ad an. $\frac{I}{II}$ Olymp. 90. (5) Dissert. VIII. sect. 17. (6) Symp. Lib. VIII. quae. 1. (7) Pag. ... (8) Tradutt. Italia.

clarissimus Scriptor ille putavit, non variis in locis, ut Archontes, sed Spartae solum, adhiberetur; quemadmodum prorsus ante Maffeium Prideauxius (1) ipse eodem, ut arbitror, argumento vel charactere Marmor istud Laconicum esse iam dixerat. Quod si Marmor illud vere Laconicum existimetur, ceteris Laconum mensibus hactenus exploratis tres alii adiungendi iam forent, *Delphinius* nempe, *Diosthius*, ac *Eleusinius*, qui semel iterumque in praestantissimo hoc Marmore nominantur. Tantum tamen abest ut Marmor illud ex solo *Ephororum* nomine ad Spartam ipsam veluti patriam referri repente possit, quod Prideauxius, & Maffeius coniicerant; ut perspicuis potius characteribus aliis ostendi possit ad Lacones ipsos spectare minime potuisse.

Ac primo Dorica quidem dialectus a Lacedaemoniis usurpata ubique fere in illo conspicitur; sed peculiares tamen Laconum formulae, vocumque inflexiones, quarum exempla plurima collegit Meursius (2), atque in celebri Laconum Decreto contra Timotheum apud Gronovium (3), Chishullum (4), aliosque occurrunt, in hoc Epictetae Marmore non observantur: quamvis una prorsus eademque vox in Decreto contra Timotheum simulque in Epictetae Marmore adhibeatur. Plurima quoque in Epictetae Marmore subinde occurrunt, quae a severioribus Laconum institutis perspicue abhorrent. Ita praecipitur ut virorum mulierumque coetus quotannis cogatur *ad condolendum*; ut Museum defunctorum statuis exornetur; ut libationes, & sacra ipsorum manibus offerantur; ut 210. drachmae quotannis in sacris eiusmodi, atque conviviis celebrandis insumantur. Quis vero sumptus, solemnesque ritus illos cum Laconum legibus conciliaverit, qui luctum undenis diebus circumscribere iubebantur (5), sacra quamminimo sumptu facere consueverant (6); atque iis solum monumenta, titulosque breves erigere permittebantur (7), qui patriae amore in bello interierant? Haec qui secum ipse perpenderit nullus hic dubito quin Epictetae Marmor ad quamlibet potius Vrbem aliam, quam Lacedaemonem, referre debeat.

Quandoquidem vero solum *Ephori* nomen Marmori inscriptum

(1) Marm. Oxon. Pag. 27. (2) Miscell. Lacon. Lib. III. c. 5. (3) Tomo V. in Praef. (4) Antiq. Asiat. pag. 128. (5) Craigius Lib. III. Tab. I. Instit. 10. (6) Ibi Instit. 2. (7) Ibi Instit. 11.

ptum clarissimos Viros illos impulit, ut Laconicum illud esse putarent, observari maxime velim, *Ephoros* ab aliis etiam Gentibus eligi, publicisque Monimentis inscribi consuevisse. Sic Heraclides [1] asserit Ephoros a Cyrenensibus etiam electos esse: idque facile de Theriis etiam censeri poterit, cum Battus ex Thera Insula, quae Lacedaemoniorum colonia fuerat [2], in Lybiam concesserit, ibique Cyrenas condiderit [3]. Quinetiam plurimis quoque Gentibus aliis, quae Lacedaemoniorum coloniae fuerant, accurateque a Meursio recensentur, [4] *Ephori* nomen, ac dignitatem usurpatam esse putaverim: quemadmodum prorsus Coloniae ab Athieniensibus deductae *Archontis* nomen in Numis, atque Marmoribus usurparunt, ut alibi observavi.

Sic, ut illustre exemplum unum hic proferam, aenea Lamina Romae apud Cl. Ficoronium reperitur, in qua *Ephori* quidem nomen, ac dignitas memoratur; at non Laconici tamen, sed Macedonici, mensis nomen occurrit: quod nimirum ad Heracleam Italicam civitatem Plinio [5] memoratam pertineat

ΕΦΟΡΟΣ ΑΡΙΣΤΑΡΧΟΣ ΗΡΑΚΛΕΙΔΑ
ΜΗΣ ΑΠΕΛΛΑΙΟΣ Α ΠΟΛΙΣ ΚΑΙ ΤΟΙ ΟΡΙΣΤΑΙ [6] &c.
Ephorus erat *Aristarchus Heraclidis* filius,
Mensis Appellaeus. Civitas, & Terminatores &c.

Ita, quamvis apud Rheinesium [7] in Marmore, quod in Messeniae arce Cyriacus exscripsit, legatur Ἐπὶ Ἱερέως Κρεσφωνίȣ ἔτȣς Ρ. Ν. Ζ. *Sub Sacerdote Cresphonio anno* CLVII. perinde quasi summus ac eponymus Messenes magistratus *Sacerdotis* nomine vocaretur; perspicuum est tamen quod supremus ille Messeniorum Magistratus non alio, quam *Ephori*, nomine designabatur. Etenim Polybius non modo Scironem quendam memorat, ὃς ἦν Ἔφορος τότε τῶν Μεσσηνίων [8] *qui tunc temporis Messeniorum Ephorus erat*; sed etiam inferius Μεσσηνίων οἱ Ἐφορεύοντες Οἶνις, κ̀ Νίκιππος *Messeniorum Ephori Oenis, ac Nicippus* legitur, ut doctissimus Palmerius [9] depravatum hunc locum restituendum

(1) De Politiis. (2) Strab. X. Herod. IV. & Solin. c. 40. Pausan. Lacon. Scholiast. Pind. Pyth. IV. (3) Strab Lib. XVII pag. 837. & Scholiast. Callim. Hym. in Apoll. ver. 70. (4) Miscell. Lacon. Lib. . . . c. 7. (5) Lib. III. c. 9. (6) Murator. Pag. 582. (7) Clas. V. num. 52. (8) Libr. IV. pag. 273. 299. (9) Exercit. Pagin. 80.

dum eſſe demonſtrat. Itaque ex ſolo *Ephori* nomine, quod Marmori inſcriptum conſpicitur, ipſius patria deduci certe non poterit: & quamvis etiam ex eiuſmodi nomine inferri facile poſſit ad Vrbem aliquam Marmor ſpectaſſe, quae Laconum colonia foret; aegre tamen inferri poterit menſes illos, qui in Marmore nominantur non alterius, quam Spartanae Vrbis peculiares, habendos eſſe.

Quis vero coniicere, vel divinare unquam poterit ad quem potius ex variis Graeciae Populis Marmor illud ſpectaverit, adeoque cui Populo menſes illi concedi debeant? Nihil hic ego certe vel liberius effingere, vel temere definire nunc velim. Si quidpiam tamen coniicere vel ſuſpicari liceat, facile menſes illos ad Aeginetas revocari poſſe putaverim. Certe *Delphinium* menſem Aeginetarum fuiſſe ex Scholiaſte Pindari[1] demonſtravit Dodvellus[2]; ipſumque perperam Attico Metagitnioni reſpondiſſe voluit, quod in illo Nemeaci Ludi celebrarentur. Itaque, cum Delphinius menſis in Marmore ſemel iterumque occurrat, facile Marmor ipſum ad Aeginetas referri poſſe videtur. Ephori vero nomen inſcribitur quod Aeginetae Lacedaemoniorum colonia forent; adeoque facile Ephororum nomen uſurpaverint. Ex tribus autem menſibus, qui in Epictetae Marmore nominantur, Delphinium Eleuſinio poſteriorem eſſe; atque Dioſtium in ipſo anni initio collocandum eſſe crediderim. Ac certe Delphinium poſt Eleuſinium collocandum eſſe demonſtrat quod Epicteta teſtamento iuſſerit ab haeredibus Eleuſinio menſe 210. drachmas quotannis perſolvi, quae coetui virorum cogendo, ſacriſque peragendis inſumantur; moxque coetum illum Delphinio menſe cogendum eſſe conſtituit. Quod vero Dioſtius in menſium ordine *primus* haberi debeat exinde ſuadetur quod in Decreto Dioſtii menſis initio facto dicitur placuiſſe ποιεσθαι ταν συναγωγαν απο τȣ πρατȣ πλειμματος[3] *coetum fieri anno primo*, coetumque ipſum Delphinio menſe, ut in teſtamento praecipiebatur, cogi; ut proinde Dioſtius non Delphinium modo praecedere, ſed initium quoque anni occupare videatur. Accedit etiam quod in eodem ipſo Decreto ſtatuitur ut Epiſophus a coetu eligendus συλλογον καθ' ενιαυτον εν τᾳ δευτερᾳ αμερᾳ *quotannis die ſecunda coetum* cogat, ut omnia rite at-

que

(1) Ad Nem. V. (2) Diſs. VII. ſect. 11. (3) Columna 4.

que ex teſtamenti praeſcripto peragantur [1]; moxque praecipitur ut *decima* menſis Dioſthii eodem ipſo Imerti Ephori anno, Epiſophus eligatur [2]: quod argumento certe eſſe poterit *ſecundam* illam anni diem in Dioſthium ipſum incidere, adeoque Dioſthium anni civilis initio congruere.

Sed haec in tanta rerum obſcuritate, Scriptorumque ſilentio definiri non poterunt, niſi uberior fortaſſe lux ex monumentis aliis accedat. Id unum ſatis, ut arbitror, compertum erit quod Epictetae Marmor ad Spartam referri, Laconicorumque menſium ſeries tribus menſibus in illo memoratis augeri certe non poterit. Nec multo ſane felicior Scaligeri coniectura cenſeri poteſt, qui Marmor ipſum Cretenſe fuiſſe putavit, atque in Gruteriano Indice tres menſes illos Cretenſium eſſe dixit. Etenim, ut coniecturas alias ommittam, apud Cretenſes ipſos non *Ephori*, ſed *Coſmi* ſolum, ſequioribuſque temporibus *Protocoſmi* [3] eligi, publiciſque Monimentis inſcribi conſueverant, ut Ariſtoteles teſtatur [4], atque in Marmoribus aliis, quae ſuperſunt [5], aperte conſpicitur, quorum nonnulla opportune iam protuli ubi de Cretenſium Menſibus agebatur.

Quemadmodum vero Eleuſinius, Dioſthius, ac Delphinius menſes in Epictetae Marmore nominati Laconicis Menſibus accenſeri non poſſunt; ita quoque ex illorum ſerie Daeſius ille certiſſime expungi debet, qui in hoc Pſephiſmate apud Ioſephum [6] occurrit: Ψήφισμα Περγαμένων. Ἐπὶ Πρυτανέως Κρατίππȣ Δαισίȣ πρώτῃ γνώμῃ Στρατηγῶν. *Decretum Pergamenorum. Prytane Cratippo, Daeſii* menſis *primo* die, *ex Praetorum ſententia*. Hudſonus in ipſo Pſephiſmatis titulo Λακεδαιμονίων *Lacaedaemoniorum* fortaſſe reſcribendum eſſe putavit, quod in ipſa Decreti ſerie dicatur Abrahami temporibus Civitatem illam Iudaeis amicam fuiſſe; id vero perſpicue de Lacedaemoniis ipſis Ioſephus [7], aliique teſtentur. Itaque ex Hudſoni ſententia Daeſius ille non Pergamenorum, ſed Lacedaemoniorum menſis habendus eſſet. At, ne cetera argugumenta perſequar, *Prytanis*, non *Ephori*, nomen Decreto praefixum ſatis oſtendit illud Lacedaemoniis adſcribi non poſſe.

(1) Col. 6. (2) Col. 8. (3) Polit. II. c. 7. (4) Marm. Oxon. Num. 57. Pag. 116. Grut. Pag. 1084. & 1094. (5) Vid. Chishull. Antiq. Aſiat. Pag. 123. (6) Antiq. Lib. XIV. c. 10. num. 22. (7) Antiq. Lib. XII. c. 4. num. 10. & de Bello Iud. Lib. I. c. 25.

XXI.

Macedonici

Eadem fere civilibus Macedonum Menſibus, atque Periodo, quae victricibus ipſorum armis, ſors, ac felicitas obtigiſſe videtur; ut quemadmodum nempe Macedones ipſi Alexandri regis auſpicio in exteras etiam diſſitaſque Gentes imperium protulerunt, ita quoque Menſium nomina, civilis anni formam, annorumque ſupputandorum rationem apud illas invexerint. Itaque Syri, Cilices, Epheſii, Pergameni, Cyprii, Palmyreni, Tyrii, Smyrnaei, atque Aſianorum plerique non alios, quam Macedonum, Menſes uſurparunt; ipſorumque plurimi Seleucidarum Aeram, quae ab anno 3. Oly CXVI. V. C. 441. alii Thot, ſive Aeram Philippi, quae anno P. I. 4390. incepit, in exprimendis temporibus adhibuerunt; alii denique civiles annos in Calippica Periodo deſignarunt, quae circa aeſtivum ſolſtitium anni P. I. 4384. hoc eſt 3 Olymp. CXII. incepit [1].

Quamvis autem plurima de celeberrimis iſtis Macedonum Menſibus, atque Periodo Scaliger, Petavius, Vſſerius, Dodvellus ſubtiliter, accurateque diſputaverint; ipſorum tamen ſingulis in definiendo Menſium ſitu, atque Macedonicis, Atticiſque Menſibus invicem committendis, neſcio quo fato, communis, ac inſignis error obrepſit, qui deinde plurima Hiſtoriae Graecae capita mirifice perturbavit. Itaque e re futurum putaverim ſi varias doctiſſimorum Virorum ſententias, ipſorumque argumenta breviſſime exponam; tum veterem, conſtantemque Macedonicorum Menſium ſeriem oſtendam; ſimulque varietatem, quae ſequioribus ſolum temporibus invecta fuit, accurate complectar.

In Philippi regis Epiſtola, quam Demoſthenes [2] conſervavit, Macedonum Lous cum Attico Boedromione, ſimulque Corinthiorum Panemo committitur. Ille nimirum Corinthiis, atque Athenienſibus ſibi foederatis indixit ut in Phocide armati ſibi occurrerent *τȣ̃ ἐνεςῶτος μηνὸς Λώȣ ὡς ἡμεῖς ἄγομεν, ὡς δὲ Ἀθηναῖοι, Βοηδρομιῶνος, ὡς δὲ Κορίνθιοι, Πανέμȣ hoc menſe Loo, ut nos*

(1) Vid. Petav. Lib. II. c. 19. (2) Orat. de Corona Pag. 335.

ut nos Macedones *agimus*; *ut autem Athenienses*, *Boedromione*; *ut Corinthii*, *Panemo*. At Plutarchus [1] asserit Alexandrum, qui certissime anno 1. Olymp. CVI. in lucem prodierat, natum esse ἕκτῃ Ἑκατομβαιῶνος ἱσαμένου, ὃν Μακεδόνες Λῶον καλοῦσι *sexto Hecatombaeonis ineuntis* die, *quem Macedones Loum appellant*; ideoque Loum ipsum cum Hecatombaeone coniungit: quemadmodum Galenus [2] nitide diserteque testatur aestivum solstitium in Loum Macedonum mensem incidere; alibique [3] Hyperberetaeum cum Romano Septembri, Atticisque Mysteriis, hoc est Boedromione mense, committit. Ita quoque Plutarchus [4] asserit Alexandrum Daesio mense ad Granicum dimicasse, eiusdemque Daesii *tricesima die* e vivis excessisse. Plutarchus [5] autem ipse, & Aelianus [6] victoriam illam in *sextum* Thargelionis Attici diem, & Alexandri mortem in Thargelionem Atticum incidisse perspicue testatur. Denique ex pluribus Evagrii, Epiphanii, Suidae, aliorumque testimoniis apparet Loum ipsum cum Romano Augusto committendum esse; ut ille proinde non Hecatombaeoni, sed proximo potius Metagitnioni Attico, respondisse merito videatur.

Itaque Petavius ubi singula Veterum testimonia a Scaligero iampridem exposita retulisset, ingenue modesteque fatetur, quod *haec Veterum loca secum pugnare*, *& rem omnem obscurare videntur* [7]. Quamvis autem *in tanto Auctorum conflictu difficile sit statuere quid potissimum sequare*, haec omnia tamen componi vel explicari posse putavit, quod duo Mensium genera olim a Macedonibus usurpata fuerint: ut antiquioribus quidem temporibus lunares illi fuerint; adeoqe *in anno Iuliano sursum, ac deorsum promoverentur*; recentiores vero a Christianis praecipue Scriptoribus usurpati stabiles, fixique forent. Itaque in veteri Mensium serie Loum non alteri, quam Hecatombaeoni Attico, respondisse voluit; in recentiori vero Loum ipsum in Romanorum *Augustum* incidisse; atque ita singula Epiphanii, aliorumque loca componi posse contendit, quod Scriptores illi non veterem Macedonum, sed novam Syrorum, sive Graecorum Periodum usurpaverint. Ad Demosthenis vero locum asserit quod, *nisi corruptus sit*,

(1) In Alexand. (2) In Lib. I. Epidemi. (3) De Sanit. tuen. Lib. IV. c. 8. (4) In Alexand. (5) In Cammillo. (6) Var. Hist. Lib. II. c. 29. (7) Doct. Temp. Lib. I. c. 29.

sit, ut pro Loo, vel pro Boedromione mensis alius subrogandus sit, alterutrius Cycli lunaris, ac popularis anni vitio contigisse, ut sedibus suis emoti menses alienas in stationes invaderent; nisi forte sibi quispiam ita persuadeat a temporibus Philippi Macedonicorum mensium ordinem esse mutatum[1].

Postremam hanc Petavii coniecturam, dissimulato licet Petavii nomine, arripuit Vsserius[2]; cumque anno 2. Olymp. CVIII. qua Philippi Regis epistolam exaratam esse putavit, Macedones lunaribus omnino mensibus uterentur, in quibus Lous Boedromioni Attico respondebat, anno 2. Olymp. CXI. quo ad Granicum pugnatum fuit, solaribus annis, mensibusque illos uti coepisse contendit, in quibus Lous ipse non Boedromioni, sed Hecatombaeoni potius Attico, coniungeretur, ut in subiecta serie conspicitur.

Menses Lunares veteres Maced.	*Attici*	*Menses Solares novi Maced.*
Daesius	Hecatombaeon	Lous
Panemus	Metagitnion	Gorpiaeus
Lous	Boedromion	Hyperberetaeus
Gorpiaeus	Maemacterion	Dius
Hyperberetaeus	Pyanepsion	Apellaeus
Dius	Posideon	Audynaeus
Apellaeus	Gamelion	Peritius
Audynaeus	Anthesterion	Dystrus
Peritius	Elaphebolion	Xanthicus
Dystrus	Munychion	Artemisius
Xanthicus	Thargelion	Daesius
Artemisius	Scirrophorion	Panemus

Denique Dodvellus[3] ipse, qui de civilibus Macedonum Cyclis, atque Periodo subtiliter, ac uberrime disputavit, solares quidem menses Galeno memoratos a Macedonibus usurpatos esse concedit; sed longe tamen serius id incepisse arbitratur, quam Vsserius putaverat[4]; adeoque pluribus Veterum testimoniis contra Vsserium ipsum, ac Norisium osten-

(1) Cap. 30 & Lib. II. c. 15. (2) De Anno Solar. Maced. c. 1. (3) De Cyclis Differt. IX. (4) Ibi Sect. 11.

ostendit[1] quod solares menses, simulque Iuliani anni forma longe post Iulii Caesaris aetatem a Macedonibus adhiberi coeperunt. Interim vero dum lunares menses atque anni apud Macedonas florebant, ita cum Atticis mensibus illi coniungebantur, ut una eademque Periodus a Macedonibus, atque Atticis etiam adhiberetur[2]; in qua Macedonum Lous nunquam cum Hecatombaeone, nisi post annum V. C. 517. hoc est 3 Olymp. CXXXV. ut ex Ptolemaeo colligitur, sed Boedromione solum, accuratissime committeretur[3], ut in Philippi regis Epistola expressum conspicitur. Itaque Dodvellus ipse Plutarchum perspicue, certoque deceptum esse putavit[4] ubi natalem Alexandri mensem, hoc est Macedonicum Loum, cum Attico Hecatombaeone commisit; cum Alexander ipse *sexto Boedromionis, & qui Boedromioni Attico tum respondebat, Loi Macedonici natus sit*[5] eiusque nati, simulque victoriae a Parmenione in Illyrico, & Philippi equo in Olympia partae nuncius ad Philippum in Paeonia dimicantem post sextum Boedromionis Attici Loique Macedonici diem pervenerit.

Eiusmodi vero Macedonici Loi, Corinthii Panemi, Boedromionis Attici situs, atque connexio a Demosthene memorata Dodvelli oculis animoque constanter adeo obversari consueverat, ut is ubique fere in describenda Macedonum Periodo, definiendo Nemeadum tempore, plurimisque tum Atticae, tum Siculae, tum Graecae Historiae capitibus illustrandis eadem semper, quod doctissimi Viri pace dictum velim, chorda oberrare videatur; & quidquid ille acerrima qua fuerat, ingenii vi, beataque eruditionis copia componendis Veterum dissidiis hic protulit, rem longe obscuriorem novisque difficultatibus magis implexam reddiderit.

Itaque in tanto Auctorum conflictu, rerumque obscuritate aliquod operae pretium me facturum putavi si haec omnia subtilius inquirens Demosthenis locum certissime vitiatum esse demonstrarem; atque in eadem illa Philippi regis Epistola Macedonum Loum non Boedromioni, sed Hecatombaeoni solum, coniungi potuisse ostenderem; adeoque plurima ex illustri Demosthenis loco ita a me restituto tum in *Fastis Atticis*, tum in *Agonisticis* etiam *Dissertationibus* contra Dodvel-

(1) Sect. 7. 8. 9. (2) Sect. 1. & 3. (3) Sect. 19. (4) Dissert. IX. Sect. 3. & 5. & Diss. IV. sect. 15. (5) Diss. IX. sect. 5.

vellum ipſum inferrem. Itaque, ut haec ipſa iam fuſius alibi demonſtrata breviſſime complectar, Philippi Epiſtola non anno 1. Olymp. CVIII. ut perperam Vſſerius [1], & Dodvellus [2] etiam exiſtimat; ſed anno 3. Olymp. CX. conſcripta fuit. In illa non *Boedromionis*, ſed *Hecatombaeonis*, Attici nomen olim expreſſum reſtitui, reſcribique debet. Lous ille, ceterique Macedonum menſes, Athenienſium inſtar, Philippi aetate *lunares* erant, lunareſque proximis etiam aetatibus perſtitere; ut proinde *ſolaris* annus ab Vſſerio excogitatus refelli debeat, menſiumque varietas, atque diſcrimen Petavio probatum eiuſmodi Scriptorum diſſidio dirimendo prorſus impar haberi debeat. Denique, ut uno omnia verbo complectar, civilis Macedonum annus ita ab aequinoctio autumnali veluti cardine deduci debet, ut florente Metonis Enneadecaeteride, & Calippica Periodo *Dius* primum in civilibus annis locum occupaverit, adeoque Maemacterioni Attico, Romanoque Octobri reſponderit.

Ac certe poſtremum civilis anni menſem fuiſſe *Hyperberetaeum*, adeoque *Dium* omnium primum fuiſſe ex Zenobio [3]; autumnale vero aequinoctium in Dium [4], atque Hyperberetaeum in Boedromionem Atticum, Romanumque Septembrem incidiſſe ex Galeno [5] demonſtravit Vſſerius [6]; ſimulque optime, & accurate obſervavit a Galeno, Pergamenis, Macedonibus, & Aſianorum pleriſque non *lunares*, qui in multis Graeciae civitatibus adhuc obtinebant, ſed *ſolares* ſolum annos uſurpari conſueviſſe. Hic ipſe quoque civilis anni cardo, menſiumque ſeries aut ordo, qui ab Europaeis Macedonibus adhibebatur, a Pergamenis etiam, Epheſiis, & Antiochenis uſurpatus erat, ut facile pluribus exemplis oſtendi poſſet. Certe Antiocheni, quamvis ab anno V. C. 723. Aeram illam inceperint, quae *Actiaca* vocabatur, eamque ad annum uſque 786. adhibuerint, quo *Iulianam* Aeram a Iulii Caeſaris initio, hoc eſt ab anno V. C. 705. veluti cardine ductam invexerunt, ſimulque Iuliani ſolaris anni formam receperunt [7], veterem hanc tamen menſium ſeriem conſtanter obſervarunt; unde Lous *decimus* Antiochenorum menſis a Iuliano [8] vocatur.

At Sy-

(1) Capit. 1. (2) Diſſert. IX. Sect. 1. (3) Centur. VI. num. 30. (4) Galen. Lib. I. Epidem. (5) De Sanit. tuen. Libr. IV. c. 8. (6) Pagin. 8. (7) Dodvell. Diſſer. IV. ſect. 11. & 12. (8) In Miſopog.

At *Syri*, sive ut Epiphanius illos appellat, *Hellenes*, communiorique voce *Syro-Macedones*, quamvis civilis anni principium ab eodem illo autumnali aequinoctio ducerent, eademque prorsus Macedonicorum mensium nomina, seriemque observarent; *primum* tamen civilis anni mensem non *Dii*, sed *Hyperberetaei*, nomine nuncuparunt; ut proinde Xanthicus ille, qui in veteri Macedonicorum mensium serie Martio respondebat, iuxta Syro Macedones in Aprilem potius incideret. Nec alia certe, quam recentior illa Syro-Macedonum, Periodus ab Epiphanio, Suida, Evagrio, Alexandrino Chronico, Conciliorum Actis usurpata conspicitur: cum Scriptores alii, atque in primis Iosephus, priorem alteram, veteremque Macedonicorum mensium seriem adhibuerint [1].

Tyrios etiam, ac Smyrnaeos in definiendo mensium situ Syro-Macedonum methodo usos fuisse perspicue demonstravit Vsserius; quamvis illi deinde confusioni dirimendae ab *ordinalibus* numeris Menses appellaverint, ut inferius ostendetur. Nihil est autem cur in Gentibus iis hic ordine recensendis immorer, a quibus Macedonum menses, atque Periodus usurpata fuit; cum a Norisio in aureo, doctissimoque Opere *De Epochis*, & *Anno Syro-Macedonum*, aliisque pluribus memorentur; atque in Graecis etiam Marmoribus frequentissime occurrant. Ita in pluribus Palmyrenorum Marmoribus [2] singuli fere Macedonici menses nominantur; simulque Aera a Palmyrenis adhibita, quae anno P. I. 4402. a calendis Octobribus incepit. Macedonum *Panemus* anno Chr. 409. adhuc a Cilicibus usurpatus apud Gruterum [3] occurrit. In Ticinensi Marmore, quod *Leone*, & *Probiano* Coss. hoc est anno Chr. 471 positum fuit, *Gorpiaeus* Apameae usitatus memoratur [4]: quemadmodum prorsus in Romano etiam Marmore *Payni* Aegyptii mensis nomen una cum eorundem Coss. nominibus observavi. Quamvis enim in Marmoris fragmento vel quadratarii, vel exscriptoris vitio legatur [5].

.....ΕΑC ΜΗΝΙΠΑΥΝΙΚΒ
.....CΠΟΤΩΗΙΩ ΩΝ ΛΕΟΝ
.....ΠΡΟΒΙΑΝΟΥ

cer-

(1) Vide Petav. Doct. Temp. Lib. I. c. 29. (2) Smith. Monum. Palmyr. (3) Gruter. Pag. 86. num. 8. Murat. Pag. 115. 117. (4) Maffei de Siglis Pag. 82. & Murator. Pag. 411. (5) Margarin. Pag. 63. Num. 24.

certe rescribendum arbitror μηνι Παυνι ΚΒ εν υπατεια τȣ δεσποτȣ ημων Λεοντος το τεταρτον, ϗ Προβιανȣ. *Mense Payni vicesimo secundo die, in consulatu Domini nostri Leonis IV. & Probiani.* Denique, ut exemplis aliis abstineam, Florentiae quoque Marmor decem ab hinc annis erutum fuit, in quo *Xanthicus* Macedonum mensis occurrit: quod nimirum civis ille, qui titulum posuit, ex *Vico Niceratum*, adeoque ex Syriae regione foret, ut optime Siglas Marmori inscriptas Cl. Gorius (1) explicavit. Itaque hoc etiam illustri monimento confirmatur Macedonum menses *Honorio* XI. & *Constantio* II. Coss. hoc est anno Chr. 417. adhuc a Syris ubicumque degentibus usurpatos esse.

XXII.

Siculi

Vide in *Corinthii*.

XXIII.

Smyrnaei

Plurima, quae ad civiles Smyrnaeorum annos, ipsorumque Menses spectare poterant, opportune explicavi ubi de Macedonum Periodo, ac Mensibus ageretur. Etenim Smyrnenses ipsi, Syrorum, aliorumque Asianorum instar, non alios, quam Macedonum, menses usurpare consueverant; hoc tamen perspicuo, certoque discrimine, quod cum Macedones alii, Europaei nimirum, Antiocheni, Pergameni, & Ephesii civiles annos ab autumnali aequinoctio, simulque mense Dio veluti cardine auspicarentur, Smyrnaei tamen, ac Syro-Macedones alii ab autumnali aequinoctio non Dium, sed Hyperberetaeum exordirentur; ut nimirum mensis ille, qui iis ultimus esse debuerat, primum in mensium ordine locum occuparet. Id certe pluribus Veterum testimoniis accuratissime ostendit Usserius. Etenim Polycarpus Smyrnae martyrio coronatus dicitur *secunda* Xanthici mensis die, quae in *vicesimumsextum* Martii Romani diem inciderat.

Quan-

(1) Tom. III. Inscript. Pag. 314.

Quandoquidem vero varietas illa, quae in civilium Mensium situ sensim irrepserat, in caussa fuit ut in designandis rerum gestarum temporibus maxima subinde perplexitas oriretur; atque ubi quidpiam Hyperberetaeo ex. gr. mense contigisse dicebatur, incertum plane obscurumque foret an ultimo, an primo potius civilis anni mense, an Augusto, an Septembri potius Romano contigisset, eiusmodi confusioni dirimendae nova Mensium nomina apud Smyrnaeos ex ipsorum ordine, ac numero derivata usurpari coeperunt: ut non *Hyperberetaei*, aut *Dii*, sed *primi*, ac *secundi*, nomine vocarentur. Ita Timothei Martyris mors κατ' Ἀσιάνες μηνὸς Τετάρτε τριακάδι[1] *iuxta Asianos tricesimo Mensis Quarti* die, simulque vicesimo secundo Ianuarii Romani contigisse dicitur: quod facile pluribus exemplis aliis ex Vsserio[2] petitis confirmari posset. Sic, ut e Marmoribus etiam exemplum unum hic proferam, in Smyrnensi Marmore apud Cl. Muratorium legitur[3]: Ἐπὶ Στεφανηφόρε Αἰλ. Βίωνος μηνὸς Τρίτε. *Sub Stephanephoro Aelio Bione, mense Tertio.*

XXIV.

Teii

Teios non aliis fortasse, quam Atheniensium, Mensibus, Atticaque proinde Periodo in civilibus annis uti consuevisse ex paucis monimentis illis inferri posse putaverim, quae ad haec usque tempora pervenere. Etenim Anacreon patrios facile menses hic exprimens ait

Μεὶς μὲν Ποσειδηΐων ἕστηκε,
Νεφέλαι δ' ὕδατι βαρύνονται,
Ἄγριοι δὲ χειμῶνες παταγῦσι.
Mensis Posideon adest,
Nubesque aqua gravantur,
Horridaeque tempestates perstrepunt.

Iraque non solum Posideonis nomen a Teiis usurpatum, sed ipsius etiam situs hic aperte conspicitur; quod nimirum

(1) De anno Maced. c. 1. Pag. 11. (2) Cap. 2. Pag. 17. (3) Pag. 156.

Posideon ille saeviente iam hieme agebatur; quemadmodum prorsus Posideon Atticus in brumam, Romanumque Decembrem incidebat.

Alterius etiam Attici, simulque Teii, mensis nomen ex pulcherrimo eximioque Marmore fortasse deprehendi, exsculpique poterit, in quo *Teiorum Dirae* continentur. Etenim in illo Timuchis praecipitur ut Diras ipsas pronuncient καθημένε τῦ ἀγῶνος, Ανθηςερίοισιν, κ̧ Ηρακλίοισιν, κ̧ Δίοισιν *considente multitudine in* Festis *Anthesteriis*, & *Heracliis*, & *Diasiis*. Itaque, cum Anthesteria, Heraclia, & Diasia Festa ex Atheniensibus in Teios profluxisse non immerito videantur, atque ex Anthesteriis ipsis Anthesterion Atticorum mensis nomen acceperit, cognominis fortasse mensis apud Teios etiam nomen ab iis obtinuisse videtur.

Quaecumque vero de civilibus Teiorum Mensibus hic indicavi, facile de Pariis etiam intelligi supponique possunt. Certe Marmorei Chronici Scriptor initio Marmoris Eponymi tum Atheniensis, tum Parii, Archontis nomen, veluti perspicuam temporis notam fixumque terminum, nobis expressit, ad quem annorum numerus constantissime dirigeretur: quod argumento certe esse poterit Archontes illos, adeoque civiles etiam ipsorum annos, ab uno eodemque cardine, vel Hecatombaeone mense, utrobique incepisse. Ita in exprimendo definiendoque Troiani excidii tempore non alterius, quam Attici, Mensis nomen adhibuit, asserens illud in *vicesimam tertiam* Thargelionis diem incidisse. Ergo Parii, quamvis suos, peculiaresque Archontes Eponymos eligerent, ac Monimentis inscriberent, ut alibi quoque observavi; fortasse tamen una eademque cum Atticis Periodo, civilis anni forma, iisdem mensium nominibus usi videntur: quod facile de pluribus etiam Insulis aliis, quae vel Atheniensium imperio suberant, vel ritus, ac leges ab ipsis acceperant, vel ipsorum coloniae fuerant, supponi poterit: quamvis in tanto veterum Scriptorum silentio, ac Monimentorum inopia nihil hic certo constitui, vel definiri repente possit. Vt autem singula Mensium illorum nomina, quae nobis hactenus ex Graecis Scriptoribus, ac Monimentis aliis affulsere, facilius inveniri possint, integram illorum seriem hic una complecti libuit; ut si fortasse Mensis alicuius nomen alicubi occurrat, facile deprehendi

di possit cui nam Genti referri ille debeat; nisi fortasse tanquam hactenus ignotus, mihique indictus Mensibus aliis a me recesitis adiungendus videatur.

Aeginetae

Delphinius. *forte etiam*
Diosthius, &
Eleusinius

Aegyptii

1. Thot
2. Phaophi
3. Athyr
4. Choeac
5. Tybi
6. Mechir
7. Phamenoth
8. Pharmuthi
9. Pachon
10. Payni
11. Epiphi
12. Mesore

Argivi

4. Hermaeus

Attici

1. Hecatombaeon, olim Cronius
2. Metagitnion
3. Boedromion
4. Maemacterion
5. Pyanepsion
6. Posideon
7. Gamelion
8. Anthesterion, olim Lenaeon
9. Elaphebolion
10. Munychion
11. Thargelion
12. Scirrophorion

Bythini

1. Heraeus
2. Hermius
3. Metrous
4. Dionysius
5. Heraclius
6. Dius
7. Bendiaeus
8. Strateius
9. Arius
10. Periepius
11. Aphrodisius
12. Demetrius

Boeoti

1. Bucatius
2. Hermaeus
3. Prostaterius
7. Hippodromius
8. Panemus
10. Alalcomenius
11. Damatrius

Cappadoces

1. Tirix
2. Mata
3. Xanantheri
4. Mithri
5. Apomenama
6. Arthra
7. Tetusia
8. Osmonia
9. Sondara
10. Artania
11. Artaestin
12. Araeotata

Coi

Agrianus

Corcyraei

1. Artemitius

11. Machanes
12. Euclius

Corinthii, & Siculi

10. Panemus
11. Carnius
Gorpiaeus
Dius
Pantheon
Posideon

Cretenses

Imalius
... dacius
Dromeius
Diosallosius
Eleusinius
Eteothermolaus
Heraeus
Artamitius
Metarchius

Cyprii

1. Aphrodisius
2. Apogonicus
3. Aenicus
4. Iulus
5. Caesarius
6. Sebastus
7. Imperat orius
8. Demarchexusius
9. Plethypatus
10. Archiereus
11. Estius
12. Romanus
mox Gorpiaeus, aliique Macedonici

Delii

iidem ac Athenienses

Delphici

1. Bysius
2. Heraclius
Theoxenius
Ilaeus
Bucatius
Domus
Thelutius
Synelius
Dionysius

Elidenses

9. Elaphius
Apollonius
Parthenius

Ephesii

iidem cum Atheniensibus, & mox cum Macedonicis

Iudaici

1. Nisan
2. Iiar
3. Sivan
4. Tammuz
5. Ab
6. Elul
7. Tisri
8. Marchesvan
9. Kisleu
10. Tebeth
11. Sebat
12. Adar

Laconici

6. Geraestus
7. Artemisius
8. Hecatombeus
9. Phlyasius
11. Carnius

Macedonici

1. Dius
2. Apellaeus
3. Audynaeus
4. Peritius
5. Dystrus
6. Xanthicus

7. Arte-

7. Artemisius	*Smyrnaei*
8. Daesius	iidem ac Macedonici;
9. Panemus	mox ordinalibus numeris
10. Lous	designati
11. Gorpiaeus	*Teii*, & *Parii*
12. Hyperberetaeus	iidem fortasse ac Attici

Atque hactenus quidem de Cyclis illis, civilibus Graecarum Gentium annis, ac Mensibus, quorum patria ex Graecis ipsis Scriptoribus, sive Marmoribus affulsere; ut proinde Mensium quilibet ad peculiarem Vrbem aliquam perspicuis, certisque rationibus, aut certe non obscuris indiciis, & characteribus referri possit. Tres Menses alios coronidis loco subiecisse nunc iuverit, quorum patria hactenus ignota mihi, vel incerta esse debet; quippe qui Marmorum quidem apographum ab Amico per epistolam nuper acceperim; sed locum ignorem, in quo Marmora ipsa reperta vel exscripta fuerint. Itaque Marmora solum subiiciam, aliisque divinandum relinquam an ipsorum primum, in quo Dorica dialectus, & Hieromnemonis, & Dionysii mensis nomen occurrit, ad Delphos referri debeat, quod initio suspicabar; nihil est enim quod de altero suspicari nunc liceat; cum Panemi mensis nomen ad Macedones, Corinthios, Siculos, aliosque etiam Populos spectare posse videatur,

I.

ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΠΡΟΜΑΘΙΩΝ ΘΕΟΔΟΤΟΥ
ΙΕΡΩΜΝΑΜΩΝ ΕΡΜΑΙΟΣ ΕΡΜΑΙΟΥ
ΠΡΟΦΗΤΑΣ ΑΘΑΝΑΙΩΝ ΑΠΟΛΛΟΦΑΝ
ΝΟΜΟΦΥΛΑΚΕΣ ΙΠΠΩΝ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ
ΑΘΗΝΟΚΛΗΣ ΜΗΝΟΔΩΡΟΥ ::ΩΤΙΚΟΣ
ΑΘΗΝΑΙΩΝΟΣ ΑΙΣΙΜΝΩΝΤΕΣ
ΜΗΝΑ ΔΙΟΝΥΣΙΟΝ ΕΣΤΕΦΑΝΩΣΑΝ
ΑΓΕΜΟΝΑ ΒΟΥΛΑΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΝ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΠΟΛΗΤΗΑΣ
ΝΙΚΙΑΣ ΜΕΝΙΣΚΟΥ ΚΑΛΛΙΧΟΡΕΑΥ
ΒΥΡΙΚΟΣ ΑΙΣΧΗΡΔΡΑΣ ΙΠΠΩΝΗΑΣ
ΜΑΤΡΙΚΩΝ ΜΗΝΙΟΥ ΤΡΙΑΣΠΙΔΟΣ
ΠΡΟΜΑΘΙΩΝ ΠΡΟΜΑΘΙΩΝΟΣ ΣΙΡΟ

ΠΑ-

ΠΑΠΙΑΣ ΔΙΟΓΕΝΗΤΟΥ ΑΤΘΙΔΟΣ
ΑΘΑΝΑΙΩΝ ΑΣΚΛΑΠΙΟΔΩΡΟΥ
ΘΕΟΦΙΛΟΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΑΣΩΠΟΣ
ΔΑΜΑΣ ΜΗΝΟΔΟΤΟΥ
ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ ΒΟΥΛΑΣ ΚΑΙ ΔΑΜΟΥ
ΜΗΜΝΩΝ ΜΗΝΕΚΡΑΤΕΙΟΣ

Rex erat *Promathion Theodoti* filius
Hieromnemon Hermaeus Hermaei filius
Propheta Athenaeon Apollophanis
Nomophylaces Hippo Dionysii
Athenocles Menodori Zoticus
Athenaeonis Aesymnetarum munus obeuntes
Mense Dionysio coronaverunt
Principem Senatus Dionysium
Dionysii Poleteas
Nicias Menisci Callichoreat..
Byricus Aescherdras Hipponeas
Matrico Menii Triaspidis
Promathion Promathionis Siro...
Papias Diogeneti Atthidis
Athenaeon Asclepiodori
Theophilus Dionysii Asopi
Dama Menodoti
Scriba Senatus, & Populi
Memnon Menecratius

II.

. . . . . ΟΝΤΟΣ ΤΗΣ ΝΕΩΚΟΡΟΥ ΒΟΥΛ. . . . . .
ΑΙΜΙΛΙΟΥ ΑΙΛΙΑΝΟΥ ΙΤΑΛΟΥ ΟΙΔΕ ΠΡΥ
ΤΑΝΕΥΣΑΝ ΜΗΝΑ ΚΑΛΛΙΜΑΙΩΝΑ Κ·ΚΑΛΛΙΑ
ΣΑΝ ΤΟΝ ΠΑΝΗΜΟΝ ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΦΙΛΗ
. . . . . ΤΡΟΦΙΜΟΥ

..... Senatus Neocori munere decorati
Aemilio Aeliano Italo, isti Prytanes
fuerunt mense Callimaione, & sacris operati * fort.
sunt mense Panemo sub Archonte Phile-
..... Trophimi filio

Quem-

Quemadmodum vero singula Mensium nomina, quae ex Graecis Scriptoribus, atque Marmoribus affulsere, accuratiori qua poterat, clariorique methodo superius exposui, ipsosque suis in locis, hoc est Gentium illarum nominibus, subieci, ad quas Menses illi spectaverint; ita quoque ex ipsa Mensium serie Menses aliquot expungendos esse nunc video, qui temere prorsus & inconsulto in Mensium numerum irrepsere: perinde quasi aliorum instar veri Gentis alicuius Menses haberi illi debeant. Doctissimus Gyraldus, ubi varios plurimarum Gentium Menses accurate recensuisset, repente subdit: *par etiam est credere & alias Nationes, alia & habuisse, & nunc habere mensium vocabula. Scribit enim Strabo Lib. XII. a Pharnace Rege mensem denominatum, cui & templum constructum fuit in Ponticis regionibus. Idem & Arcaei mensis sacerdotium commemorat, bis verbis* ἦν δὲ ἐνταῦτα καὶ ἱερωσύνη τὶς Μηνὸς Ἀρκαίου, *Idem & mensis Cari templum ait magna veneratione cultum apud Laodiceam, & Caruros populos*. At eximio, praestantique Viro ambiguum illud *mensis* nomen imposuit. Etenim, ut ex integro Strabonis contextu perspicue apparet, Μηνὸς Φαρνάκου *Mensis Pharnacis* nomine non civilis anni pars, aut mensis quidam; sed *Luna* solum, eiusque agnomen exprimitur; idque non a Pharnace rege, ut Gyraldus existimat, sed a Pharnaciae potius oppido, atque regione deductum. Siquidem Strabo repente subdit ἔστι δὲ καὶ τοῦτο τῆς Σελήνης τὸ ἱερόν, καθάπερ τὸ ἐν Ἀλβανοῖς, καὶ τὸ ἐν Φρυγίᾳ τότε τοῦ Μηνος ἐν τῷ ὁμωνύμῳ τόπῳ, καὶ τὸ τοῦ Ἀσκαίου τὸ πρὸς τῇ Ἀντιοχείᾳ τῇ προς Πισιδίαν, καὶ τὸ ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Ἀντιοχέων *est autem hoc Lunae fanum, quemadmodum id, quod apud Albanos est, & ea quae sunt in Phrygia: Mensis scilicet templum, in eiusdem nominis loco; & Ascaei templum, quod apud Antiochiam est, Pisidiam versus; & id, quod in agro est Antiochiae*. Ita quoque in XIII. Libri fine de Caro Mense differens ait: μεταξὺ δὲ τῆς Λαοδικείας, καὶ τῶν Καρούρων ἱερὸν ἔστι Μηνὸς Κάρου καλούμενον τιμώμενον ἀξιολόγως *inter Laodiceam, & Caruram templum est Mensis Cari appellatum in maxima veneratione*. Itaque, ne argumenta cetera hic persequar, cum Carura in Cariae, Phrygiaeque confinio posita Laodiceae & Apameae coniuncta foret, non aliis profecto Strabonis aetate, quam Syro-Macedonum, Mensibus utebatur: quos ab Apamensibus exe-

exeunte fere V. Ecclesiae Seculo adhuc usurpatos esse demonstravi ubi de Macedonum, ac Syro-Macedonum Mensibus agebatur; quemadmodum Antiochenos ipsos Macedonum mensibus usos esse iam diximus. Ergo *Pharnacis*, *Ascaei*, & *Cari* nomine non civiles aliquot anni menses; sed varia solum *Luni*, sive *Lunae* nomina designantur, quae a Gentibus illis promiscuo Dei, Deaeque nomine colebatur: ut ex Spartiano (1) demonstravit Salmasius, atque ex Palmyrenorum Tabula apud Sponium (2), simulque ex veteri Antiochenorum Numo apud Patinum (3) ostendi posset, ubi perspicue *Luni* facies expressa conspicitur.

(1) In Carac. c. 7. (2) Miscell. Erud. Antiq. Sect. I. (3) In Antonino Pag. 218.

FINIS.

